COMPENDIUM

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

e

Præcipuis scholasticis antiquis et modernis redactum

WITHDRAWN

AUCTORE

MANZONI CÆSARE

Philosophiæ et Sacræ Theologiæ doctore
Ecclesiæ Cathedralis theologo
Theologiæ Dogmaticæ et Sacræ Scripturæ
in Seminario Laudensi professore

Quodcumque satum est, hoc idem... excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat; hoc idem proficiat et perficiatur.
(S. VINC. LIRINENS., *Common.*, c. 23).

VOLUMEN IV

complectens tractatus

De Sacramentis et de Novissimis

EDITIO ALTERA AUCTA ET EMENDATA

230
M296c
v. 4

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU

AUGUSTÆ TAURINORUM
EX LIBRARIA A SS. CORDE JESU
Jo. B. BERRUTI

1912

IMPRIMATUR

recepto etiam consensu die 26 Nov. Em. Card. Arch. Taurinensis in cujus jurisdictione Editor degit.

Laudæ, 3 Dicemb. 1911.

† JOAN. BAPT. *Episcopus.*

QUÆ JURA A LEGE SUNT, AUCTOR SIBI RESERVAT.

Stampato nella Prem. Tipografia G. Biancardi - Lodi

1296c
.4

13428

UNIGENÆ DEO
CHRISTO JESU
AUCTORI FIDEI ET CONSUMMATORI
ECCLESIÆQUE FUNDATORI
ATQUE
BEATÆ VIRGINI MARIÆ
DEIGENITRICI ET CORREDEMPTRICI
OMNIS LABOR TOTUMQUE OPUS
IN GLORIAM AMOREM GRATIARUM ACTIONEM
CEDANT.

Pag.			ERRATA	CORRIGE
6	not.	29	p. 166	116
12	lin.	10	**Thes. 13** *Sacramenta... inæquales*	*Sacramenta... inæqualia*
17	lin.	23	flusco	fluxo
64	not.	41	... de Pœnitentia quæstio est difficilior etc...	de Pœnitentia ambigitur juxta dicenda n. 355
151	lin.	3	**Thes. 32**	**Thes. 34**
209	not.	53	LOISY *Autour* etc.	HARNACK apud *Hergenr.* I p. 226; LOISY etc.
209	not.	54	272-3	372-3
255	lin.	5	*testarunt*	*testati sunt*
311	lin.	17	*ex divina*	*3 ex divina*
372	lin.	9	dræternaturalibus	præternaturalibus

INDEX

TRACTATUS XII - DE SACRAMENTIS IN GENERE 1

Prologus . . . . . »

CAPUT 1 - *De sacramentorum natura* 2

Art. 1 Notiones præviæ . . . . . »
Art. 2 De sacramentorum numero 8
Art. 3 De sacramentorum constitutivis 16
Art. 4 De sacramentorum efficacia 18
Art. 5 De intima sacramentorum causalitate 26

CAPUT II - *De sacramentorum effectu* 32

Art. 1 De gratia sacramentali . . . . . »
Art. 2 De charactere 35

CAPUT III - *De sacramentorum causis* 41

Art. 1 De sacramentorum auctore . . . . . »
Art. 2 De sacramentorum ministro 47
Art. 3 De sacramentorum subjecto 59

APPENDIX - DE SACRAMENTALIBUS 65

TRACTATUS XIII - DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIA 70

CAPUT 1 - *De Baptismo* . . . . . »

Art. 1 Notiones præviæ . . . . . »
Art. 2 De baptismi existentia et ministro 75
Art. 3 De baptismi materia et forma 78
Art. 4 De baptismi necessitate et subjecto 82

CAPUT II - *De Confirmatione* 88

Art. 1 Notiones præviæ . . . . . »
Art. 2 De confirmationis existentia 90
Art. 3 De confirmationis materia, forma et ministro 94

CAPUT III - *De SS. Eucharistiæ sacramento* 100

Art. 1 Notiones præviæ 101
Art. 2 De reali Christi præsentia 107
Art. 3 De transsubstantiatione 123
Art. 4 De transsubstantiationis modo 130

Art. 5 De realitate specierum 133
Art. 6 De modo quo accidentia eucharistica consistant 138
Art. 7 De Christi præsentia sub speciebus 141
Art. 8 De Eucharisticæ præsentiæ modo 147
Art. 9 De Eucharistiæ fine et ministro 153
Art. 10 De Eucharistiæ fructu 157
Art. 11 De Eucharistiæ necessitate et subjecto 165

CAPUT IV - *De sacrificio Missæ* 172
Art. 1 Sacrificii notio expolitur 174
Art. 2 De veritate sacrificii Missæ 181
Art. 3 De essentia sacrificii Missæ 194
Art. 4 De efficacia sacrificii Missæ 198

TRACTATUS XIV - DE PŒNITENTIA ET EXTREMA UNCTIONE . . 205

CAPUT I - *De Pœnitentia* 206
Art. 1 De natura peccati deque ejus formali remissione 210
Art. 2 De virtute pœnitentiæ 218
Art. 3 De sacramenti pœnitentiæ existentia 235
Art. 4 De sacerdotali absolutione 245
Art. 5 De dolore sacramentali 248
Art. 6 De confessione sacramentali 252
Art. 7 De satisfactione sacramentali 263
Art. 8 De materia remota et effectu pœnitentiæ 268
Art. 9 De ministro pœnitentiæ 274

APPENDIX - DE INDULGENTIIS 277

CAPUT II - *De Extrema Unctione* 285
Art. 1 De extremæ unctionis sacramenti existentia 286
Art. 2 De extremæ unctionis essentia 292
Art. 3 De extremæ unctionis subjecto, ministro et fructu 294

TRACTATUS XV - DE ORDINE ET MATRIMONIO 299

CAPUT I - *De Ordine* 300
Art. 1 Notiones præviæ . . . . . »
Art. 2 De sacramento ordinis existentia 304
Art. 3 De ordinum numero et distinctione 308
Art. 4 De his quæ ad naturam sacramenti ordinis pertinent 318

CAPUT II - *De Matrimonio* 324
Art. 1 De matrimonio naturali et de virginitate 326
Art. 2 De sacramenti matrimonii existentia 332
Art. 3 De his quæ ad sacramentum matrimonii spectant 340
Art. 4 De matrimonii proprietatibus 342
Art. 5 De matrimonii regimine. 354

TRACTATUS XVI - DE NOVISSIMIS 361
CAPUT I - *De vita futura* 362
Art. 1 De existentia vitæ futuræ . . . . . »
Art. 2 De futuræ vitæ immutabilitate 368
CAPUT II - *De ingressu vitæ futuræ* 372
Art. 1 De judicio particulari . . . . . »
Art. 2 De resurrectione corporum 376
Art. 3 De judicio universali 388
CAPUT III - *De receptaculis vitæ futuræ* 392
Art. 1 De inferno . . . . . »
Art. 2 De purgatorio 406
Art. 3 De paradiso 414
Art. 4 De loco et essentia paradisi 425
PARERGON - DE COMMUNIONE SANCTORUM 430
CONCLUSIO ULTIMA 431
Appendix archælogica 433
Index alphabeticus 437

THESARIUS (1)

* THES. 1 *Præsenti statui naturæ lapsæ et reparatæ sacramenta conveniunt.* 9
* THES. 2 *Etiam in V. T. — 1 erant quædam sacramenta; — 2 eis tamen sacramenta N. L. efficaciâ præstant* 10
THES. 3 *Sacramenta N. L. — 1 sunt septem, — 2 inæqualia effectu, dignitate, necessitate et usu* 12
* THES. 4 *Sacramenta N. L. — 1 duplici veluti elemento constant, scil.* rebus *et* verbis, *— 2 tamquam* materia *et* forma 17
THES. 5 *— 1 Ex Scriptura et — 2 ex Patribus constat sacramenta N. L. esse veras causas efficientes gratiæ, — 3 quam instrumentaliter producunt* 21
* THES. 6 *Illud quod primo et per se efficiunt sacramenta — 1 est* res et sacramentum; *eorum ergo causalitas respectu gratiæ — 2 non est physica, — 3 neque meritoria, sed — 4 disponens* 28
* THES. 7 *Gratia* sacramentalis *— 1 accidentaliter tantum differt a* communi, *— 2 cui superaddit specialia auxilia uniuscujusque sacramenti propria; — 3 distinctio autem gratiæ* primæ *et* secundæ *extrinseca*

(1) Theses quæ asterisco obsignantur minoris sunt momenti, et si necesse fuerit, præteriri poterunt.

est reputanda, unde sacramenta vivorum aliquando gratiam primam *per accidens possunt conferre* 33

THES. 8 *Quædam sacramenta — 1 imprimunt in anima signum aliquod spirituale et indelebile, quod vocatur character: — 2 tria autem sunt sacramenta characterem imprimentia, scil. baptismus, confirmatio et ordo* 38

THES. 9 *Sacramentorum — 1 auctor principalis est Deus; potestate vero excellentiæ omnia sacramenta N. L. — 2 a Christo — 3 immediate sunt instituta* 44

* THES. 10 *Minister principalis sacramentorum N. L. est Christus* . . 50

THES. 11 *Non quilibet homo est minister* validus *omnium sacramentorum, sed — 1 qui rite ordinatus, — 2 actionem sacramentalem ponit cum* intentione *— 3* interna *faciendi quod facit Ecclesia* 51

THES. 12 *Valor et fructus sacramenti non pendent — 1 a bonitate ministri, — 2 neque ab ejus fide; — 3 ut tamen sacramentum licite conferatur, minister ordinarius in statu gratiæ esse debet* 54

THES. 13 *— 1 Ad sacramenti* valorem *in adultis requiritur intentio suscipiendi; — 2 ad* fructum *vero sunt necessariæ nonnullæ dispositiones, — 3 quibus gratia sacramenti commensuratur* 61

* THES. 14 *Sacramenta valida et informia, remoto obice, reviviscunt* . . 64

* THES. 15 *Sacramentalia, etsi — 1 legitime ab Ecclesia instituta, — 2 non sunt causa spiritualium bonorum* 67

* THES. 16 *Sacramentalia per modum impetrationis valent ad repellendos dæmones, ad assequendam remissionem peccatorum pœnarumque hujus et futuræ vitæ, et ad obtinenda plura bona temporalia et spiritualia* 68

THES. 17 *Baptismus — 1 est verum et proprie dictum sacramentum N. L., — 2 cujus minister* ordinarius *est episcopus vel parochus,* deputatus *sacerdos,* extraordinarius *diaconus, et* validus *quilibet homo a suscipiente distincto* 76

* THES. 18 *Materia — 1* remota *baptismi est aqua naturalis, — 2* proxima *ablutio, — 3 etiam sola infusione vel aspersione effecta, —* 4 forma *autem sunt verba: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus S.* 79

THES. 19 *Baptismus — 1 est omnibus necessarius ad salutem, unde etiam 2 parvulis potest et debet conferri* 84

THES. 20 *Baptismus fluminis potest baptismo flaminis et sanguinis suppleri.* 86

THES. 21 *Confirmatio est verum sacramentum N. L. a baptismo distinctum.* 91

* THES. 22 *Sacramenti confirmationis — 1* materia remota *est chrisma ab episcopo benedictum, — 2* proxima *chrismatis unctio, facienda in fronte baptizati, necnon — 3 manus impositio; — 4* forma *vero sunt verba: Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* 95

* THES. 23 *Minister* ordinarius *confirmationis est episcopus,* extraordinarius *vero quilibet sacerdos specialiter delegatus a R. P.* 98

THES. 24 *Realis præsentia Christi in Eucharistia constat ex capite* **6** *Joannis.* 108

THES. 25 *Christi vera præsentia in Ss. Sacramento evincitur verbis institutionis, quæ prostant in Matth.* **26**, *Marc.* **14**, *Luc.* **22**, *1 Corinth.* **11**. 111
THES. 26 *Realem Christi præsentiam sub speciebus — 1 multimode testantur Patres — 2 etiam antiquissimi* 114
* THES. 27 *Realis præsentia Christi in Ss. Sacramento — 1 miraculis quoque probatur, et — 2 suadetur congruentiis rationis* 118
THES. 28 *Sub speciebus panis et vini Christus fit præsens* transsubstantiatione *seu conversione totius substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Domini* 125
* THES. 29 *Facta transsubstantiatione, — 1 nihil manet de substantia panis; — 2 non* materia, *non* forma, *non* natura, *quæ* companatione, *vel* ubiquitatis titulo, *vel aliquo alio modo uniantur corpori et sanguini Christi* 128
* THES. 30 *Transsubstantiatio non explicatur — 1 productione vel — 2 adductione corporis Christi, sed — 3 vera et proprie dicta conversione ipsius substantiæ panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Domini* 131
THES. 31 *Facta transsubstantiatione, species panis et vini immutatæ manent.* 135
* THES. 32 *Facta transsubstantiatione, accidentia panis et vini — 1 manent sine subjecto, et quidem ita ut — 2 cetera quantitati inhæreant* . 139
THES. 33 — *1* Vi verborum *sub specie panis est corpus Christi, et sub specie vini sanguis ejus; — 2* vi *autem* concomitantiæ *sub utraque specie totus Christus cum corpore, sanguine, anima et divinitate, — 3 imo cum suis dimensionibus et debita partium dispositione: — 4 facta autem specierum divisione, sub singulis partibus totus Christus consistit.* 142
* THES. 34 *Cum in Eucharistia Christus — 1 sit præsens ad modum substantiæ sub alienis accidentibus, ibidem — 2 non adest* localiter *et circumscriptive sicut corpus in loco, — 3 neque* definitive *sicut angelus in loco adæquato, — 4 neque* non definitive *eo modo quo Deus est ubique, — 5 sed modo quodam* mirabili *et* singulari, *proprio hujus sacramenti, scil.* sacramentaliter 151
THES. 35 *Cum Christus — 1 independenter ab usu seu sumptione permanenter adsit sub speciebus, certum est — 2 Eucharistiam non esse institutam pro sola Communione, sed etiam — 3 ut latriæ cultu adoretur* . 154
* THES. 36 *Eucharistiam — 1 conficere solus sacerdos valet, — 2 distribuere autem in casu necessitatis etiam diaconus potest* 156
THES. 37 *Eucharistiæ fructus — 1 non est remissio mortalium peccatorum, sed — 2 intima unio cum Christo per augmentum gratiæ sanctificantis* 158
* THES. 38 *Inter Eucharistiæ effectus recenseri debent: — 1 fidelium unio ac concordia, — 2 spiritualis animæ refectio, — 3 præservatio a mortalibus, — 4 remissio venialium, — gloriosa resurrectio, et — 6 spiritualis animæ dulcedo.* 161
THES. 39 *Ss. Communio — 1 non est de absoluta necessitate salutis; — 2 pro non sacrificantibus vero sub alterutra tantum specie sufficit* . 166
THES. 40 *Ss. Communio — 1 est necessaria ad perseverandum in justitia;*

et ideo — 2 omnes, cum ad discretionis ætatem veniunt, eam sumere tenentur. 168
* THES. 41 *Cum pro fructuosa Communione — 1 requiratur quidem status gratiæ et recta intentio, sed — 2 non sit necessaria eximia virtus, — 3 neque peculiaris fervor, — 4 frequens Communio omnibus viribus est promovenda* 169
* THES. 42 *Sacrificium, — 1 quod ad jus naturæ pertinet, et — 2 a primis temporibus oblatum est destructione rei sensibilis et præcipue animalis, — 3 definiri potest: Oblatio rei sensibilis, a sacerdote Deo facta, per realem vel mysticam ejus destructionem, legitime institutam ad recognoscendum supremum Dei dominium et nostram subjectionem* . 176
THES. 43 *Missam esse verum et proprium sacrificium N. L. constat ex ejus promissione, facta per Malachiam prophetam* 184
THES. 44 *Veritas sacrificii Missæ evincitur etiam — 1 ex verbis institutionis Eucharistiæ, et — 2 ex sacerdotio secundum ordinem Melchisedech, quod Scripturæ tribuunt Christo* 187
THES. 45 *Missam esse verum sacrificium — 1 docent Patres et — 2 suadet ratio* 189
* THES. 46 *Essentia Missæ — 1 in consecratione utriusque speciei consistit, — 2 formalis vero ratio sacrificii reponenda videtur in mystica separatione corporis a sanguine Christi quæ perficitur distincta specierum consecratione* 195
THES. 47 *Missæ sacrificium — 1 est latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium; potest autem offerri — 2 pro vivis atque — 3 defunctis, sicut etiam — 4 in honorem Sanctorum* 201
THES. 48 *Pœnitentia non est simplex mentis et consilii mutatio, sed — 1 animi dolor ac detestatio de peccato commisso, — 2 cum proposito non peccandi de cetero.* 226
THES. 49 *Pro remissione peccatorum pœnitentia est absolutæ necessitatis* . 227
* THES. 50 *Omnia peccata ante mortem possunt expiari* 228
THES. 51 *Attritionis dolor est — 1 supernaturale Dei donum, ideoque actus moraliter bonus; — 2 sine sacramento tamen in re suscepto non justificat* 230
THES. 52 *Contritio caritate perfecta — 1 justificat etiam ante sacramenti pœnitentiæ susceptione, — 2 etsi non sine sacramenti voto* . . 231
THES. 53 *Ex — 1 Matth.* **16**. *19 et — 2 Joan.* **20**. *21–3 invicte probatur existentia sacramenti pœnitentiæ — 3 a baptismo distincti* 236
THES. 54 *Sacramentum pœnitentiæ certum testimonium habet — 1 a Patribus sæc. 3 et deinceps, — 2 nec desunt sufficientia indicia apud priores Patres* 240
* THES. 55 *Potestas remittendi peccata vere est judicialis* 246
THES. 56 *Ad fructuosam sacramenti susceptionem non requiritur contritio perfecta, sed sufficit attritio* 250
THES. 57 *Jure divino — 1 requiritur peccatorum confessio ad sacramenti pœnitentiæ valorem, — 2 nec aliter quam sacramento pœnitentiæ obtineri potest remissio mortalium post baptismum commissorum* . 253

THES. 58 *Confessionis efficaciam et necessitatem — 1 multipliciter testati sunt Patres, et — 2 suo sigillo firmavit Deus* 255
THES. 59 *Publica peccatorum confessio non est necessaria, sed — 1 privata seu auricularis, — 2 quæ a primis jam temporibus usuvenit, suffit.* 258
* THES. 60 *Cum, — 1 remissa culpa, ordinarie non remittatur tota pœna temporalis peccatorum, — 2 ad integritatem sacramenti pœnitentiæ pertinere dicenda est satisfactio, quæ a sacerdote imponitur, quæque 3 licite post absolutionem impletur* 266
THES. 61 *— 1 Nullum est peccatum, quantumvis grave, quod sacramento pœnitentiæ nequeat relaxari; — 2 veniale autem et mortale jam remissum sunt materia sufficiens hujus sacramenti* 269
* THES. 62 *Effectus principalis sacramenti pœnitentiæ est — 1 gratia delens peccata, — 2 quam alii boni fructus comitantur* 227
* THES. 63 *In ministro pœnitentiæ requiritur ad valorem sacramenti — 1 potestas ordinis sacerdotalis et — 2 jurisdictio; — 3 ad licitam vero administrationem status gratiæ* 275
* THES. 64 *Est in Ecclesia — 1 satisfactionum Christi et Sanctorum infinitus thesaurus — 2 quem ipsa potest per indulgentias applicare vivis atque defunctis* 282
THES. 65 *Extremæ Unctionis sacramenti existentia — 1 vindicatur ex Jac.* 5. *14–5, — 2 demonstratur Traditione, atque — 3 suadetur ratione* . 287
* THES. 66 *Extremæ Unctionis* materia remota *est oleum olivæ ab episcopo benedicto et — 2* proxima *unctio sensuum, — 3* forma *vero deprecatio pro infirmo, optime expressa a Rit. Rom. verbis: Per istam sanctam unctionem etc.* 293
* THES. 67 *Extremæ Unctionis — 1* subjectum *est adultus, baptizatus et graviter infirmus, — 2* minister *est sacerdos rite ordinatus, — 3* fructus *vero* principalis *est corroboratio infirmi per infusionem gratiæ, et* secundarius *remissio peccatorum, necnon sanitatis restitutio* . 295
THES. 68 *Ordinem seu sacram ordinationem esse verum et proprie dictum N. L. sacramentum — 1 docet Scriptura, — 2 testantur Patres et — 3 suadet ratio* 304
THES. 69 *— 1 Subdiaconatus et quatuor ordines minores probabilius sacramenta non sunt; — 2 diaconatus vero, presbyteratus et episcopatus veram sacramenti ordinis rationem habent, atque — 3 ex divina institutione diverso potestatis gradu distinguuntur* 311
* THES. 70 *Sacramenti ordinis — 1* materia *essentialis sola manuum impositio esse videtur, — 2* forma *vero est oratio quam manus imponendo profert episcopus* 319
* THES. 71 *— 1* Minister *sacramenti ordinis est solus episcopus, — 2* subjectum *baptizatus masculini sexus, — 3* effectus *vero gratia sanctificans et character* 320
* THES. 72 *Matrimonium ut naturæ officium — 1 res est bona; — 2 ipsi tamen præstat status virginitatis et cœlibatus, — 3 maxime cum de clericis agitur* 329
THES. 73 *Matrimonium christianorum esse unum ex septem sacramentis N. L. — 1 innuit Scriptura, — 2 testantur Patres et — 3 suadet ratio.* 334
THES. 74 *Sacramentum matrimonii — 1 a contractu maritali re non distinguitur; ergo — 2 contractus mere civilis nullus est apud christianos.* 338

* THES. 75 Materia *sacramenti matrimonii est traditio corporum contrahentium, — 1* forma *vero eorum acceptatio in ordine ad generationem prolis aliquo externo signo expressa; — 2* ministri *sunt ipsi contrahentes: — 3 in* subjecto *autem præter personarum legitimitatem requiritur in utroque conjuge baptismus et voluntas contrahendi verum matrimonium.* 341

* THES. 76 *Polygamia — 1* successiva *licet,* simultanea *vero, — 2 etsi non repugnet proprietatibus primi ordinis, ac proinde in V. T. fuerit permissa, — 3 obstat tamen dignitati sacramenti et in matrimonio christiano nullatenus dari potest* 345

THES. 77 *Divortium* imperfectum *— 1 pluribus de causis licet;* vinculum *vero conjugale — 2 in matrimonio* legitimo *solvitur privilegio Paulino, — 3 in* rato *solemni professione religiosa alterius conjugis vel dispensatione R. P., — 4 in* rato et consummato *nonnisi morte conjugis; unde lex, quam dicunt divortii, intrinsecus mala est et nullius prorsus efficaciæ* 347

THES. 78. *Ecclesia habet — 1 veram potestatem, — 2 a Statu prorsus independentem, statuendi impedimenta etiam dirimentia matrimonium* . 356

* THES. 79 *Status civilis — 1 nullum jus habet in matrimonium christianorum; — 2 potest tamen leges ferre de his quæ matrimonium consequuntur* 358

THES. 80 *Morte — 1 anima penitus a materia separatur, — 2 alteramque vitam ingreditur, — 3 cujus nullum est cum præsenti naturale commercium* 365

* THES. 81 *Futuræ vitæ status immutabilis est* 369

THES. 82 *In mortis momento anima — 1 judicatur — 2 a Christo* . . 374

THES. 83 *In fine mundi mortui — 1 resurgent — 2 in numerica identitate corporis hujus vitæ* 379

* THES. 84 *Resurrectionis proprietates sunt — 1 supernaturalitas et — 2 universalitas* 383

THES. 85 *In fine mundi omnes simul a Christo judicabuntur* . . . 390

THES. 86 *Decedentes — 1 in peccato quovis mortali damnantur ad infernum, cujus pœna — 2 non constit in sola peccatoris derelictione, — 3 sed acerbissimos cruciatus comprehendit, — 4 maxime vero ignem verum et physicum* 395

THES. 87 *Damnati — 1 in æternum cruciabuntur, — 2 quin umquam eorum pœnæ mitigentur* 400

THES. 88 *Purgatorium — 1 vere existit, et — 2 animæ in eo detentæ vivorum suffragiis juvantur* 409

THES. 89 *Sanctorum præmium — 1 est ipse Deus, qui a beatis possidetur — 2 visione intuitiva, — 3 amore et — 4 gaudio* 416

* THES. 90 *Beatifica visio, quæ — 1 animabus mundis statim confertur, — 2 inæqualis est, — 3 æterna et — 4 supernaturalis* . . . 419

* THES. 91 *Licet paradisus primarie sit* status *æternæ felicitatis, secundarie est* locus *quidam determinatus* 426

* THES. 92 *Beatitudinis essentia — 1* formaliter *reponenda est in visione Dei, — 2* integratur *autem multitudine innumerabilium bonorum* . . 427

TRACTATUS XII.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

1. **Prologus.** *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* [1]. Voluntatem Patris obsecutus [2], Christus *una oblatione consummans sanctificatos* [3], *redemit nos de vana conversatione paternæ traditionis* [4] gratiâ, qua *clamamus Abba Pater* [5]. Verum quomodo gratia et veritas, quæ per Christum facta est [6], ad nos usque pervenit? Profecto Deus, qui sine Mediatore poterat remittere peccata nosque in originalis justitiæ statum restituere [7], multimode valebat in Christo reconciliare quæ in terris et quæ in cœlis sunt [8]; ut tamen opus salutis esset simul donum et præmium, statuit per sacramenta salvos facere credentes; *nisi* enim *quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei* [9]. Merito ergo doctrina de *œconomia salutis* expletur tractatu *de Sacramentis* quem, juxta communem distinctionem, dispescimus in trac. de sacramentis *in genere* et *in specie;* in primo explicantes quæstiones quæ omnia sacramenta respiciunt, in altero declarantes quæ singulorum sacramentorum sunt propria. Porro generales quæstiones respiciunt *naturam, effectum* et *causam* sacramentorum; primum ergo tractatum distinguimus in tria capita: — 1 *de sacramentorum natura,* — 2 *de effectu sacramentorum,* — 3 *de sacramentorum causis.*

---

1 Gal. 4. 4-5.
2 Joan. 5. 30.
3 Hebr. 10. 14.
4 1 Petr. 1. 19.
5 Rom. 5. 15. coll. 8. 15.
6 Joan. 1. 17.
7 Vol. 3 n. 8.
8 Colos. 1. 8.
9 Joan. 3. 5.

CAPUT I.

De sacramentorum natura.

2. **Capitis divisio.** *Natura* est primum operationis principium, quod potest considerari in se, seu secundum propria constitutiva, et in ordine ad terminum, h. e. in operatione quæ ab agente procedit: hinc divisio capitis in quinque articulos: 1 *Notiones præviæ,* — 2 *de sacramentorum numero,* — 3 *deque eorum constitutivis,* — 4 *efficacia, et* — 5 *intima causalitate.*

ART. 1. - NOTIONES PRÆVIÆ.

3. **Quid sacramentum.** *Sacramentum,* græce μυστήριον, etymologice dicit rem sacram seu *divinam,* ac proinde *occultam,* siquidem Deus, qui in altissimis habitat [1], propria cognitione a nobis non non attingitur [2]. Licet autem in Scripturis [3] et apud Patres [4] quælibet res sacra et occulta dicatur sacramentum, speciali tamen ratione hoc nomen effertur de *signo* rei sacræ [5], et ab Ecclesia propriissima significatione adhibetur de ritu sacro a Deo instituto pro nostra sanctificatione, quem CONC. TRID. dicit « symbolum rei sacræ et invisibilis gratiæ formam visibilem » [6], et theologi cum S. THOM. solent definire « signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines » [7], seu clarius *signum symbolicum, cæremoniale et practicum sanctificationis hominis.*

4. **Sacramenti definitio explicatur.** SIGNUM est « res, præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex sese faciens in cognitionem venire » [8]; unde de ratione signi est *a*) quod consistat in realitate aliquo modo *sensibili* (v. g. lavacrum, unctio, etc.) et non pure spirituali, ut esset anima vel gratia; *b*) quod directe *terminet cognitionem,* et non sit,

---

[1] Ps. **122**. 1.
[2] Job **36**. 25.
[3] Sap. **2**. 22; Matth. **13**. 11 *græc.;* 1 Corinth. **4**. 1 *græc.;* Ephes. **1**. 9; **3**. 3, 9; Colos. **1**. 27; 1 Tim. **3**. 16.
[4] TERTUL. *Præsc.* c. 20.
[5] Dan. **2**. 19; Ephes. **5**. 32; Apoc. **17**. 5; AMBR. *De Sacr.* I c. 4 sqq.; AUG. *De Civ. Dei* X c. 5; *epist.* 138 n. 7.
[6] CONC. TRID. sess. 13 c. 3.
[7] S. THOM. 3 p. q. 60 a. 2.
[8] AUG. *De Civ. Dei* X c. 5.

sicut species intellectiva, medium tantum subjectivum illius; et *c*) quod *ducat in cognitionem alterius* ratione nexus quo ei vincitur [9]. Cum nexus hujusmodi est intrinsecus, ac proinde independens ab hominum determinatione, signum dicitur *naturale;* cum pendet ab hominum consensu, *conventionale;* quod subdividitur in *artificiale* et *symbolicum* prout res assumpta nullam habet proportionem cum re significata, vel cum ea analogice convenit [10]. — Signum CÆREMONIALE est actus externus cultus Dei « qui quidem cultus, inquit S. THOM., *cæremonia* vocatur, quasi munia, i. e. dona *Cereris,* quæ dicebatur dea frugum, eo quod primo ex frugibus oblationes Deo offerebantur; sive, ut Maximus Valerius refert, nomen cæremoniæ introductum est ad significandum cultum divinum apud latinos a quodam oppido juxta Romam, quod *Cære* vocabatur eo quod, Roma capta a Gallis, illic sacra romanorum oblata sunt et reverentissime habita »[11]. — Signum PRACTICUM pertinet ad genus signorum conventionalium, quæ scil. ex hominum consensu assumuntur uti instrumenta mentis ad manifestationem suorum conceptuum: si conceptus manifestandi sunt speculativi tantum, et consequenter signa adhibentur uti instrumenta intellectus ad patefaciendam suam cognitionem, signum dicitur *speculativum;* si conceptus manifestandi sunt practici, et signum assumitur uti instrumentum intellectus et voluntatis ad aliquid efficiendum, signum dicitur *practicum* [12]. — Vox SANCTIFICATIONIS propriam rationem sacramenti attingit; *sanctitas* enim « dicitur per quam mens hominis se ipsam et suos actus applicat Deo »[13]; unde sacramentum est signum sanctificationis quatenus hominem applicat Deo, et hoc quidem non

---

9 V. g. *fumus* est signum *ignis,* quia nexu causalitatis ducit in cognitionem ejus.

10 V. g. *vestigium* in nive impressum, est signum *naturale* leporis, quæ transiit; *vocabula* et *notæ musicales* sunt signa *artificialia* conceptuum et harmoniæ; *cor,* quod affectus animi resonat, est *symbolum* amoris,

11 S. THOM. 1–2 q. 99 a. 3. AUG. *Retr.* II c. 37 cæremoniam a *carendo* derivat, prout observantes legem cæremonialem V. T. a pluribus cibis vetitis abstinebat.

12 « Conceptio animæ, inquit S. THOM. *IV Dist.* 8 q. 2 a. 1 s. 4 ad 1, duobus modis se habet. Uno modo ut repræsentatio rei tantum, sicut est in omnibus cognitionibus acceptis a rebus; et tunc veritas conceptionis præsupponit entitatem rei, sicut propriam mensuram... Alio modo conceptio animæ non est repræsentativa rei, sed magis præsignativa, sicut exemplar factivum, sicut patet in scientia practica quæ est causa rei; et veritas hujus conceptionis non præsupponit veritatem rei, sed præcedit ipsam naturaliter quasi causa, etsi simul sit tempore ». Primo conceptui respondet signum speculativum, altero practicum, ut est *lex* quæ onus imponit, et *nota investituræ* qua confertur potestas judicialis vel coactiva, etc.

13 S. THOM. 2–2 q. 81 a. 8.

solum ab *extrinseco* ratione officii, professionis religiosæ, etc., sed etiam ab *intrinseco* prout homo gratiâ conjungitur Deo et charactere deputatur ad cultum divinum. — Ultimum verbum signat subjectum; sacramenta enim non sunt instituta pro animalibus irrationalibus, vel pro angelis, vel pro animabus separatis, sed pro HOMINIBUS qui, hanc vitam degentes, anima et corpore constant [14].

5. **Definitionis propositæ convenientia.** Sacramenta esse SIGNA, constat ex eorum inductione et fine: *inductione*, quia sacramenta producunt gratiam quam significant, imo significando efficiunt; *fine*, quia sacramenta sunt instituta ut homo per sensibilia ad intelligibilia manuducatur; non potest autem unum in aliud ducere, nisi illud repræsentet seu sit ejus signum. — Ex eodem fine sequitur sacramenta esse signa SYMBOLICA, ut enim homo quasi per exemplum et similitudinem sacramento illuminetur de re spirituali, res, quæ in signum gratiæ assumitur, ab ea penitus aliena esse nequit, sed analogica quadam proprietate eidem convenire debet. — Sunt signa CÆREMONIALIA, quia, ut ipsum nomen indicat, pertinent ad cultum Dei publicum. — Sunt signa PRACTICA, quia sacramenta N. L. gratiam producunt, sacramenta vero V. T. inducebant externam et legalem justificationem. — Sunt signa SANCTIFICATIONIS, quia sacramenta N. T. gratiâ nos Deo conjungunt et charactere ad divina deputant; sacramenta vero V. T., efficiebant *emundationem carnis* [15] seu justitiam externam, qua hebræi connumerabantur in populo Dei, et implicitâ professione fidei in futurum Redemptorem, per modum impletæ conditionis justificabantur [16]. — Subjectum sacramentorum sunt HOMINES, quia puri *spiritus* spiri-

---

[14] CATECH. ROM. P. 2 c. 1 n. 4 ex AUG. *De Civ. Dei* XIX c. 5 ait: « Sacramentum est *invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum* ». Hæc definitio ad nostram facile revocatur, siquidem priora verba *invisibilis gratiæ visibile signum,* idem valent ac *signum symbolicum et cæremoniale* cui addunt rem signatam, scil. gratiam, quam in nostra definitione exprimit vox *sanctificationis:* verba *ad nostram justificationem institutum* explicant efficaciam, quam sacramenta derivant ex institutione, quod in nostra definitione proponitur voce *practicum;* siquidem, ut infra patebit, *signum practicum sanctificationis* ex sola institutione divina vim justificandi habere potest.

[15] Hebr. **9**. 10; 13.

[16] Sacramenta V. T. fuisse *signa practica* seu efficientia exterioris sanctificationis negat VASQUEZ in 3 p. disp. 128 c. 5 n. 49 sqq., sed communissime affirmant. « *Sanctificatio,* inquit S. THOM. IV *Dist.* 1 q. 1 a 5 s. 1 ad 1, quandoque significat emundationem et confirmationem spiritualem, quæ fit per gratiam; et sic sacramenta V. L. non dicebantur

tualibus proficiunt, nec per sensibilia ad intelligibilia duci debent, *irrationalia* vero signorum usum non habent: hinc commune adagium: *sacramenta propter homines.*

6. **Duplex sacramentorum significatio.** Licet sacramentum primarie sit *signum practicum,* secundarie tamen est *speculativum* et quidem multipliciter. In nostra sanctificatione, inquit S. THOM., « tria possunt considerari: videlicet ipsa *causa* sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi, et *forma* nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia et virtutibus, et *ultimus finis* sanctificationis nostræ, qui est vita æterna. Et hæc omnia per sacramenta significantur. Unde sacramentum est et signum *rememorativum* ejus quod præcessit, scil. passionis Christi, et *demonstrativum* ejus quod in nobis efficitur per Christi passionem, scil. gratiæ, et *prognosticum,* i. e. prænuntiativum futuræ gloriæ »[17]. Porro nota significationem speculativam non esse independentem a practica, sed potius eam fundare; ut enim rem exemplis explicemus, in V. T. sacramenta, dum *speculative* revocabant Christum venturum, fidem in eum protestantes, conditionem implebant pro collatione gratiæ[18]; in N. autem T. *baptismus,* mortem Domini significando, confert gratiam qua morimur peccato ut Deo vivamus[19], et *matrimonium,* dum exprimit speculative unionem Christi cum Ecclesia[20], practice confert gratiam qua supernaturali dilectione conjuges prædictam unionem repræsentant[21].

7. **Historia dogmatis**[22]. Ut taceamus de MANICHÆIS qui, sensibilia tribuentes principio malo, sacramenta non habebant uti principia salutis, et fere ex integro respuebant[23], prima quæstio de re sacramentaria est agitata **sæc. 3,** cum CYPR., prædecessorem suum AGRIPPINUM[24] secutus, in *Syn. Carth.* (a. 355), consentientibus 31 episc., statuit « neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, et ideo baptizandus est et innovandus,

---

sacramenta nisi *quasi signa sanctificantium...;* alio modo sanctificatio importat mancipationem alicujus ad aliquod sacrum; et sic dicebantur sacramenta, et *quasi sanctificantia,* quia *per ea* fiebat quaedam idoneitas ad sacros usus et in templo et in vasis et in ministris et in populo ».

17 S. THOM. 3 p. q. 60 a. 3; LITURG. *O sacrum convivium.*

18 Hinc S. THOM. 3 p. q. 70 a 4 docebat quod « ab omnibus communiter ponitur quod in circumcisione peccatum originale remittebatur ». Cf. AUG. *De nupt. et conc.* II c. 11; BILLOT I p. 129-30; TEPE *De Sacr.* n. 82-5.

19 Rom. **6.** 3 seqq.

20 Ephes. **5.** 22-32.

21 BILLOT II p. 326.

22 Ne nimia simul congerantur, quæstiones spectantes ad materiam et formam singulorum sacramentorum ad tractatus de singulis sacramentis remittimus.

23 HERGENR. *St. d. Ch. Un.* I p. 378.

24 Decretum de rebaptizandis hæreticis ab AGRIPPINO datum est a. 230-5.

qui... foris tinctus est »[25]; licet enim Cypr. quæstionem de rebaptizandis disciplinarem haberet[26], revera ad dogma de requisitis in ministro sacramentorum pertinebat. Cypr. reprobatus a R. P. *Steph. I,* quem pro confirmatione invocaverat[27], fautorem nactus est FIRMIL. ep. Cæs., impugnatus autem est ab *Euseb., Hier., Aug., Vinc.* Lir., ejusque doctrina est damnata in *Conc. Arel. I* (a. 314), *Nicæn.* (a. 325), *Carthag.* (a. 348), *Laod.* (a. 364), *Arel. II* (a. 452) etc. ac tandem in *Trid.* (a. 1547)[28]. Quod Cypr. sæc. 3 de *fide* docuerat, **sæc. 4** DONATISTÆ ad *sanctitatem* ministri extendere voluerunt[29], sed strenue impugnati sunt ab AUG., qui inde occasionem accepit disserendi de *charactere* a tribus sacramentis collato, etiam quando gratia ex malitia dantis vel suscipientis impeditur. Donatistarum error, renovatus a WALDENSIBUS[30], proscriptus est in *Conc. Trid.*[31]. **Sæc. 9** *de subjecto sacramenti* erravit GOTHESCALCUS dicens sacramenta solis prædestinatis utilia ; impugnatus est ab *Hicmaro* et damnatus in *Syn. Mogunt.* (a. 848)[32]. **Sæc. 12** cum CATHARI ex Manichæorum principiis de sensibilium malitia, sacramentorum existentiam negarent[33], *Scholastici,* ducibus *P. Lombardo, B. Alano, A. Halense, Alb. Magno, S. Thoma* et *Bonaventura,* non solum ex fidei documentis, sed congruentiis rationis, deductis ex analogia cum vita corporali et ex sacramentorum fine qui est removere vitia et fovere virtutes, eorum numerum septenarium vindicarunt[34]. Catharorum hæresis, a Reformatoribus renovata, proscripta est in *Conc. Trid.*[35]. **Sæc. 13-4** SCHOLASTICI, sicut ceteras theologiæ partes illustrarunt, ita de sacramentorum natura disseruerunt, quæstiones agitantes de eorum constitutivis, causalitate et immediato auctore. *Quoad* sacramentorum *constitutiva* seu partes essentiales, communissime contra DURANDUM[36] ea constare dixerunt duobus elementis, *rebus* scil. et *verbis,* tamquam *materia* et *forma,* eorumque sententia est firmata in *Conc. Flor.* et *Trid.*[37]:

---

[25] CONC. CARTH. apud *Cypr.* ep. 70 n. 1–2.

[26] HERGENR. I. p. 358 not.; NAT. ALEX. sæc. 3 diss. 12 a. 4.

[27] STEPH. I *Decr. de rebapt.* respondit: « S. q. de quacumque hæresi venerit ad vos, nil innovetur (scil. sacramentum non iteretur), nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam ».

[28] DENZINGER n. 16, 19-20, 21,741.

[29] HERGENR. II. p. 166.

[30] Apud PESCH *De Sacram.* I n. 247 **NB.** Inter catholicos eumdem errorem renovarunt *sæc. 12* Card. DEUSDEDIT nulla reputans sacramenta collata a simoniacis, et *sæc. 15* quidam e scholasticis respuentes sacramenta data a concubinis. HERGENR. IV p. 452; V p. 342.

[31] CONC. TRID. sess. 7 cn. 12.

[32] HERGENR. III p. 188-9.

[33] BOGOMILES omnia sacramenta respuebant, CATHARI nomine tenus habebant *baptismum.* HERGENR. IV p. 228, 231, 233, 264.

[34] SCHOLASTICORUM argumenta explicabimus in probatione thesium.

[35] CONC. TRID. sess. 7 cn. 1.

[36] Apud *Pesch* n. 31.

[37] CONC. FLOR. Decr. *pro Armenis;*

quod modum efficientiæ, THOMISTÆ pro physica causalitate dimicarunt, SCOTISTÆ pro morali [38], DURANDUS vero eo progressus est, ut sacramenta diceret conditiones *sine quibus non* [39]; licet autem Ecclesia hanc quæstionem undequaque non solverit, veram tamen causalitatis naturam contra Reformatores in *Conc. Trid.* firmavit [40]: *quoad auctorem,* ut differentiam inter ecclesiam latinam et græcam de modo administrandi confirmationem et ordinem componerent, quidam dixerunt Christum quædam sacramenta solum mediate instituisse [41], sed hoc saltem implicite reprobatum est in *Conc. Trid.* [42]. **Sæc. 16** multipliciter contra sacramenta peccarunt REFORMATORES; cum enim justitiam ex sola fide deducerent, post SOCINIANOS, qui sacramenta habebant pro *symbolis* puritatis [43], causalitatem sacramentorum aggressi sunt: LUTHERANI dixerunt *sigilla* confirmantia promissionem nostræ justitiæ [44], ZWINGLIANI *signa* quibus fideles propriam fidem manifestant [45], CALVINISTÆ *occasionem* sanctificationis electorum [46]. Ex eodem principio de sola fide justificante, pronum fuit sacramentorum *æqualitatem* affirmare [47] et *necessitatem* impetiri [48], necnon *potestatem administrandi* ad omnes extendere [49], *intentionemque ministri* supervacaneam prædicare [50]: cum vero in Scripturis, quæ pro unico revelationis fonte habebant, non invenirent doctrinam de charactere et de numero septenario sacramentorum, *characterem* quasi inventionem Inn. III respuerunt [51], sacramenta vero reduxerunt ad *quinque* [52], vel ad

---

CONC. TRID. sess. 14 cp. 2.

[38] HERGENR. IV p. 417. Causalitatem *physicam* defendunt CAJET., SUAREZ, VALENTIA, *moralem* VASQUEZ, LUGO, LESSIUS apud *Pesch* n. 152; BILLOT *De Sacr.* I p. 72 seqq.

[39] HERGENR. V. p. 69.

[40] CONC. TRID. sess. 7 cn. 6.

[41] Sic opinati sunt HUGO a S. Vict.; P. LOMB., A. HALENS., BONAV. apud *Hergenr.* IV p. 441: *De August.* I p. 2 a. 1.

[42] CONC. TRID. sess. 7 cn. 1 coll. sess. 14 cn. 1.

[43] HERGENR. VI p. 410.

[44] HERGENR. VI p. 34.

[45] HERGENR. VI p. 88.

[46] HERGENR. VI p.178–9. **NB.** Hunc errorem renovarunt *sæc. 20* MODERNISTÆ dicentes « sacramenta eo tantum spectare ut in mentem hominis revocent præsentiam creatoris semper beneficam ». DECR.. *Lament.* pr. 41. In *Il Programma* p. 111 vocant sacramenta « il ricordo perenne dell' opera redentrice ».

[47] LUTH. et CALV. apud *Bellarm.* De Sacr. II c. 28.

[48] Negabant necessitatem ipsius baptismi. Cf. DE AUGUST. *De Bapt.* a. 5; HERGENR. VI p. 45, p. 409, VII p. 839,

[49] LUTHER. potestatem ministerialem ad ipsos dæmones extendit, dicens *(De Missa* c. fin): « Si diabolus venerit, et ego postea rescirem diabolum in ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse missam... cogeremur fateri sacramenta non esse inefficacia, sed verum baptisma... etc. ».

[50] Cf. DE AUGUST. *De Sacr.* p. 2 a. 8.

[51] WICLEF. *Trialogi* IV c. 5; CALV. *Antid. conc.* sess. 7 c. 9; KEMNITIUS in 2 p. *Exam.* p. 129 etc. apud *Bellar.* De Sacr. II. c. 18.

[52] MELANCHTHON agnovit *Bapt., Pœnit. Panem, Ord.* et *Matr.* Apud *Pesch* n. 67.

tres [53], imo ad *duo* [54]. Reformatores sunt impugnati a *Scholasticis* et maxime a *Cajetano, Eck, Emser, Bellarmino, Petavio* et *Suarez* [55], proscripti vero sunt in *Conc. Trid.,* quod sacramenta esse docuit causas gratiæ, septem numero, a Christo Domino instituta, non confici sine intentione faciendi quod facit Ecclesia et quædam esse de necessitate salutis [56]. Eodem sæc. 16 A. CATHARINUS sufficere æstimavit *intentionem externam* [57], sed ejus doctrina, communiter reprobata, saltem implicite est proscripta ab Alex. VIII [58]. **Sæc. 17.** BAPTISTÆ et QUAKERI, e Reformatorum agmine, omnia sacramenta quasi humana figmenta respuerunt [59]. **Sæc. 19** ROSMINI *characterem* dixit Verbum sub ratione entis realis animæ impressum [60], *subjectum* vero sacramentorum fecit etiam defunctorum animas, dicens Eucharistiam in vita futura administrari sanctis, qui sine ejus sumptione de hoc mundo exeunt [61]. **Sæc. 20** MODERNISTÆ ex immanentiæ et evolutionis principiis, dogma sacramentarium funditus everterunt, blaterantes numerum septenarium sæc. 12 non antecedere, nullum sacramentum esse institutum a Christo, baptismum vero et eucharistiam extitisse quidem tempore apostolico, sed illum fuisse merum aggregationis ritum in nomine Christi collatum, hanc vero simplicem commemorationem mortis Salvatoris [62]: Baptistas et Quakeros, in Catharis jam anathematizatos, iterum damnare necesse non fuit, Rosmini vero a *Leone XIII* [63] et Modernistæ a *Pio X* [64] sunt proscripti.

ART. 2. - DE SACRAMENTORUM NUMERO

8. **An sacramenta fuerint in statu innocentiæ.** Quoad *factum* cum communiori sententia negari debet [1], siquidem Scriptura et Traditio omnino silent, nec quidquam concluditur ex universalitate salvificæ voluntatis, cum sine sacramentis potuerit Deus justificare. Quoad convenientiam, contra SUAREZ [2], iterum negandum videtur, quia in statu innocentiæ

---

53 LUTHER. *Serm. de N. T.* n. 24 agnoverat septem sacramenta, sed *De Capt. Bab.* reduxit ad *Baptis., Pœn.* et *Panem,* et dein ad *Baptis.* et *Cœn.*

54 CALVINUS agnovit tantum *Baptismum* et *Cœnam.* QUAKERI sacramenta per abusum in Ecclesiam inductos dicunt. *Hergenr.* VII p. 142.

55 Cf. vol. 3 n. 287.

56 CONC. TRID. sess. 7 § *De Sacr.*

57 Apud *De August.* 1. c.

58 ALEX. VIII Decr. 7 *Dec.* 1690 pr. 28.

59 HERGENR. VII p. 142, 146,

60 Cf. Decr. *Post Obit.* pr. 28.

61 Cf. Decr. *Post Obit.* pr. 32.

62 Cf. vol. 1 n. 497; supra not. 46.

63 Decr. *Post Obitum.* 14 Dec. 1887.

64 Decr. *Lament.* 3 Jul. 1907; Enc. *Pascendi* 8 Sept. 1907; *Motu proprio* 1 Sept. 1910.

1 LUGO *De Sacr.* disp. 3 sect. 1 n. 5.

2 SUAREZ *De Sacram.* disp. 3 sect. 3 n. 4 sqq.

« superiora inferioribus dominabantur, et nullo modo dependebant ab eis; sicut enim mens subderat Deo, ita menti subderant inferiores animæ vires, et ipsi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam per aliquid corporale, quod fit sacramentis »[3].

9. **Errores-Veritas.** *Existentiam* sacramentorum ex Manichæorum principiis negarunt sæc. 12 CATHARI maxime BOGOMILES, quos secuti sunt MODERNISTÆ dicentes fidei evolutione paullatim esse inducta in Ecclesia: quoad *numerum* WALDENSES solum *Eucharistiam* receperunt, LUTHERUS, qui in initio apostasiæ septem esse fatebatur[4], dein tria tantum agnovit, scil. *Baptismum, Pœnitentiam, Panem,* MELANCHTHON admisit quoque *Ordinationem* et *Matrimonium,* ZWINGLIUS et CALVINUS duo, *Baptismum* scil. et *Cœnam:* MODERNISTÆ apostolicæ originis habent tantum *Baptismum* et *Eucharistiam,* septenarium numerum tribuentes scholasticis sæc. 12: quoad sacramentorum *excellentiam* REFORMATORES æqualitatem sunt professi[5]. **Veritas** definita est in CONC. TRID. quod de sacramentorum *existentia* et *numero* ait: « S. q. d., sacramenta N. L... esse plura vel pauciora quam septem... a. s. »: de *distinctione a sacramentis V. T.:* « S. q. d... N. L. sacramenta a sacramentis A. L. non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi; a. s. »: de *inæqualitate:* « S. q. d. hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; a s. »[6].

THES. 1. *Præsenti statui naturæ lapsæ et reparatæ sacramenta conveniunt.*

10. « *Prima* ratio sumenda est ex *conditione humanæ naturæ quod intellectum,* cujus proprium est ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia adducatur; pertinet autem ad divinam providentiam ut unicuique rei provideat secundum modum suæ conditionis: et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis quæ sacramenta dicuntur[7]. *Secunda* ratio sumenda est *ex statu*

---

3 S. THOM. 3 p. q. 61 a. 2.
4 LUTHER. *Serm. de N. T.* n. 24.
5 Supra n. 7.
6 CONC. TRID. sess. 7 cn. 1-3.
7 Etiam ante peccatum humana cognitio incipiebat a sensu; at cognitiones sensibiles non erant norma seu regula cognitionis intellectivæ, sed tantum ma-

hominis, qui peccando se subdit per affectum corporalibus rebus: ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit ut Deus per quædam corporalia signa homini medicinam adhiberet; nam si spiritualia nuda ei proponerentur, ejus animus applicari non posset, corporalibus deditus [8]. *Tertia* ratio sumenda est ex *studio actionis humanæ,* quæ præcipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad vitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu dæmonum, vel qualitercumque noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum »[9]. Sicut itaque contra idololatriam Deus providit incarnatione *Deum visibilem,* sic contra superstitionem dedit *ritus sacros* seu sacramenta.

THES. 2. *Etiam in V. T.* — 1 *erant quædam sacramenta;* — 2 *eis tamen sacramenta N. T. efficaciâ præstant.*

11. **Prima pars.** *Etiam in V. T. erant quædam sacramenta* [10]. Nam **Scripturæ** referunt cæremonias divinitus institutas ad emundationem carnis et consecrationem hominis ad cultum Dei; in hoc autem ratio sacramenti consistit [11]. **Patres** non solum existentiam sacramentorum V. T. testantur, sed eorum naturam explicantes, docent cum AUG. quod « sacramenta N. T. dant salutem; sacra-

---

teria; intellectus enim, apprehensa re, statim et sine errore quidditatem ac perfectiones ejus percipiebat. Post peccatum cognitio non solum *incipit,* sed *pendet* a sensu; siquidem originali culpa ita intellectus obnubilatus est, ut magnis tantum difficultatibus, nec sine errore intelligibilia percipiat. Hinc homini lapso sensibilia sunt *regula* et norma veritatis vel falsitatis, prout eis manuducitur ad intelligibilia. Ex hac *dependentia* intellectus a rebus sensibilibus, et non ex necessitate cognitionis sensibilis, procedit ratio S. Thomæ.

[8] Hoc argumentum potest sumi *ex parte Dei* qui, ut ait IREN. *Adv. hær.* III c. 22, voluit *retorsione* quadam solvere quod erat ligatum; unde hominem qui ad inferiora descenderat, ex inferioribus salvare dignatus est.

[9] S. THOM. 3 p. q. 61 a. 1.

[10] Præter sacramenta legalia theologi agnoscunt *sacramentum naturæ,* quo (forte precibus parentum) justificabantur ante Legem circumcisionis omnes pueri, post illam puellæ.

[11] *Circumcisionem* (Gen. **17.** 14) fuisse sacramentum V. L. omnes tenent; an vero essent sacramenta cæremoniæ consecrationis sacerdotum (Exod. **29** et Lev. **28**) et purificationes legales (Lev. per totum) disputant. Cf. DE AUG. *th.* 2 p. 17 seqq.; PESCH n. 44 seqq.

menta V. T. promiserunt Salvatorem »[12]. **Rationes** desumuntur ex sacramentorum *fine*, siquidem cuilibet *statui naturæ lapsæ* congruit ut homo per sensibilia ad spiritualia manuducatur, et ex speciali *conditione populi Israël*, qui sacramentis, quasi macerie divisionis, debuit secerni ab ethnicis[13], doceri de propria infirmitate, et præparari ad Christi adventum. « Per incrementa temporum, inquit S. THOM., et peccatum cœpit in homine magis dominari in tantum, quod, ratione hominis per peccata obtenebratâ, non sufficerent homini ad recte vivendum præcepta legis naturæ, sed necesse fuit determinari præcepta in lege scripta, et cum his quædam fidei sacramenta. Oportebat etiam, quod per incrementa temporum magis explicaretur cognitio fidei... Et ideo etiam necesse fuit quod in V. L. quædam sacramenta fidei, quam habebant de Christo venturo, determinarentur »[14].

12. **Secunda pars.** *Sacramenta N. L. præstant sacramentis V. T.* Nam *a*) omnia sacramenta vim habent a Christo, siquidem *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*[15], juxta illud Joan.: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*[16]: atqui sacramenta N. T. magis pertinent ad Christum, a quo sunt instituta, quam V. T. quæ illum tantum præsignificabant: ergo. *b*) Nam sacramenta V. L. non continebant nec causabant gratiam, sed erant *infirma et egena elementa*[17], umbra sacramentorum N. L.[18], quæque inquinatos sanctificabant ad emundationem carnis, non spiritus[19], unde sanctificabant tantum *indirecte*, prout erant protestationes fidei in futurum Redemptorem. « Per fidem, inquit S. THOM., justificabantur antiqui Patres, sicut et nos; Sacramenta autem V. L. erant quædam illius fidei protestationes, inquantum significabant passionem Christi et effectus ejus. Sic ergo patet quod sacramenta V. L. non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam justificantem; sed solum significabant fidem per quam justificabantur »[20]. *c*) CATECH. ROM.

---

12 AUG. in *Ps.* **73.** n. 2; *C. Faust.* XIX c. 13; DIONYS. *De Eccl. Hier.* c. 5 n. 2; AMBP. in *Ps.* **38** n. 25.

13 Ephes. **2.** 14.

14 S. THOM. 3 p. q. 61 a. 3.

15 Rom. **5.** 18.

16 Joan. **1.** 17.

17 Gal. **4.** 9.

18 Hebr. **10.** 1.

19 Hebr. **9.** 13.

20 S. THOM. 3 p. q. 62. a. 6. **NB.** Si qua similitudine proposita doctrina esset

etiam ex meliori determinatione materiæ et formæ desumit excellentiam sacramentorum N. L.; siquidem in sacramentis V. T. « administrandis nulla, quoad quidem acceperimus, definita forma erat quæ servaretur, quo etiam fiebat ut incerta admodum et obscura essent: nostra vero formam verborum ita præscriptam habent, ut, si forte ab ea discedatur, sacramenti ratio constare non possit » [21]: atqui melior determinatio et distinctio sacramentorum majorem efficaciam ipsorum ostendit, siquidem sacramenta *significando* causant: ergo.

THES. 3. *Sacramenta N. L.* — 1 *sunt septem,* — 2 *inæquales effectu, dignitate, necessitate et usu.*

13. **Prima pars.** *Sacramenta N. L. sunt septem.* Nam in **Scripturis,** ut infra videbimus, *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo* et *Matrimonium* exhibentur uti signa practica gratiæ: atqui signum practicum gratiæ est sacramentum: ergo. — In **Patribus** *a*) singula sacramenta, ut suis locis ostendemus, habent testimonium: quod si numerus septenarius expresse ante sæc. 12 [22] non occurrit, partim tribuendum est legi arcani [23], partim vero securitati dogmatis [24] et forte ambiguitati vocis [25], nullo autem modo ignorantiæ doctrinæ, quæ sine contro-

---

explicanda, dicerem sacramenta N. L. *nummum aureum* gratiæ pretium continentem; V. L. *nummum chartaceum* ex sola conventione aliquid valentem: vel cum CARD. PALLAV. *Hist. Conc. Trid.* IX c. 4, sacramenta V. L. *ranas* in paludibus coaxantes, quæ significant pluviam a venturis nubibus effundendam; sacramenta N. L. *nubes* pluviam continentes et effundentes.

[21] CATECH. ROM. *De Sacr.* c. 1 n. 17.

[22] HERGENR. IV p. 440. **NB.** Pro septenario numero sacramentorum quidam adducunt canonem Conc. Sonnacii (sæc. 7), sed de ejus authentia dubitatur. Cf. PESCH n. 70.

[23] *Legem arcani* saec. 3 testantur TERT., ATHEN., CLEM. Alex. et ORIG. sed esse antiquiorem et apostolicæ originis, non solum inde constat quod supradicti auctores, eam exhibent uti statutum antiquum *(Herg.* I. p. 381), sed quia idem innuunt ABERCIUS, IREN., et DIDACHÈ *(P. Syxt.* Not. Arch. II p. 2 p. 167-8). Cf. Vol. 1 n. 261.

[24] Patres non solebant proponere et explicare dogmata nisi occasione contrarii erroris; quia ergo doctrinam de numero septenario nemo impugnaverat, nec ipsi expresse vindicarunt.

[25] Scil. *sacramentum* est vox generica de rebus occultis (supra n. 3) quæ per appropriationem tantum adhibetur de *signis practicis gratiæ;* quousque ergo sensus specificus theologorum studio non erat firmatus, quæstio de

versia proponi et ab omnibus recipi non poterat sæc. 12, si ex antiqua et clara Traditione non constitisset. *b*) Aliud argumentum sumitur a consensu Ecclesiarum orientalium, quæ a sæc. 5 schismate vel hæresi saparatæ ab Ecclesia Romana [26], cum hac consentire non possunt nisi in doctrina quæ ante separationem erat certa ex apostolica traditione. Porro prædictus consensus constat: *a*) *ex facto,* siquidem septem retinent, etsi non eisdem ritibus administrent: *b*) *ex gestis* in CONCIL. FLOR. cum de unione cum Romana Ecclesia actum est, siquidem de sacramentorum numero nulla fuit disceptatio: *c*) *ex indignatione* qua excepta est sententia Protestatium. Cum enim Melanchthon an. 1559 confessionem Augustanam misisset ad JOASAPH II patriarcham Cp., responsum non habuit; et Martino Crusio id iterum exposcenti, JEREMIAS patriarcha a. 1596 respondit: « Sacramenta ritusque in hac ipsa catholica recte sentientium christianorum Ecclesia *sunt septem,* Baptisma etc... Quod vero hæc *sola* sint, nec *plura* numero, etiam divisione constat » [27]. **Rationis** argumenta S. THOM. deducit *a*) ex analogia ad ordinem naturalem, *b*) ex defectibus inductis per peccatum originale, contra quos ordinantur sacramenta, et *c*) ex quadam adaptatione ad virtutes et ad defectus culparum et pœnalitatum. — *a*) Profecto « vita spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut et cetera corporalia conformitatem quamdam spiritualium »: atqui in vita corporali quædam requiruntur ad bonum individui et quædam ad bonum societatis: ad bonum individui tria ordinatur *per se,* scil. generatio, augmentatio et nutritio; duo *per accidens,* scil. curatio infirmitatis et perfecta sanitatis restitutio: ad bonum vero societatis ordinantur matrimonium, quo membra procreantur, et civilis auctoritas quæ unitatem tribuit multitudini: ergo et in his, quæ spiritualem vitam causant, septem erunt causæ gratiæ seu sacramenta. Revera generationi respondet *baptismus,* augmentationi *confirmatio,* conservationi *eucharistia,* curationi infirmitatum *pœni-*

---

sacramentorum numero vix erat possibilis, sed solum de singulis sacramentis plus minusve explicite erat proponenda notio causalitatis gratiæ. Sicut ergo mysterium SS. Trinitatis est revelatum Apostolis, licet formula *unitatis in natura et trinitatis in personis* sæc. 4 non antecedat (Vol. 2 n. 260-1); ita doctrina de numero sacramentorum est apostolica, licet formula proponendi saec. 12 non præcedat.

[26] MONOPHYSITÆ et NESTORIANI ab Ecclesia defecerunt saec. 5.

[27] Apud *Pesch* n. 77 sqq.

tentia, plenæ sanitatis restitutioni *extrema unctio,* matrimonio contractui *matrimonium sacramentum,* et civili auctoritati *ordo sacer.* — *b*) « *Baptismus,* ordinatur contra *carentiam vitæ* spiritualis: *confirmatio* contra *infirmitatem* animi, quæ in nuper natis invenitur; *eucharistia* contra *labilitatem* animi ad peccandum; *pœnitentia* contra *actuale peccatum,* post baptismum commissum; *extrema unctio* contra *reliquias peccatorum,* quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ aut ex negligentia, aut ex ignorantia; *ordo* contra *dissolutionem multitudinis; matrimonium* in remedium contra *concupiscentiam* personalem et contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit ». — *c*) Item « fidei respondet *baptismus,* et ordinatur contra culpam originalem; spei *extrema unctio* et ordinatur contra culpam venialem; caritati *eucharistia* et ordinatur contra pœnalitatem malitiæ; prudentiæ *ordo,* et ordinatur contra ignorantiam; justitiæ *pœnitentia* et ordinatur contra peccatum mortale; temperantiæ *matrimonium* et ordinatur contra concupiscentiam; fortitudini *confirmatio* et ordinatur contra infirmitatem »[28].

14. **Secunda pars.** *Sacramenta N. L. differunt effectu, dignitate, necessitate et usu.* Differunt EFFECTU, quia gratia sacramentalis, ut infra explicabitur, superaddit communi specialia auxilia quæ, si in singulis non different, frustra multiplicarentur sacramenta[29]. Differunt DIGNITATE, ceteris enim præstat *Eucharistia, a*) quia non solum continet gratiam sed ipsum gratiæ auctorem[30], *b*) quia ad ipsam tamquam ad finem ordinantur cetera sacramenta[31], *c*) quia speciali modo ordinatur ad cultum Dei, cum ejus sumptio sit actus latriæ[32], et *d*) quia præ aliis est *signum rememorativum* passionis Christi, *demonstrativum* incorporationis ad Christum, et *prognosticum* futuræ gloriæ[33]. Differunt NECESSITATE, quia « necessarium respectu

---

[28] S. THOM. 3 p. q. 65 a. 1; BONAV. *Brev.* p. 6 c. 3.

[29] S. THOM. 3 p. q. 62 a. 2.

[30] S. THOM. 3 p. q. 65 a. 3,

[31] S. THOM. *l. c.;* DE AUGUST. I p. 1 a. 6.

[32] S. THOM. 2-2 q. 85 a. 2; q. 89 in procem...; BILLOT p. I p. 193.

[33] BILLOT I p. 191-2 Licet Eucharistia *simpliciter* præstet omnibus sacramentis, *secundum quid* etiam alia sacramenta excellunt. Sic *baptismus* præstat prout remittit omnem pœnam temporalem peccatorum, *confirmatio* prout disponit ad operandum sub influxu Spiritus S., *pœnitentia* prout sæpius reddit ad vitam gratiæ, *extrema unctio* prout proxime disponit ad æterna gaudia, *ordo* ratione dignitatis, quam confert ministris Christi, *matrimonium* ratione significationis unionis Christi ad Ecclesiam.

finis... dicitur aliquid dupliciter... uno modo, sine quo *non potest* haberi finis...; alio modo... sine quo non habetur finis ita *convenienter*... Primo igitur modo necessitatis sunt tria sacramenta necessaria: duo quidem personæ singulari; baptismus quidem simpliciter et absolute; pœnitentia autem, supposito peccato mortali post baptismum [34]; sacramentum autem ordinis est necessarium Ecclesiæ... Secundo modo sunt necessaria alia sacramenta: nam confirmatio quodammodo perficit baptismum, extrema unctio pœnitentiam; matrimonium vero Ecclesiæ multitudinem per propagationem conservat » [35]. Differunt USU, quia sacramenta, quæ characterem imprimunt, nequeunt iterari; cetera vero pluries possunt sumi, siquidem extrema unctio potest repeti cum grave mortis periculum ex infirmitate redit, matrimonium cum morte conjugis vel dispensatione [36] præcedens solvitur, eucharistia quotidie, pœnitentia pro libito.

15. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Patres cum CHRYS. sacramenta vident præfigurata in aqua et sanguine, quæ fluxerunt de latere Christi: atqui aqua erat symbolum *baptismi,* sanguis *eucharistiæ* [37]: ergo juxta Patres sacramenta sunt duo tantum. **Resp.** Patres, etsi non dixerint de *numero* sacramentorum, septem revera agnovisse, constat ex prædictis et melius ex dicendis de singulis sacramentis; si quando ergo *duo* vel *tria* sacramenta tantum enumerant, non excludunt cetera, sed quædam proprio argumento aptant; in aqua vero et sanguine, quæ fluxerunt de latere Christi, specialiter vident symbolum baptismi et eucharistiæ ex meliori analogia materiæ, et quia baptismus, uti aliorum janua, et eucharistia, uti omnium centrum, cetera sacramenta revocant [38].

16. **Objic. 2.** AMBR. gratiam adnectit cæremoniæ lotionis pedum [39], quam BERNARD. expresse dicit sacramentum [40]: ergo sacramenta sunt octo. **Resp.** AMBR. lotionem pedum non habuit pro sacramento, siquidem dicit in Ecclesia Romana non servari; gratia vero, de qua loquitur, est *ex opere operantis* prout illa cæremonia est actus humilitatis et quædam imitatio operis Christi. BERNARD. non dixisse de vero sacramento, vel

---

[34] CONC. TRID. sess. 7 p. 2 cn. 5; sess. 14 cn. 6.

[35] S. THOM. 3 p. q. 65 a. 3. *Eucharistia* est de necessitate medii ad *conservationem* vitæ spiritualis, ut suo loco dicetur.

[36] Matrimonium ratum et non consummatum potest solvi a R. P.

[37] CHRYS. in *Joan.* hom. 84; similia habent CYRIL., THEOPH., AUG., BEDA, etc. apud KNAB. in *Joan.* p. 554.

[38] KNAB. *l. c.*

[39] AMBR. *De Sacr.* III c. 1.

[40] BERNARD. Serm. in *Cœn. Dom.*

inde patet quod sæc. 12 jam communis erat sententia de numero septenario sacramentorum; large itaque nomen accepit, prout sacramentum vocatur quælibet res sacra et plena mysteriis; connumerat autem cum baptismo et eucharistia, quia in eadem Paschatis solemnitate celebrabatur.

17. **Objic. 3.** Diaconatus, presbyteratus et episcopatus, sunt tria distincta sacramenta: ergo sacramenta sunt novem. **Resp.** Quomodo sacramentum ordinis in plura subdividatur, suo loco explicabitur; nunc tene ex illis unum sacramentum integrari, quia potestas ordinis secundum completam sui rationem est in episcopatu, in ceteris vero quædam partecipatio ejus [41].

ART. 3. - DE SACRAMENTORUM CONSTITUTIVIS

18. **Quid verba et res in sacramentis.** Proprie loquendo *verbum* est sonus articulatus et signum conceptus mentis, *res* vero realitas physica præcipue materialis; sed « ut sacramenta constare dicantur rebus et verbis non est necesse ut *res* non sint verba, et *verba* non sint res; sed satis est si aliquid fungatur *vice* rei, aliud *vice* verbi »[1]. Quare in præsenti, quodcumque adhibetur in signum conceptuum, etsi forte sint res, v. g. gestus exprimens maritalem consensum, pro *verbo* habetur; alia vero quæ non ex intentione agentis, sed ex sese effectum sacramenti exprimunt, dicuntur *res*, quamvis non sint substantiæ materiales sed potius operationes, ut v. g. ablutio, unctio, confessio, etc. [2].

19. **Undenam ratio significandi in verbis et in rebus.** *Verba*, utpote signa conventionalia, vim significandi habent ab extrinseco, h. e. ex consensu hominum; *res* ex sese, prout aliquo colligationis nexu vinciuntur iis, quæ faciunt in mentem venire. Porro hic colligationis vinculum triplex agnoscitur, scil. *causalitatis* quo modo creaturæ sunt signum Dei, *concomitantiæ* quo modo fumus est signum ignis, *analogiæ* sive *attributionis*, quæ fundatur in intima duorum relatione, quo modo rubeus color est signum sanitatis, sive *proportionalitatis*, quæ fundatur in convenientia vel similitudine, quo modo ager virens est signum risus hominis. Jamvero inter ordinem naturæ et gratiæ ultimus tantum nexus est possibilis; et ideo in sacramentis *res* significant prout exhibent aliquam similitudinem effectus gratiæ.

20. **Errores - Veritas.** Quæstio de materia et forma sacramentorum a RATIONALISTIS et MODERNISTIS quasi scholasticorum subtilitas deridetur, impugnatur vero a DURANDO [3]. — **Veritas**, etsi

---

[41] S. THOM. *Suppl.* 37 a. 1 ad 2.
[1] BELLARM. *De Sacr. in gen.* I c. 18.
[2] DE AUG. I p. 2 a. 2 p. 140 sqq.
[3] Supra n. 7.

ad fidem non pertineat, certa tamen est « ex communi consensu theologorum »[4] et proponitur a CONC. FLOR. dicente: « Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet *rebus* tamquam materia, *verbis* tamquam forma et persona *ministri* conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia »[5].

THES. 4. *Sacramenta N. L.* — 1 *duplici elemento constant, scil. verbis et rebus,* — 2 *tamquam materia et forma.*

21. **Prima pars.** *Sacramenta N. L. constant rebus et verbis.* Nam de singulis sacramentis **Scripturæ** explicite vel implicite commemorant *res* et *verba* quibus conficiuntur. Sic BAPTISMUM vocant « lavacrum *aquæ* in *verbo* vitæ »[6], de CONFIRMATIONE referunt *orationem* et *impositionem* manuum quibus Apostoli dabant Spiritum S.[7], de EUCHARISTIA describunt *panem* et *vinum* cum *verbis* consecrationis[8], PŒNITENTIAM exhibent uti actum judicialem, qui perficitur *actibus pœnitentis* quasi materia et *absolutione sacerdotis* quasi forma[9], de EXTREMA UNCTIONE referunt *unctionem* et *orationem* sacerdotis[10], MATRIMONIUM efferunt indistinctum a contractu maritali, in quo *mutuus consensus* æquivalet materiæ et formæ[11], ORDINEM collatum dicunt *oratione* et *impositione* manuum[12]. — **Ex Patribus** celebre est testimonium AUG. qui de baptismo ait: « In *aqua verbum* mundat. Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit *verbum* ad *elementum,* et fit Sacramentum... Mundatio nequaquam flusco et labili tribueretur *elemento,* nisi adderetur, *in verbo* »[13]. Citari etiam solent pro *Baptismo* TERTUL. pro *Confirmatione* CYR. Hier. et pro *Eucharistia* GREG. Nyss. et iterum CYRIL.

---

[4] SUAREZ *De Sacr.* Disp. 2 sect. 1 n. 3. **NB.** Primus, qui distinxit inter *materiam* et *formam* sacramenti, fuit GUIL. Altis. *Sum. Theol.* IV f. 283 (a. 1215); nonnulli tamen tribuunt B. ALANO qui in Euch. panem vocavit *materiam* et verba *formam.*

[5] CONC. FLOR. Decr. *pro Armen.* Etiam CONC. TRID. (sess. 14 cp. 2) docet quod « materia et forma sacramenti essentia perficitur », ac de *Pœnit.* (l. c. cp. 3) et de *Extr. Unct.* (l. c. p. 2 cp. 1) signat materiam et formam. Cf. etiam CATECH. ROM. p. 2 c. 1 n. 15.

[6] Ephes. **5**. 26; Matth. 28. 19.

[7] Act. **8**. 15-7.

[8] Luc. **22**. 19-20; 1 Corinth. **11**. 23-5.

[9] Joan. **20**. 23.

[10] Jacob **5**. 14.

[11] Ephes. **5**. 31–2.

[12] Act. **6**. 6; **13**. 3; **14**. 22; 1 Tim. **4**. 14; 2 Tim. **1**. 6.

[13] AUG. *in Joan.* tr, 80 n. 3.

Hier. distinguentes in sacramentis *materiam* et *verba consecratoria* [14]. **Ratio** sumitur ex sacramentorum *fine*. Profecto sacramenta sunt instituta ut homo per sensibilia ad spiritualia manuducatur; atqui hoc solis *verbis* non obtinetur, siquidem verba sunt signa mere conventionalia, nullam similitudinem in se habentia rei significatæ; sed nec *res* tantum sufficiunt, cum enim ordo naturæ necessarium nexum cum gratia non habeat, nisi verbis hic nexus exprimatur, similitudo, quæ inest rebus, non detegitur, unde effectum gratiæ non possunt significare, neque operari: ergo sacramenta constare debent rebus et verbis [15]. Aliæ congruentiæ desumi possunt ex sacramentorum *auctore* Christo, qui est Verbum carni visibili unitum, et ex *subjecto,* siquidem homo anima et corpore constat [16].

22. **Secunda pars.** *In sacramentis verba rationem* FORMÆ, *res* MATERIÆ *habent.* Nam si *res* et *verba* in sacramentis invicem comparamus, apparet *verba* melius ac magis determinate sacramentorum gratiam exprimere: atqui pars determinabilis in corporum compositione vocatur *materia,* determinans vero *forma:* ergo ex substantiali compositione nomine derivato, in sacramentis *res* vocari debent *materia, verba* autem *forma.*

ART. 4. – DE SACRAMENTORUM EFFICACIA.
(CONTRA HÆRETICOS).

23. **Quid causa et quotuplex.** « Nomen causæ, inquit S. THOM., videtur importare *diversitatem* substantiæ, et *dependentiam* alicujus ab altero »[1]; unde definitur a SUAREZ: *principium per se influens esse in aliud* [2]. Cum causa dicitur *principium* τοῦ *esse* alterius, distinguitur a suo effectu; cum vero dicitur principium *per se influens* esse, exprimitur intima dependentia effectus a causa tamquam a principio directo suæ realitatis, et distinguitur a *conditione* et *occasione,* quæ indirecte tantum juvant productionem rei [3]. – Causa ex ARIST.[4] dividitur in efficientem, finalem vel exemplarem, formalem et materialem. *Causa materialis* est

---

[14] TERTUL. *De Bapt.* c. 2; CYRIL. Hier. *Catech.* III n. 3; GREG. Nyss. Or. *in Bapt. Christi.*

[15] S. THOM. 3 p. q, 60 a. 4 et 6.

[16] PESCH n. 36.

[1] S. THOM. 1 p. q. 33 a. 1.

[2] SUAREZ *Metaph.* Disp. 12 sect. 2 n. 4.

[3] SCHIFFINI *Princ. Philos.* n. 608; TIL. PESCH *Inst. Log.* n. 1572. Cf. Vol. 2 n. 331 *not. 5.*

[4] ARIST. *Phys.* II c. 3, 4.

subjectum in quo recipitur forma ab agente effecta, et ad ipsam reducuntur *dispositiones* quæ subjectum præparant ad receptionem formæ: *causa formalis* respondet materiali et est forma recepta in subjecto quod determinat ad esse primum vel secundum: *causa finalis* est id cujus gratia aliquid fit: *causa exemplaris* est species vel forma qua agens intellectualis dirigitur in sua operatione, et in cujus similitudinem producitur effectus: *causa efficiens* definitur *id unde primum principium est mutationis vel quietis* [5], et est illud ex cujus vera et reali operatione primo dependet effectio rei. — In sanctificatione hominis ad causam materialem pertinent *anima* ejusque *facultates* (affectu peccaminoso non aversæ a Deo); causa formalis est *gratia* inhærens animæ, quam efficit consortem divinæ naturæ, filiam Dei, cohæredem Christi; causa finalis est *gloria Dei* extrinseca; causa exemplaris *Christus* ad cujus imaginem conformantur electi, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus [6]; causa efficiens sunt *Deus, Christus* et *sacramenta:* Deus quidem ut causa physica, Christus ut causa moralis principalis, sacramenta ut causa istrumentalis.

24. **Causa principalis et instrumentalis.** Est subdivisio causæ efficientis. *Principalis* dicitur quæ sua virtute, ideoque natura et forma sibi propria, attingit effectum; instrumentalis quæ ad effectum pervenit ut mota a principali agente. Verum causa instrumentalis, seu brevius *instrumentum,* non potest ad effectum causæ principalis concurrere nisi *de suo* conferat aliquid quod a principali agente ordinetur ad effectum producendum. Quare in instrumento attenduntur duæ operationes, « una instrumentalis, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis: alia autem est actio propria, quæ competit ei secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis, facere autem lectum, inquantum est instrumentum artis; non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum. Et similiter sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina circa animam, sicut aqua baptismi abluendo corpus secundum propria virtutem, abluit animam inquantum est instrumentum virtutis divinæ; nam ex anima et corpore unum fit. Et hoc est quod AUG. [7] dicit quod (sacramentum) *corpus tangit et cor abluit* »[8].

25. **Opus operantis et opus operatum.**[9] Actio fluens a causa dicitur *opus* quod in causa instrumentali sub triplici respectu potest considerari:

---

5 ARIST. *l. c.*
6 Rom. 8. 29.
7 AUG. in *Joan.* tr. 80 n. 3.
8 S. THOM. 3 p. q. 62 a. 1 ad 2; 1 p. q. 45 a. 5.
9 Cum in hac formula *operatum* su-

in se prouti est quædem realitas ordinis physici, respectu *sui principii* a quo fluit, et respectu *causæ principalis* a qua adhibetur ad effectum producendum. Primo modo opus est *accidens* pertinens ad prædicamentum actionis, altero est *opus agentis* cui imputatur et a quo habet suam bonitatem et efficaciam moralem, tertio vocatur *opus operatum* ut in actione instrumenti indicetur respectus ad causam principalem, a qua instrumentum virtutem agendi accepit. Quia ergo sacramenta virtutem sanctificandi non habent a ministro a quo efficiuntur, neque a propria entitate, sed a formali ratione instrumenti Dei et Christi [10], dicuntur conferre gratiam *ex opere operato;* qua voce negative exprimitur sacramenta non agere in virtute ministri a quo conferuntur [11], et positive designatur relatio ad causam principalem a qua sacramenta virtutem sanctificandi mutuantur [12].

26. **Errores - Veritas.** Sacramentorum N. L. *efficaciam* sæc. 15-6 impugnarunt SOCINIANI et NOVATORES ea habentes ut symbola puritatis vel sigilla, signa et occasiones justitiæ: nostris vero temporibus MODERNISTÆ reputantes media revocandi præsentiam creatoris [13]. — **Veritas** prostat in CONC. TRID.: « S. q. d. hæc sacramenta *propter solam fidem nutriendam* instituta fuisse; a. s. »; « S. q. d. Sacramenta N. L. non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi *signa* tantum *externa* sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, et *notæ* quædam christianæ professionis, quibus apud

---

matur passive, PROTESTANTES damnarunt Conc. Trid. de errore grammaticali; sed ante Concil. *operatum* et *inoperatum* passive adhibitum est a LACT. *De inst. div.* VII. 27; TERTUL. *De præsc.* c. 27; AMBR. *De incar.* c. 9; AUG. *De unit. Eccl.* c. 25; PETR. Pictav. *Sent.* p. 5 c. 6; INNOC. III *De mist. Missæ* III c. 5; S. THOM. *IV Dist.* 1 q. 1 a. 5. Adde etiam verba deponentia nonnumquam passive usurpari in Vulgata, nec deesse exempla in CICER. *De Off.* I. 39 et SALLUS. *Jugurt.* c. 31. Cf. DE AUGUST. I p. 1 a. 3.

[10] Dicimus instrumenta *Dei* et *Christi,* quia sacramenta efficaciam derivant etiam a sacra humanitate Christi cujus sunt instrumentum separatum ad merita passionis applicanda.

[11] Hoc est præcipue intentum a CONC. TRID., et fere exclusive exponitur a theologis. Cf. FRANZ. *De Sacr. in Gen.* th. 7 p. 65; DE AUGUST. *l. c.;* PESCH n. 109.

[12] BILLOT *De Sacr.* I p. 62 sqq.; TEPE IV n. 30. **NB.** Ex hac explicatione evanescunt calumniæ Reformatorum catholicos deridentes quasi gratiam derivent ex re materiali: sacramenta agunt quidem *ex opere operato,* sed non independenter a causa principali; imo in adulto supponunt dispositiones, quæ pertinent ad suscipientis cooperationem.

[13] Supra n. 7.

homines discernuntur fideles ab infidelibus; a. s. »; « S. q. d. per ipsa N. L. Sacramenta *ex opere operato* non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere: a. s. » [14].

THES. 5. — 1 *Ex Scriptura et* — 2 *ex Patribus constat sacramenta N. L. esse veras causas efficientes gratiæ,* — 3 *quam instrumentaliter producunt.*

27. **Prima pars.** *Scripturæ docent sacramenta N. L. esse causas efficientes gratiæ.* **Testimonium.** *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei* [15]. **Argum.** In citato testimonio est sermo de gratia sanctificante: atqui hæc tribuitur baptismo tamquam causæ efficienti: ergo baptismus est causa efficiens gratiæ; atqui quod de baptismo legimus de ceteris quoque sacramentis est intelligendum: ergo. MINOR SUBSUMPTA, etsi videatur laboriosæ probationis, re vera nec eget demonstratione; siquidem præsens quæstio non est de sacramentorum existentia, sed de eorum efficacia; unde dato quod unum sit *causa* gratiæ, ex sacramentorum analogia de aliis quoque id erit concedendum. PROB. MAJOR. Nam Christus loquitur de renovatione quæ est *ex Spiritu S.*, et qua homo *ingreditur regnum Dei:* atqui Spiritui S. appropriantur opera gratiæ [16], regnum vero cœlorum est initialiter Ecclesia militans, quæ sanctitatis dote refulget [17], et terminative Paradisus, in quem non intrant peccatores [18] sed filii Dei, qui gratia constituuntur cohæredes Christi [19]: ergo. Accedit sensus proprius verbi *renatus fuerit;* ex se [20] enim, et ex parallelismo Scripturali [21],

---

14 CONC. TRID. sess. 7 cn. 5, 6, 8.

15 Joan. **3**. 5.

16 Vol. 1 n. 327; S. THOM. 1 p. q. 43 a. 3.

17 Etsi *peccatores* sint in Ecclesia, non tamen perfecte ad ipsam pertinent, siquidem non sunt de ejus anima, et, nisi justificentur, morte ab ea separabuntur.

18 Apoc. **21**. 27; **22**. 15.

19 Rom. **8**. 13-17.

20 Nam præter nativitatem naturalem (in Scripturis saltem) non intelligitur nisi nativitas spiritualis, quæ *a)* opponitur morti peccati (Rom. **7**. 24 coll. CORNELY in *h. l.), b)* alitur *spiritu* (Joan. **3**. 6; 1 Corinth. **15**. 45; Gal. **5**. 25; 1 Petr. **4**. 6) seu anima gratia ornata (CORNELY in *1 Corinth.* p. 70), *c)* et incorporat Christo (Gal. **2**. 20), sicut palmites viti (Joan. **15**. 1 sqq.).

21 Nam ex Apostolo vocante baptismum *lavacrum regenerationis et renovationis* (Tim. **3**. 5) apparet novam

renasci dicit acquisitionem vitæ supernaturalis, quæ gratia sanctificante obtinetur [22]. PROB. MINOR. Et primo quidem *sermonem esse de baptismo,* constat ex voce *aqua;* nullus enim est ritus aggregationis ad Ecclesiam, qui fiat aqua, si baptismus excluditur; nec est possibile quod medium necessarium ad salutem, a Christo institutum, oblivioni sit datum. Porro *aquam* in præsenti non metaphorice sumi de Spiritu S., sed proprie, constat ex *Scriptura* quæ ritum aggregationis ad Ecclesiam exhibet verâ ablutione [23]; ex *traditione* antiquissima, cujus testimonia extant in catacumbis [24]; et ex nota *lege interpretationis* quæ vult sensum proprium tunc maxime retineri, cum exhibet dogma fidei [25]. Accedit *repugnatia sensus mataphorici;* ut enim taceamus metaphoram veritati non præponi [26], neque ei uniri [27], ipsa certe exigit ut nomen et verbum concordent [28], quod in præsenti non contingit, siquidem in natura aqua non generat, sed *abluit, dealbat, extinguit, mundat, rigat* et similia [29]. Porro in

---

nativitatem esse *renovationem* (Cf. Hebr. **6**. 6. coll. Thom. in *h. l.* lect. 1), quæ gratia obtinetur. Vol. 2 n. 548.

[22] Cf. Vol. 3 n. 428-9.

[23] Sic Philippus ut baptizaret eunuchum reginæ Candacis, *descenderunt uterque in aquam... et baptizavit eum.* Act. **8**. 36–8; **10**. 46; Ephes. **5**. 26; Hebr. **10**. 22.

[24] In catacumbis baptismus exhibetur simbolis *aquæ* fluentis de rupe virga Moysis percussa, et *maris* rubri in quo Israël (fideles) vitam, Aegyptii (peccata) mortem invenerunt. (P. SYXT. *Not. Archaeol. Chr.* II p. 2 c. 1 a. 3, c. 5 a 1); Patres vero communissime sub nomine *aquæ* baptismum intelligunt, ut ex testimoniis afferendis in thesi patebit.

[25] Nam spectat ad divinam providentiam ut in rebus fidei et morum, cujusmodi profecto sunt mysteria, dogmata et sacramenta, omnis errandi occasio tollatur; siquidem deceptio vel dubium in his forent damnosa divino cultui, et innumeris erroribus et suspicionibus viam aperirent. Atqui nemo non videt improprium et metaphoricum usum verborum, quæ in sensu obvio et proprio aliam doctrinam proponunt, esse non solum occasionem, sed veram causam errandi: siquidem, occurrente sensu obvio et proprio, non solent homines de recondito et metaphorico cogitare. Cum ergo verba Scripturæ et Patrum in sensu obvio et proprio exhibent dogma fidei vel sacramentum, sensus improprius et metaphoricus respuendus omnino est.

[26] Profecto nemo dicit *leo ut Petrus,* sed *Petrus ut leo;* Christus antem ait: *Ego sum vitis.*

[27] Quis fortitudinem Petri commendaret dicens: *Petrus et leo?* Omnes sane dicerent: *Petrus ut leo,* vel *Petrus est leo.*

[28] Ratio est quia verbum explicat proprietates nominis; unde in figura, non minus quam in veritate, ipsi respondere debet. Quare cum Christus comparavit se viti et nos palmitibus, adhibuit verba *fructificare, manere in vite, mitti foras, arescere, colligi* et *ardere.*

[29] Si ageretur de symbolo, Christus

testimonio tribui baptismo causalitatem gratiæ, manifestum est; nos enim causam exprimere solemus *a*) præpositionibus *ex, per, in* [30], *b*) ablativo instrumenti [31], et *c*) synthesi subordinationis, qua effectus conjungitur causæ particula consecutiva *et,* vel etiam sola continuatione sermonis [32]: atqui omnibus istis modis in Scripturis proponitur relatio baptismi ad gratiam: ergo. Revera legimus: *a*) *Nisi quis renatus fuerit* EX *aqua* [33]: *Salvos nos fecit* PER *lavacrum* regenerationis et renovationis Spiritus S. [34]: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine J. C.* IN *remissionem peccatorum vestrorum* [35]. — *b*) *Christus dilexit Ecclesiam... mundans lavacro aquæ* IN *verbo vitæ* [36]. — *c*) *Quid moraris? exurge* ET *baptizare* ET *ablue peccata tua* [37]: *Baptizetur unusquisque vestrum...* ET *accipietis donum Spiritus S.* [38]. CONFIRMATUR; nam *aqua* et *Spiritus S.* in testimonio conjunguntur part. *et* quæ communem utrisque ostendit rationem expressam præpositione *ex:* atqui, omnibus fatentibus, *renasci ex Spiritu S.* est sanctificari per Spiritum S. tamquam per causam: ergo [39].

28. **Secunda pars.** *Patres sacramentorum causalitatem testantur a*) *verbis, b*) *particulis causalibus, c*) *nexu consequentiæ, d*) *radicem quoque hujus virtutis pandentes, et e*) *exemplis illustrantes.* Revera — *a*) CLEM. Alex. dicit baptismum lavacrum per quod *abstergimur* [40], TERTUL. lavacrum *diluens* mortem [41], GREG. Nyss. « aquam

---

dixisset: *Nisi quis Spiritu S. quasi aqua ablutus fuerit,* vel: *nisi quis semine Spiritus S. renatus fuerit.*

[30] V. g. Omnis qui natus est *ex* Deo peccatum non facit (1 Joan. **3**. 9); possedi hominem *per* Deum (Gen. **4**. 1); justificati gratis *per* gratiam ipsius *per* redemptionem, quæ est in Christo Jesu (Rom. **3**. 24); ut morte intercedente *in* redemptionem earum prævaricationum etc. (Hebr. **9**. 15).

[31] V. g.: Redempti estis... *pretioso sanguine,* quasi agni immaculati Christi (1 Petr. **1**. 19); Christus lavit nos a peccatis nostris *in sanguine suo* (Apoc. **1**. 5).

[32] V. g.: Ipse dixit *et* facta sunt, mandavit *et* creata sunt. Ps. **32**. 9.

[33] Joan. **3**. 5.

[34] Tit. **3**. 5.

[35] Act. **2**. 38.

[36] Ephes. **5**. 25.

[37] Act. **22**. 16.

[38] Act. **2**. 38.

[39] Ne dicas Spiritum S. esse causam *principalem,* ideoque argumentum nimis probare; nam communio, indicata a particula *et,* non necessario invenitur in ultima specie, sed potest manere in genere, ut si dicerem *homo et equus sunt duo,* non esset explicandum *sunt duos homines,* sed *sunt duo animalia.*

[40] CLEM. Alex. *Pedag.* I c. 6.

[41] TERTUL. *De Bapt.* c. 2.

quæ... *purgat* et illuminat hominem »[42]. AUG. signaculum quo pietas *perficitur*[43] et cor *abluitur*[44]. Hinc AMBR.: « Impossibile videbatur ut *peccatum ablueret* aqua..., sed quod impossibile erat, Deus fecit possibile esse »[45]. — *b*) Præpositionem causalem *per* adhibet CLEM. Alex.[46], præp. vero *in* ORIG., CYPR. et CHRYS. Primus ait: « Parvuli baptizantur *in* remissionem peccatorum »[47]; alter: « *In* novam vitam lavacro aquæ salutaris, animatur homo »[48]; tertius: Fidelis « *in* aqua fingitur et formatur »[49]. — *c*) Nexum colligationis efferunt TERTUL. et CYRIL. Hier. « Caro, ait ille, abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consacretur: caro signatur ut et anima spiritu illuminetur: caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur »[50]. Hic vero: « Mortuus in peccatis descendit (in fontem) *et* ascendit vivificatus in justitia »[51]. — *d*) Quomodo vero res materiales possint sanctificare hominem, AMBR. deducit ex *omnipotentia Dei*, TERTUL. ex *virtute intrinsecus suscepta*, BASIL. et CYRIL. ex *præsentia Spiritus S.* Testimonium AMBR. jam adduximus[52]. TERTUL. ait: « Supervenit Spiritus de cœlis et aquis superest sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ *vim sanctificandi combibunt* »[53]. BASIL.: « Si quæ est in aqua gratia, non ex aquæ natura est, sed *ex præsentia Spiritus* »[54]. CYRIL. Alex.: « *Spiritus S. operatione* aqua, qua baptizati corpus abstergitur, *reformatur* ad divinam virtutem et potentiam »[55]. — *e*) Quod attinet ad exempla, CYRIL. Alex. baptismum comparat *calori* aquæ, quæ virtute ignis, cujus est instrumentum, calefacit[56]; CHRYS. *matrici* qua embryo efformatur[57]; LEO M. *utero Virginis* quæ de Spiritu S. Verbum concepit[58].

---

[42] GREG. Nyss. Or. in *Bapt. Chr.*

[43] AUG. C. *Faust.* XIX c. 11.

[44] AUG. in *Joan.* tr. 80 n. 3.

[45] AMBR. *De Pœn.* II c. 2. BERNARD. Serm. de *Cœn. Dom.* ait de Eucharistia: « Duo *operatur* in nobis sacramentum Dominici corporis, ut videlicet et sensum *minuat* in minimis, et in gravioribus peccatis *tollat* omnino consensum ».

[46] CLEM. Alex. *l. c.*

[47] ORIG. in *Luc.* **2**. hom. 14.

[48] CYPR. Epist. 1 *ad Donat.*

[49] CHRYS. in *Joan.* hom. 25.

[50] TERTUL. *De resur. carnis* c. 8; FIRMICUS MAT. *De errore prof. relig.* c. 2.

[51] CYRIL. Hier. *Catech.* 3.

[52] AMBR. *De Pœn.* II c. 2.

[53] TERTUL. *De Bapt.* c. 4.

[54] BASIL. *De Spir. S.* c. 15.

[55] CYRIL. Alex. in *Joan.* II c. 42.

[56] CYRIL. Alex. *l. c.*

[57] CHRYS. in *Joan.* hom. 25.

[58] LEO. M. serm. 4 *De Nativ.*

29 **Tertia pars.** *Sacramenta sunt causæ instrumentales.* Nam causa principalis gratiæ nonnisi Deus est, qui solus potest supra omnem naturam creatam et creabilem agere, hominemque constituere suum filium et amicum, divinæ consortem naturæ et hæredem æternæ vitæ. Ceterum **Scriptura** et **Patres** gratiam sacramentalem non tribuunt soli externo ritui, sed principalius Spiritui S., qui *cum* sacramento et *per* ipsum sanctificat: atqui unus effectus a duabus causis independentibus non procedit[59]: ergo vel Spiritus S. est instrumentum sacramenti, vel sacramentum est instrumentum Spiritus S.: atqui primum repugnat: ergo.

30. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Sicut legimus *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S.,* ita legimus *Ipse* (Christus) *vos baptizabit in Spiritu S. et igni*[60]; atqui in hoc testimonio *ignis* est signum Spiritus S.: ergo et in primo aqua est Spiritus S. figura. **Resp.** Nego *paritatem* et *assertum.* Nego paritatem *a*) quia in Joan. agitur de *medio necessario* ad salutem quod clare debet proponi, et in Matth. de *prophetia* quæ fere semper est obscura: *b*) in Joan. verbum *renasci* non convenit aquæ metaphorice sumptæ, in Matth. vero *baptizare* convenit igni, siquidem in Scripturis baptizare sumitur etiam generice de quavis purgatione, quæ etiam igne perficitur[61]: *c*) quare Patres unanimiter de baptismo explicant testimonium Joan., dum dissentiunt de sensu Matth.[62]. Ceterum in Matth. *ignis* non sumitur pro figura Spiritus S., sed Joan. Bapt. alludens ad Malach.[63], qui prædixerat Christum venturum quasi ignem conflantem et herbam fullonum ad purgandos filios Levi, dicit Christum, salvatorem simul et judicem, duobus mediis purgaturum esse populum suum, scil. *gratiâ* per appropriationem dicta de Spiritu S., et *pœnis* hujus vitæ et futuræ, quibus quasi igne purgat electos et punit præscitos, æterno igni tradendos[64].

31. **Objic. 2.** Scripturæ hominem justificari dicunt *ex fide* vel *per fidem;* ergo justificatio non consequitur sacramenta, nisi prout fidem excitant. **Resp.** Scripturæ non docent *ex sola* fide hominem justificari, sed

---

59 S. THOM. 1 p. q. 105 a. 2; *Cg.* III c. 70; *De Pot.* q. 3 a. 7 ad 3.

60 Matth. **3**. 12.

61 De sensu *generico* verbi *baptizare* vide Marc. **10**. 38; Luc. **12**. 50; de purgatione *per ignem* Malach. **3**. 2-3; 1 Corinth. **3**. 13, 15; 1 Petr. **1**. 7. Cf. HAGEN. *Lex. Bibl.* v. *Ignis.*

62 HIER. in *h. l.* explicat de igne qui die Pentecostes descendit super Apostolos; CHRYS. in *h. l.* hom. 11 de tribulationibus hujus vitæ; ORIG. in *Luc.* **3**. 16, BEDA et S. THOM. in *h. l.* de igne purgatorii; HILAR. in *Caten. aur. S. Thom.* de igne inferni.

63 Malach. **3**. 2-3. Cf. KNAB. in *Proph. Min.* II p. 469.

64 Cf. KNAB. in *Matth.* p. 130-2.

fidei speciali modo tribuunt justificationem, quia fides justificationis est suprema radix et præcipua dispositio [65].

32. **Objic. 3.** Etiam sine sacramentis homo justificatur caritate: ergo sacramenta non sunt causa gratiæ. **Resp.** Etiamsi justificatio obtineri posset sine sacramentis, non infirmaretur thesis de sacramentorum *causalitate;* quomodo vero cum necessitate medii quorumdam sacramentorum, componatur efficacia actus perfectæ caritatis, suo loco dicetur.

33. **Objic. 4.** « *Propter quod unumquodque tale et illud magis* »: atqui gratia nobilior est sacramentis: ergo his non efficitur. **Resp.** Effectus non commensuratur virtuti causæ instrumentalis sed principalis, sicuti in arte pulchritudo imaginis non pendet a penicillo sed a pictore; principalis autem causa gratiæ est Deus.

ART. 5. - DE INTIMA SACRAMENTORUM CAUSALITATE.
(DISPUTATIO INTER CATHOLICOS).

34. **Status quæstionis.** Catholicorum disputationem de intima natura causalitatis sacramentorum aggredimur, ab exordio animadvertentes quod in ejus solutione magna perspicuitas non est expectanda; « quo (enim) pacto tanta res et tam admirabilis (quæ est gratia) per sacramentum efficiatur, ut, quemadmodum S. AUG. sententia celebratum est, *aqua corpus abluat et cor tangat,* id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendi non potest »[1]. Ne autem ex terminorum ignorantia majores exurgant difficultates, distinctiones quasdam de causalitatis modo et de sacramentorum effectu præmittimus.

35. **Quæ causa physica, quæ moralis.** Essentialis differentia inter causam *physicam* et *moralem* in eo est, quod illa habet ordinem directum ad effectum, unde immediate attingit subjectum et propria actione operatur entitatem effectus; hæc habet ordinem ad causam physicam et indirecte tantum attingit effectum, prout movet causam physicam ad agendum; dicitur vero causa moralis, quia ejus influxus continetur in ordine morum, quo effectus imputatur etiam ei qui intentionaliter movet causam principalem. Porro multipliciter causa moralis movere potest agentem, scil. negative et positive, directe et indirecte: movet *negative* si non impedit cum potest et debet, *positive directe* cum consilio seu prece inclinat causam ad agendum, *positive indirecte* cum inducit in subjecto exigentiam effectus, ut contingit in merito.

36. **Quæ causa perficiens, quæ disponens.** Distinctioni datæ illa respondet, qua S. THOM. ex parte effectus distinguit causam efficientem

---

[65] Vol. 3 n. 454.

[1] CATECH. ROM. p. 2 *De Sacr.* n. 27.

(sive principalem sive instrumentalem) in *perficientem* et *disponentem;* siquidem causa *perficiens* est illa « quæ inducit ultimam perfectionem », ac proinde quæ directo et *physico* influxu attingit ultimum effectum; *disponens* « quæ causat dispositionem ad formam ultimam », quæque proinde mediate tantum seu *moraliter* ad illum pervenit [2].

37. **Sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum.** Post S. THOM. solent theologi *tria* distinguere in sacramento, scil. sacramentum tantum, res et sacramentum, et res tantum [3]. *Sacramentum tantum* illud dicitur quod in sacramenti collatione significat, quin ab alio significetur, et est ritus sacramentalis seu sacramentum proprie dictum. *Res tantum* est ultimus effectus sacramenti, qui a ceteris significatur et nihil significat, scil. *gratia sanctificans,* quæ sacramento confertur. *Res et sacramentum* est illud quod participat de utroque, et dum significatur a sacramento externo, sua vice significat gratiam; consistit autem in *charactere* vel in aliquo *ornatu animæ,* qui est titulus exigens gratiæ collationem.

38. **De intima causalitate sacramentorum theologorum opiniones.** Ut taceamus de obsoleta sententia, quam Sotus tribuit A. HALENS., BONAV., SCOTO, RICARDO et DURANDO [4], dicente sacramenta *conditiones sine quibus non;* plures cum CAJETANO, BELLARM., SUAREZ et VALENTIA [5] tenent sacramenta esse *causas physicas* gratiæ; qui autem dicunt *causas morales,* subdividuntur, nam alii cum CANO, VASQUEZ, LUGO, AMICO, etc.[6] opinantur sacramenta causare gratiam pout sunt imputativæ actiones Christi, et sic habent coram Deo dignitatem seu *meritum* gratiæ, alii cum A. MAGNO, S. THOM., SCOT., PALUD., FERRAR., etc.[7] affirmant quod sacramenta ad gratiam « non pertingunt etiam instrumentaliter nisi *dispositive,* inquantum hoc, ad quod *instrumentaliter effective* pertingunt, est dispositio, quæ est necessitas, quantum in se est, ad gratiæ suscep-

---

2 S. THOM. IV *Dist.* 1 q. 1 a. 4 sol. 1.

3 S. THOM. *l. c.;* 3 p. q. 66 a. 1.

4 Apud *Pesch* n. 139.

5 CAJET. in 3 p. q. 62 a. 1; BELLAR. *De Sacr.* II. c. 11; SUAREZ Disp. 9 sect. 2 n. 14; VALENT. IV Disp. 3 q. 3 a. 1; etc. apud *Pesch* n. 152.

6 CANUS *Relect. de Sacr.* p. 4; VASQUEZ Disp. 132 c. 3; DE LUGO Disp. 4 sect. 4; AMICUS Disp. 4 s. 11 n. 197; et ex recentioribus; FRANZ. *th.* 10 p. 104 sqq.; HURTER III n. 294 sqq.; DE AUGUST. I p. 3 a 1; PESCH n. 143 sqq.; TEPE IV n. 45; H. MAZZELLA IV n. 47.

7 Hanc sententiam tenent ALB. MAG. *IV Dist.* 1 a. 5; S. THOM. *IV Dist.* 1 q. 1 a. 4 sol. 1; *Dist.* 5 q. 1 a. 3 sol. 1; *Dist.* 18 q. 1 a. 3 sol. 1; *De Verit.* q. 27 a. 4 ad 3; *De Pot.* q. 3 a. 4 ad 8; SCOTUS in *IV Dist.* 1 q. 1; PALUD. *IV Dist.* 1 q. 1; CAPREOL. q. 1 a. 1; FERRAR. in *Cg.* IV c. 57; PETR. A TARANT. in *IV Sent.;* DIONYS. Carthus. in *IV Dist.* 1 apud BILLOT I p. 72, qui eis adhæret.

tionem »[8], scil. sacramenta efficiunt *rem et sacramentum* quod est titulus ad susceptionem gratiæ [9].

THES. 6. *Illud quod primo et per se sacramenta efficiunt — 1 est* res et sacramentum; *eorum ergo causalitas respectu gratiæ — 2 non est physica, — 3 neque meritoria, sed — 4 disponens.*

39. **Prima pars.** *Quod primo et per se sacramenta producunt non est gratia sed res et sacramentum seu titulus ad illam.* **Argum. 1.** *Ex notione causæ.* Nam *causa finitæ* virtutis nonnisi *unum* effectum immediatum habere potest: si ergo in sacramentis sunt plura per externum signum producta (scil. *gratia* et *character* vel aliquis *ornatus animæ),* hæc dicenda sunt effectus subalternati, quorum unus alio est prior: atqui character non est posterior gratia, siquidem producitur etiam cum sacramentum (ex obice) frustratur gratiâ: ergo gratia est effectus *mediatus,* saltem in sacramentis characterem imprimentibus: ac proinde ratione analogiæ etiam in aliis ARGUM. 2. *Ex causalitate propria sacramentorum.* Sacramenta enim *significando* causant [10]: illud ergo quod sacramenta *primo et per se* significant, *directe* quoque et *immediate* producunt, illud vero quod *consequenter* tantum et per modum corollarii exprimunt, etiam *mediate* et *indirecte* efficiunt: atqui primo et per se sacramenta externa non significant gratiam sacramentalem, sed aliquid aliud, quod est titulus ad illam: ergo. PROB. MIN. Nam, ut arguit BILLOT [11], sensus formæ *Baptismi* est: *Ego tibi sacramentum ablutionis impendo* [12]: quod ergo primo exprimitur non est gratia, sed sacramentale signum interioris ablutionis. *Confirmatio* primo significat constitutionem in *esse militis* Christi, primo itaque et per se confert characterem, quo fidelis deputatur ad fidem fortiter confitendam. « In Ss. *Eucharistia* sacramentum tantum (videlicet sacramentum externum et sensibile, quod constat speciebus panis et vini prout verbis consecrationis informantur), nihil aliud significat immediate quam *præsentiam corporis et sanguinis* Christi »: ergo Christi

---

[8] S. THOM. *IV Dist.* 1 p. 1 a. 4 s. 1.

[9] S. THOM. *IV Dist. l. c.* ait: « Ex sacramentis duo consequuntur in anima. Unum quod est *sacramentum et res,* sicut character vel aliquis ornatus animæ in sacramentis in quibus non imprimitur character, aliud quod est *res tantum* sicut gratia. Respectu ergo primi effectus sunt sacramenta causæ *aliquo modo efficientes;* sed respectu secundi sunt causæ *disponentes* tali dispositione quæ est necessitas, nisi sit impedimentum ex parte recipientis, et hoc videtur magis theologis et dictis sanctorum conveniens ».

[10] S. THOM. *De Verit.* 27 a. 4 ad 13; *IV Dist.* 8 q. 2 a. 1 s. 3; CATECH. ROM. p. 2 c. 1 n. 29; c. 4 n. 34.

[11] BILLOT I p. 99-101.

[12] Similia habet S. THOM. de *pœn.* 3 p. q. 84 a. 3 ad 5.

præsentia sub speciebus est effectus immediatus, mediatus vero gratia. In *Pœnitentia* considerandum est absolutionem esse actum judicialem: atqui judex non relaxat per se debitum, sed jus facit reo ut innocens agnoscatur et ita a pœnis liberetur: etiam illud ergo quod in *Pœnitentia* primo producitur non est gratia, sed « jus factum circa pœnitentem, ponens in eo titulum certum ad gratiam per quam formaliter peccata remittuntur ». In *Extrema Unctione,* quæ est per modum deprecationis, primo significatum, ideoque directe effectum, est « ægroti in manus misericordiæ Dei consignatio, ex qua debitum est ut recipiat, nisi obstiterit obex, alleviationis gratiam ». In *Ordine* sacramentum externum significat potestatem spiritualem; hanc ergo primitus producit sua virtute imprimendo characterem, qui est titulus ad gratiam, qua spiritualis potestas convenienter exercetur. In *Matrimonio,* quod primo indicatur, est vinculum conjugale; gratia ergo tantummodo consequenter habetur, ut scil. vinculum perfecte repræsentet unionem Christi cum Ecclesia et conjuges valeant supernaturali amore se diligere, sicut Christus Ecclesiam dilexit. **Argum. 3.** *Ex sacramentorum reviviscentia.* In sacramentis, quæ reviviscunt, cum adest obest ad gratiam, effectus immediatus est *res et sacramentum:* atqui virtus sacramenti pari modo debet exeri, cum statim sanctificat, et cum reviviscit: ergo. PROB. MAJOR. Nam causa agit in quantum *est:* atqui quando sacramentum riviviscere dicitur amplius non *est* sed *fuit:* ergo virtus sacramenti, quod reviviscit, suam activitatem ex integro exercuit quando *rem et sacramentum* produxit. PROB. MIN. Nam obex ad gratiam se habet ex parte subjecti, unde potest frustrare effectum, sed non mutare causalitatem causæ. **Confirmatur,** nam posita doctrina de *re et sacramento* immediate effecto per *sacramentum* externum, omnes quæstiones de reviviscentia perspicue intelliguntur. Sane *sacramenta imprimentia characterem* reviviscunt *semper,* quia res et sacramentum (character) est indelebile: in *Eucharistia* reviviscentia *non datur,* quia *res et sacramentum* cessat corruptis speciebus: in *Matrimonio* et *Extrema Unctione* reviviscentia *ad tempus* limitatur, quia morte conjugis vel sanitatis acquisitione cessat *res et sacramentum* horum sacramentorum: in *Pœnitentia* disputatur de reviviscentia, quia non conceditur ab omnibus quod sacramentum informe conferat *rem et sacramentum pœnitentiæ.*

40. **Secunda pars.** *Sacramenta non sunt causa physica gratiæ.* Nam causa physica immediate attingit terminum; atqui vidimus sacramenta immediate operari tantum *rem et sacramentum:* ergo. Accedit quod causa physica debet immediate tangere subjectum, et habere aliquam entitativam proportionem cum effectu: atqui sacramentum non tangit immediate animam, cui solus Deus illabitur [13], nec habet entitativam

[13] S. THOM. *II Dist.* 8 q. 1 a. 5 *De Verit.* q. 28 a. 2 ad 8. ad 3; 3 p. q. 8 a. 8 ad 1; q. 64 a. 1;

proportionem cum gratia, quæ est ordinis spiritualis et supernaturalis: ergo.

41. **Tertia pars.** *Sacramenta non causant gratiam adinstar causæ meritoriæ.* Licet enim sacramenta sint aliquo modo opera Christi, cujus reputantur instrumenta separata [14], siquidem sacerdotes sunt ministri Christi [15] qui, sacerdotio in perpetuum fungens [16], intus sacramenta dispensat [17]; tamen quod sacramentum de suo præstat, non est meritum gratiæ, adæquate a Christo acquisitum in morte sua [18], sed est *significatio;* sacramenta enim, ut fert commune adagium, significando causant [19]: atqui virtus significationis ad rationem causæ meritoriæ reduci nequit: ergo.

42. **Quarta pars.** *Sacramenta gratiam efficiunt ut causæ instrumentales disponentes.* Hoc sequitur ex prima parte, siquidem causæ disponentes sunt illæ quæ inducunt dispositiones seu exigentias formæ: atqui sacramenta perfective perveniunt ad rem et sacramentum, quod est titulus exigitivus gratiæ: ergo. Quod si intimius scrutare vis qua ratione sacramenta, uti instrumenta Dei inducant *rem et sacramentum,* revoca sacramenta significando causare. Jamvero signis artificialibus (cujusmodi sunt sacramenta) virtus significativa non provenit adæquate ab intrinseca proprietate, sed ab ordinatione intellectus et voluntatis, qui eis utuntur ad aliquid exprimendum vel efficiendum [20]. Cum signum adhibetur ad aliquid exprimendum, dicitur *speculativum,* et res assumpta in signum defert conceptum mentis ut audiens, quasi excitatus, veritatem intelligat [21]; cum signum adhibetur ad aliquid efficiendum, dicitur *practicum,* et non defert tantum cognitionem intellectus, sed ordinationem mentis imperiumque voluntatis, eaque applicat subjecto et sic inducit *obligationem,* si ordinatio est præceptiva, *jus* ad aliquid faciendum aut suscipiendum, si ordinatio est collativa munerum [22]. Cum igitur sacra-

---

[14] S. THOM. 3 p. q. 62 a. 5.

[15] 1 Corinth. **4**. 1; 2ª **5**. 20.

[16] Hebr. **7**. 23-5 coll. S. THOM. in *h. l.* lec. 4.

[17] CATECH. ROM. p. 2 c. 1 n. 23; AUG. in *Joan.* tr. 6 n. 7-8.

[18] *Una enim oblatione consummavit in in sempiternum sanctificatos.* Hebr. **10** 14.

[19] Supra not. 10.

[20] Hæc virtus, quæ signis inest ex institutione, a S. THOM. 3 p. q. 62 a. 4 ad 1 dicitur *virtus spiritualis,* quia provenit a spiritualibus facultatibus: non est autem quædam qualitas superaddita signo, sed realitas ordinis intentionalis, quæ ab institutione et usu non distinguitur.

[21] Cum virtus instrumentalis sit a principali agente, intelliges quomodo *vivus sit sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus* (Hebr. **4**. 12); virtutem enim non mutuatur ab anima humana, sed a Deo.

[22] Sic *lex* defert imperium legislatoris

menta sint *signa practica* sanctificationis hominis, dicendum quod effectum obtinent prout deferunt divinum omnipotens imperium causativum gratiæ. Quod itaque sacramenta primo et per se producunt (quodque est *res et sacramentum)* non est gratia, sed *applicatio imperii Dei,* scil. realitas quædam ordinis moralis seu intentionalis [23], cujusmodi sunt institutio legis, dignitas, titulus, jus, obligatio, jurisdictio, etc. [24].

43. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** CONC. TRID. docet sacramenta continere *gratiam* quam conferunt [25]: ergo non efficiunt tantum *rem et sacramentum,* sed gratiam ipsam. **Resp.** Sacramenta non continent gratiam formaliter, sed *instrumentaliter;* continentia autem instrumentalis salvatur etiam in causa *disponente;* unde sacramenta continent et efficiunt gratiam *mediate,* prout inducunt *rem et sacramentum,* quod est titulus exigitivus gratiæ.

44. **Objic. 2.** CONC. TRID. effectum distinctum a gratia agnoscit tantum in sacramentis imprimentibus characterem [26]: ergo. **Resp.** CONC. scholasticam quæstionem de modo causalitatis non diremit, nec proinde de *re et sacramento* quidquam definivit. Porro ex limitatione sacramentorum imprimentium characterem nil potest concludi contra doctrinam de *re et sacramento;* hoc enim a charactere omnino differt. Profecto *a*) *character* est indelebilis, nec iterari potest; *res et sacramentum* in sacramentis characterem non imprimentibus, potest iterari: *b*) *character* deputat ad munus publicum defendendi fidem vel conficiendi sacramenta; *res et sacramentum* hoc non habet: *c*) *character* est aliquid immediate receptum in anima, non habens contrarium; *res et sacramentum* (si forte excipias pœnitentiam) non subjectatur in anima, sed vel est extra hominem, ut in *eucharistia,* vel in composito ut in *matrimonio* et *extrema unctione,* et habet aliquid contrarium ut sunt *physica agentia* quæ, species corrumpendo, Christi præsentiam in eucharistia removent, *mors* quæ vinculum sacrum in matrimonio solvit, et *medicina* quæ, infirmitatem fugando, commendationem infirmi in extrema unctione evacuat.

---

et applicat subditis, inducens moralem obligationem adimplendi. Sic etiam *thaumaturgus,* tamquam Dei minister, sua voce applicat imperium Dei ad opus miraculosum, quod *effective* est a Deo *significative-practice* ab homine.

[23] Ne dicas in sacramentis imprimentibus characterem *rem et sacramentum* esse physicam qualitatem in anima receptam; nam character, utpote spiritualis, non attingitur a sacramento perfective sed *dispositive,* prout inducit in subjectum titulum ad illum et per illum ad gratiam.

[24] Vide BILLOT I p. 58 sqq.; 106-25.

[25] CONC. TRID. sess. 7 § 1 cn. 6.

[26] CONC. TRID. *l. c.* cn. 9.

CAPUT II.

DE SACRAMENTORUM EFFECTU.

45. **De quibus agendum.** Consideravimus causalitatem sacramentorum, de ejus termino investigandum manet; licet enim loquendo de illorum efficacia probaverimus instrumentaliter et dispositive pertingere ad gratiam sanctificantem, nondum explicavimus hujus gratiæ proprietates, nec consideravimus an cum gratia aliquid aliud conferant. His quæstionibus duobus articulis satisfaciemus. 1 *De gratia sacramentali,* et — 2 *de charactere.*

ARTIC. 1. - DE GRATIA SACRAMENTALI.

46. **Gratia communis et sacramentalis.** *Gratia communis* est gratia sanctificans simpliciter dicta, quam consideravimus in tractatu de *Gratia habituali,* scil. est qualitas creata animæ inhærens, qua homo intrinsecus renovatur et constituitur consors divinæ naturæ, filius Dei, templum Spiritus S., membrum Christi [1]. Hæc gratia substantialiter convenit cum dono justitiæ originalis, est data sanctis V. T., et in N. L. acquiritur etiam actu perfectæ caritatis et augetur quovis opere justorum supernaturaliter bono. *Gratia sacramentalis* sacramentis obtinetur, et juxta communem sententiam superaddit gratiæ communiter dictæ *specialia auxilia* uniuscujusque sacramenti propria. Si autem quæris in quo hæc specialia auxilia sint reponenda, quidam respondent ea esse *gratias actuales* quas Deus tempore opportuno concedit intuitu sacramenti suscepti; alii vero esse realitatem *habitualiter permanentem* in subjecto, qua homo firmatur contra tentationes et ad virtutis exercitium inclinatur: prima sententia a PESCH [2] dicitur *communis* doctrina, altera inter ceteros patronum nacta est BILLOT [3], et nobis magis arridet, quia magis

---

[1] Vol. 3 n. 426 seqq.
[2] PESCH n. 137 ex *Suarez.*
[3] BILLOT *th.* 5 p. 87-8.

congruit suavi providentiæ Dei, qui permanentibus defectibus occurrit permanentibus donis. Profecto in statu innocentiæ Deus concupiscentiæ fomitem ligaverat dono permanenti [4]: atqui sacramenta contra concupiscentiam ordinantur [5]: ergo. Nec valet quod ad bonum prosequendum et malum vitandum adsint *virtutes* et *dona* Spiritus S.; hæc enim ad bona opera disponunt *positive* conferendo potentiam, *auxilia* e contra disponunt *negative* removendo obstacula. Nonne BERNARD. de Eucharistia scribebat: « Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut ceterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo »? [6]. Atqui hæc non fluentem sed permanentem fructum sacramenti, a gratia et virtutibus distinctum, innuunt.

47. **Gratia prima et secunda.** Nominaliter gratia *prima* dicitur illa qua peccator fit justus, *secunda* qua justus in sanctitate procedit [7]: unde gratia *prima per se* confertur sacramentis mortuorum (baptismo et pœnitentia), *secunda* sacramentis vivorum (aliis quinque). Quod si a theologis quæris de eorum reali distinctione, quidam respondent eas differre ab *intrinseco,* ac proinde gratiam primam numquam conferri a sacramentis vivorum [8]; alii differe ab *extrinseco,* ac proinde per accidens etiam sacramenta vivorum conferre gratiam primam [9]. Secundam sententiam, duce S. THOM. [10], eligimus, sequentem statuentes thesim.

THES. 7. *Gratia sacramentalis — 1 accidentaliter tantum differt a communi, — 2 cui superaddit specialia auxilia uniuscujusque sacramenti propria; — 3 distinctio autem gratiæ primæ et secundæ extrinseca est reputanda, unde sacramenta vivorum aliquando gratiam primam per accidens possunt conferre.*

48. **Prima pars.** *Gratia sacramentalis accidentaliter tantum differt a communi.* Nam *a*) eodem *nomine* in documentis Ecclesiæ

---

4 Cf. Vol. 2 n. 551.

5 S. THOM. 3 p. q. 65 a. 1.

6 BERNARD. *De cœna Domini.*

7 Qua ratione gratia augeatur, diximus vol. 3 n. 440.

8 LUGO Disp. 12 sect. 1; VASQUEZ apud *S. Alph.* Theol. mor. VI n. 269.

9 RONC., SALM., SCOT., SUAREZ, TOL. apud *S. Alph.* l. c.; DE AUG. I *th. 19* p. 275 seqq.; BILLOT I p. 91–4; PESCH n. 108; etc.

10 S. THOM. 3 p. q. 72 a. 7 ad 2; 79 a. 3.

signatur [11], *b*) eumdem *effectum* principalem, qui est peccatorum remissio et divina filiatio, assequitur [12], *c*) ab eodem Jesu Christo, per quem veritas et gratia facta est [13], emanat, et *d*) ad eumdem *finem* restituendi hominem in statum, a quo per Adae peccatum cecidit, ordinatur [14]: atqui identitas nominis, effectus principalis, originis et finis substantialem rerum identitatem ostendit: ergo.

49. **Secunda pars.** *Gratia sacramentalis superaddit communi specialia auxilia.* Nam *a*) si gratia sacramentalis nullatenus differret a communi, omnia sacramenta eumdem effectum haberent, ac proinde inutiliter multiplicarentur. Nec valet sacramenta quædam characterem imprimere; character enim ad gratiam ordinatur sicut titulus ad rem obtinendam, unde si gratia esset eadem, etiam character unus esset. *b*) Sed insuper effectus sacramenti regulatur significatione: atqui significatio in sacramentis est diversa: ergo accidentalis differentia in sacramentorum effectu est agnoscenda. « Ordinantur sacramenta, inquit S. THOM., ad quosdam speciales effectus necessarios in vita christiana, sicut Baptismus ordinatur ad quamdam spiritualem generationem, qua homo moritur vitiis et fit membrum Christi...; sicut igitur virtutes et dona addunt supra gratiam communiter dictam quamdam perfectionem determinatam, ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit supra gratiam communiter dictam et supra virtutes et dona quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem » [15].

50. **Tertia pars.** *Gratia secunda ab extrinseco tantum differt a communi, unde sacramenta vivorum aliquando gratiam primam conferunt.* Sacramenta vivorum *per se* ordinari ad *gratiam secundam,* patet ex eorum significatione; exprimunt enim *progressum* in vita christiana, vel *potestatem* exercendi munia sacra: atqui *progressus* seu perfectio in vita supponit vitam, et *potestas* exercendi munus sacrum, statum gratiæ, sine quo indigne quis sacro fungitur officio: ergo. Hinc ecclesiastica consuetudine, Apostoli verba [16] decla-

---

[11] CONC. TRID. sess. 7 cn. 4. 6, 7, 8.

[12] Hinc CONC. TRID. docet *reconciliationem,* quæ obtinetur per sacramentum pœnitentiæ, haberi etiam contritione perfecta.

[13] Joan. **1**. 17.

[14] Profecto gratia baptismatis *inducit in cœlum* (Joan. **3**. 5), et hoc Patres V. T. gratia communi sunt assecuti; omnis vero gratia Christi, qui est antitypus Adæ (Rom. **5**. 12-4), tendit ad *renovationem* (Eph. **4**. 23-4), qua ad originalem justitiam revocamur (Vol. 2 n. 548: Vol. 3 n. 171).

[15] S. THOM. 3 p. q. 62 a. 2.

[16] 1 Corint. **11**. 28.

rante [17], constat reum esse sacrilegii qui, confessione non præmissa, post peccatum mortale scienter suscipit Eucharistiam. — *Per accidens* tamen sacramenta vivorum *gratiam primam* aliquando producere, sequitur ex substantiali identitate gratiæ sacramentalis cum communi; inde enim patet gratiam secundam ex sese vim justificandi peccatorem habere, si ei conferatur: atqui potest conferri, siquidem, cum attritus suscipit sacramentum vivorum, effectus sacramenti non frustratur ex defectu dispositionum, neque ex defectu significationis: ergo. PROB. MIN. Non frustratur *ex defectu dispositionum,* quia peccatum habituale consistit in privatione gratiæ, et privatio formæ non est repugnantia ad formam recipiendam: non frustratur *ex defectu significationis* [18], quia gratia significata a sacramentis non est gratia sub formalitate *primæ* et *secundæ,* sed gratia communis cum specialibus auxiliis propriis uniuscujusque sacramenti, puta gratia corroborandi et servandi in justitia, exercendi munia sacerdotalia, etc.: ergo. Profecto si sacramenta significarent gratiam sub formalitate *primæ* et *secundæ,* non solum sacramenta vivorum, cum amministrantur peccatori, essent informia (scil. sine susceptione gratiæ), sed etiam invalida, sacramenta autem mortuorum non possent conferri justis; quod nemo dicere audebit. Nonne insuper certum est sacramentum extremæ unctionis esse sacramentum *vivorum,* et tamen, cum peccator extra sensus raptus incapax est confessionis, communi et vera sententia [19], datur ad primam gratiam conferendam? Ergo gratia a sacramento non significatur sub ratione *primæ* vel *secundæ;* atque ideo si sacramenta vivorum ordinarie non conferunt gratiam primam, non est ex defectu significationis, sed quia ex *ordine* sacramentorum, ex *dignitate* eorum, et ex positivo *præcepto* Dei, peccator, conscius sui delicti, non debet illa suscipere.

ART. 2. - DE CHARACTERE.

51. **Quid character.** Character potest definiri: *signum spirituale, permanens et indelebile, animæ impressum, distinctum a gratia et a sacramento.* Dicitur *signum* [1], quia ratione ritus, quo imprimitur,

---

17 CONC. TRID. sess. 13 cp. 7.
18 Ex hoc maxime arguit LUGO *l. c.*
19 Jac. 5. 14-5.

1 Quid veniat nomine *signi* diximus n. 4 ex AUG.

est aliquo modo sensibilis [2], et ducit in cognitionem gratiæ, quam exprimit deputando hominem ad spiritualia munia [3]: dicitur *spirituale*, ut distinguatur a signo simpliciter dicto (quod est sensibile per se) et indicetur ejus natura immaterialis : dicitur *permanens*, quia character non est sicut sacramentum externum ad modum actus, sed reductive pertinet ad genus potentiæ, quæ profecto permanet: dicitur *indelebile*, quia neque ab intrinseco, neque ab extrinseco potest corrumpi: dicitur *animæ impressum*, quia causam perficientem non habet nisi Deum, qui intus in anima operando illud efficit: dicitur *distinctum a gratia et a sacramento*, quia a sacramento extrinseco producitur, et est titulus ad receptionem gratiæ [4].

52. **Characteris ratio intimius explicatur.** Imprimis tenendum est characterem non esse ens puræ rationis [5], siquidem CONC. TRID. docet in anima *imprimi* [6], et imprimi non intelligitur nisi realitas absoluta et physica. Quia vero *in anima* nonnisi accidens subjectatur, ex omnium sententia character est *accidens*. Jamvero ex novem prædicamentis, in quibus subdividitur accidens, character non est *quantitas, ubi, situs* et *habitus*, quia hæc sunt accidentia corporum et character est spiritualis; non est *actio, passio* et *quando*, quia hæc pertinent ad motum, dum character est permanens ; non est *relatio* quia relatio resultat et character imprimitur. Ergo character est *qualitas* qua substantia determinatur ad

---

[2] « Cum qualibet potestate, ait S. THOM., exterius datur aliquod visibile signum illius potestatis, sicut regi in signum regiæ potestatis datur *corona* et *sceptrum* et Pontifici *mitra* et *baculus* et *anulus;* et similiter cum spirituali potestate, quæ in sacramentis confertur, datur signum sacramentale exterius; *et per comparationem ad illud exterius signum, ipsa spiritualis potentia dicitur signum,* inquantum homo per eam configuratur et determinatur ad actiones spirituales ». *IV Dist.* 4. q. 1 a 2 s. 1 ad 2.

[3] Si character consideratur in se ipso, præcisione facta a ritu externo quo imprimitur, nomen *signi* ei competit improprie ed analogice, prout character vel signaculum dicitur « omne quod configurat alicui vel distinguit ab alio, etiamsi non sit sensibile, sicut Christus dicitur figura vel character paternæ substantiæ secundum Apost. *Hebr.* **1** ». S. THOM. 3 p. q. 63 a. 1 ad 2.

[4] Bene notat BILLOT I p. 145: « Sicut *Christo* duci opponitur *Princeps* tenebrarum (Gen. **3**. 15), ita *characteri sacramentali,* qui character est Christi ducis, opponitur e regione *character bestiæ* de quo multoties in Apocalypsi. Characterem autem bestiæ recte accipies pro illis notis atque insignibus, quibus in societatibus occultis deputantur homines ad servitia diabolica ».

[5] Characterem dici *ab extrinseco* docuit DURANDUS, esse *relationem* affirmarunt quidam apud S. THOM. in *IV Dist.* 4 q. 1 a. 1.

[6] « S. q. d... non imprimi characterem in anima... a. s. ». CONC. TRID. sess. 7 p. 1 cn. 9.

quemdam modum essendi secundum aliquam mensuram [7]. At qualitatis duæ sunt species, scil. *habitus* seu *dispositio* et *potentia*. Character ad *habitum* non potest reduci, quia habitus inclinat ad unum determinatum, dum charactere quisque potest bene vel male uti; pertinet ergo ad genus *potentiæ*. Verum potentia subdividitur in *principalem* quæ simpliciter nomen retinet et adæquate residet in subjecto, et *ministerialem* quæ in subjecto residet cum ordine ad principalem, et vocatur potentia *reductive*. Atqui character non dat potentiam agendi vel recipiendi, quæ sunt supernaturalis ordinis, nisi per ordinem ad Christum qui est sacerdos in æternum, et sua passione est principalis causa moralis gratiæ: ergo character est *potentia reductive*, seu *potentia ministerialis*, qua homo Christo consecratur et assimilatur. « Sicut (enim) milites, qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo *ducis*, quo quodammodo ei configurantur, (ita) illi, qui deputantur ad cultum christianum, cujus auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur, unde est proprie *character Christi* » [8]. Et si quæris in quo hæc conformatio consistat, dicam charactere hominem configurari *Christo sacerdoti* [9], prout deputantur ad aliqua quæ pertinent ad cultum Dei [10]. Charactere scil. *baptismi* homo copulatur mystico corpori Christi, et acquirit potestatem *passivam* recipiendi cetera sacramenta: charactere *confirmationis* signatur miles Christi, et, dum inscribitur exercitui ejus, accipit potestatem defendendi ex officio fidem in baptismo susceptam: charactere *ordinis* assumitur in ducem exercitus, aggregatur principibus Ecclesiæ, et perfecta conformatione ad sacerdotium Christi, accipit hierarchicam potestatem, qua fit instrumentum Christi in opere sanctificationis [11].

53. **Errores - Veritas.** Characterem, saltem in propria notione signi spiritualis permanentis, non agnoverunt DONATISTÆ quos secuti sunt NESTORIANI confudentes ordinationem illicitam (ideoque informem) cum ordinatione invalida, et GRÆCI SCHISMATICI rebaptizantes. Characterem negarunt etiam REFORMATORES et corrupit ROSMINI sensu pantheistico explicando [12]. - **Veritas**, jam proposita

---

7 Cf. S. THOM. 1-2 q. 49 a. 2.

8 S. THOM. 3 p. q. 63 a 3 ad 2.

9 PESCH n. 201 configurationem hanc applicat tribus Christi muneribus, ita ut baptismo homo conformetur Christo *regi* cujus fit subditus, confirmatione Christo *prophetæ* cujus legem defendendam suscipit, ordine Christo *sacerdoti* cujus minister constituitur; at communius ex 1 Petr. **2**. 91 hæc configuratio attenditur solum quoad *sacerdotium* Christi, siquidem charactere deputamur ad *cultum Dei*, est autem sacerdos qui instituitur *in iis, quæ sunt ad Deum* (Hebr. **5**. 1).

10 S. THOM. 3 p. q. 63 a. 3.

11 CATECH. ROM. *De Sacr. in gen.* p. 2 c. 1 n. 31.

12 Supra n. 7.

in CONC. FLOR., definita est a TRID. « S. q. d. in tribus sacramentis baptismo scil., confirmatione et ordine non imprimi characterem in anima, h. e. signum quoddam spirituale et indelebile, unde iterari non possunt; a. s. »[13].

THES. 8. *Quædam sacramenta* — 1 *imprimunt in anima signum aliquod spirituale et idelebile, quod vocatur character:* — 2 *tria autem sunt sacramenta characterem imprimentia, scil. baptismus, confirmatio et ordo.*

54. **Prima pars.** *Quædam sacramenta præter gratiam, etiam characterem in anima imprimunt.* **Ex Scripturis** adduci solent testimonia quæ docent nos Spiritu S. *signari* et *ungi*[14], sed non videntur convincentia. Nam in ep. *ad Rom.* Apostolus dicens circumcisionem *signaculum justitiæ fidei,* docet tantum gratiam fuisse signatam seu manifestatam circumcisione[15]; in ep. *ad Corinth.* loquitur de *apostolicis operariis* qui a Spiritu S. in munere prædicandi Evangelium confirmantur[16]; in ep. *ad Ephes.* docet fideles *gratia sanctificante* signari hæredes æternæ vitæ et disponi ad justificationem in die judicii[17]; ex ep. autem *ad Hebr.* et *ad Tim.* concluditur quidem *initerabilitas* baptismi et ordinis, sed hoc innuit tantum characterem. — Thesis itaque demonstramus **ex Patribus** qui docuerunt *a*) signum aliquod *b*) spirituale, permanens et indelebile, *c*) distinctum a gratia et a sacramento, *d*) a quibusdam sacramentis in anima imprimi. — *a*) Dari aliquod *signum* vel sigillum animæ « quod contremiscunt dæmones et agnoscunt angeli, ita ut illi fugitent abacti, hi vero ut cognatum et familiarem circumplectantur »[18], non solum affirmant Patres, sed illustrant exemplis, comparantes *characteri regis* in nummis excusso[19], *sigillo annuli* ceræ impresso[20], *notæ* quo *milites* in brachiis obsignabantur[21], *tesseræ* quam duces tradunt militibus ut ab amicis agnoscantur et, cum in conflictu

---

[13] CONC. FLOR. Decret. *pro Armenis;* TRID. sess. 7 cn. 9.

[14] Rom. **4.** 11; 2 Corinth. **1.** 21; Ephes. **1.** 13; **4.** 30; 1 Tim. **4.** 14; 2ª **1.** 6; Hebr. **6.** 1-6.

[15] CORNELY in *Rom.* p. 225-6.

[16] CORNELY in 2 *Corinth.* p. 46-7.

[17] A LAPIDE in *Ephes.* **1.** 13 et **4.** 30.

[18] CYRIL. Hier. *Catech.* I n. 3.

[19] AUG. C. *Parmen.* II c. 13 n. 29; CLEM. Alex. *Excerpta ex Theod.* n. 86.

[20] EPHREM Bibl. or. *Assem.* 1. 94.

[21] CHRYS. in 2 *Corinth.* hom. 3 n. 7: AUG. C. *Parmen.* II c. 13 n. 29.

fuerint cum hostibus commixti, possint sejungi [22], *signo ovium* quo pastor suas agnoscit [23], *sanguini agni* quo Hebræorum domus sunt linitæ ut a primogenitorum exterminio præservarentur [24], *circumcisioni* qua ab ethnicis populus Dei secernebatur [25]. *b*) Hoc autem signum non esse materiale sed *spirituale*, constrat ex ejus supernaturalitate, et ex subjecto (anima) in quo recipitur, atque aperte docetur ab AMBR. et EPIPH. [26]. Esse *permanens* constat ex fine a Patribus indicato, siquidem datur ut agnoscamur ab angelis, timeamur a dæmonibus et distinguamur ab infidelibus [27], quæ habitualiter contingunt. Esse autem *indelebile* Patres aperte testantur, illud cum CYRIL. Hier. dicentes signaculum sanctum, *indissolubile* et *indelebile in sæcula* [28]: cum BASIL. « sigillum quod *nullo conatu frangi* potest » [29]: et cum AUG. sacramentum quod *amitti non potest* [30]. — *c*) Porro signum hujusmodi *distingui a gratia et a sacramento*, patet ex testimoniis modo datis, imprimitur enim a sacramento, et manet in peccatoribus. « Induunt inquit AUG., homines Christum aliquando usque ad sacramenti perceptionem [31], aliquando et usque ad vitæ sanctificationem: atque illud primum et bonis et malis potest esse commune, hoc autem alterum proprium est bonorum et piorum » [32]. — *d*) Tandem imprimi *in anima* docent AMBR. et CYRIL. Hier,: ille enim ait quod « *in corde* signamur ut Spiritus S. exprimat in nobis imaginis cœlestis effigiem »; hic vero docet quod « uti corpus aqua mundat, ita *animam* obsignat Spiritus » [33].

---

[22] BASIL. hom. 13 *De Baptis.* n. 4 et 5; CYRIL. Hier. *Protocath.* n. 16.

[23] CYRIL. Hier. *Catech.* 1 n. 2; EPHREM *Bibl. orient. Assem.* 1. 94.

[24] BASIL. hom. 13 *De Baptis.* n. 4.

[25] CHRYS. in *Gen.* hom. 30. Sub ratione *signi* vel *sigilli* characterem innuunt etiam CLEM. Rom. 2 *ad Corinth.* c. 7-8; TERTUL. *De spect.* c. 4, 24; THEOD. *Excerp.* apud CLEM. Alex. n. 86; GREG. Naz. Or. 40 *in bapt.* n. 4; etc.

[26] AMBR. *De Spir. S.* I c. 6 n. 79 vocat *spirituale signaculum;* EPHREM l. c. *signum occultum.*

[27] BASIL., CYRIL. Hier., CHRYS. *l. c.*

[28] CYRIL. Hier. *Protoc.* n. 16.

[29] BASIL. hom. 13 *De Bapt.* n. 5.

[30] « Non minus hærent sacramenta christiana, quam nota corporalis, cum videamus nec apostatas carere illis, quæ propterea illis resipiscentibus non restituuntur, quia amitti non potuerunt ». AUG. *C. epist. Parmen.* II c. 13 n. 29.

[31] Hic et alias characterem AUG. vocat *sacramentum* metonymice, « secundum quod per sacramentum visibile exterius efficitur et significatur » S. THOM. *IV Dist.* 4 q. 1 a. 2 sol. 1 ad 1.

[32] AUG. *De Bapt.* V c. 24 n. 34; Enar. in *Ps.* 39 n. 1; *Symb.* c. 8 n. 15; in *Joan.* tr. 5 n. 13; tr. 6 n. 16; in *1 Joan.* tr. 5 n. 6 etc.

[33] AMBR. *De Spiritu S.* I c. 6; CYRIL. Hier. *Catech.* 3 n. 4.

— **Ex ratione.** Licet enim deputatio ad munia et officia fieri possit externa designatione, sicut fit in electione ministrorum regni terreni; perfectioni tamen N. L., quæ data est *in spiritu* et *veritate* [34], competit ut ordinatio ad res sacras non fiat externa tantum cæremonia, sed interna consecratione. Profecto si sacerdotes V. L. objectiva realitate, scil. generatione ex Aaron, constituebantur [35], quanto magis sacerdotes N. L. reali qualitate animæ impressa debent institui? [36]. Characterem vero hujusmodi esse *indelebilem* inde constat quod si corrumperetur vel esset *ex cessatione potestatis principalis,* quo modo potestas ministri evanescit, occiso rege; vel *ex partium solutione* quo modo corrumpitur cadaver; vel *ex corruptione subjecti,* quo modo morte hominis cessant ejus jura proprietatis; vel *ex causa extrinseca effectiva,* quo modo aquarum impetu ruit domus; vel *ex causa extrinseca demeritoria* quo modo peccato cessat gratia, vel tandem *ex annihilatione* Dei subtrahentis influxum conservativum; atqui character non potest cessare *primo modo* quia est participatio sacerdotii Christi, quod in æternum manet; non *secundo,* quia, ut spiritualis, partibus caret; non *tertio* quia subjectatur in anima quæ est æterna; non *quarto* quia, sicut creata virtute non efficitur, ita nec creata virtute potest destrui; non *quinto* quia pertinet ad genus potentiæ quæ, indifferens ad bonum et malum, ex peccato non habet demeritum corruptionis; non *sexto* quia Deus, qui *creavit ut essent omnia* [37], non destruit ea quæ nec effective, nec demeritorie contrarium habent [38].

55. **Secunda pars.** *Tria sunt sacramenta quæ characterem imprimunt: baptismus, confirmatio et ordo.* De charactere *Baptismi* nihil est dicendum, testimonia enim data in prima parte de ipso agunt. De charactere *Confirmationis* probabiliter loquuntur GREG. Naz. et EPHREM, cum docent signum vel sigillum Dei imprimi *oleo* [39], certe vero CYRIL. Hier., AMBR. et AUG. qui ait: « In hoc unguento sacramentum Chrismatis [40] vultis interpretari, quod quidem

---

[34] Joan. **4**. 24.

[35] Lev. **28**. 1; LAMY *Appar. Bibl.* I c. 8.

[36] Quod dicitur de charactere sacerdotali, sacramentorum analogia valet etiam de aliis duobus.

[37] Sap. **1**. 14.

[38] Vol. 2 n. 416.

[39] GREG. Naz. Or. 40 *in bapt.* n. 4; EPHREM *Bibl. Orient. Assem.* I. 94. Ne dicas hos Patres agere de *baptismo,* siquidem in ecclesia græca confirmatio *simul* cum baptismo datur.

[40] Ut supra diximus, AUG. *sacramentum* sumit metonymice de charactere.

in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est sicut ipse baptismus » [41]. De charactere *Ordinis* iterum testatur AUG.: « Nulla ostenditur causa cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, *jus dandi* (potestatem ordinis) potest amittere. Utrumque enim sacramentum est, et *quadam consecratione utrumque* homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in Catholica utrumque non licet iterari » [42]. — **Ratio** sumitur ex *initerabilitate* horum sacramentorum, et ex *fine* characteris. *a*) *Ex initerabilitate,* quia sacramenti fructu homines privari non debent; initerabilitas ergo est signum reviviscentiæ, quæ fundatur in permanentia rei et sacramenti; porro res et sacramentum, si est indelebile, characteris notionem exhibet. *b*) *Ex fine,* quia character deputat ad aliquod officium publicum: atqui hoc contingit in *baptismo* quo homo fit capax recipiendi quæ sunt Ecclesiæ, in *confirmatione* quo fidelis fit defensor fidei ex officio, in *ordine* quo christianus constituitur sacrorum minister, sed non in aliis sacramentis; siquidem *pœnitentia* et *extrema unctio* conferuntur in remedium accidentalis defectus, *matrimonium* non deputat nisi ad officium domesticum, et *eucharistia,* sacramentorum culmen et centrum, non ordinatur ad aliud, sed potius alia in se convergit [43]: ergo.

CAPUT III.

DE SACRAMENTORUM CAUSIS.

56. **Didendorum ratio.** Post quæstiones quæ naturam ipsam sacramenti attingunt, manet ut dicamus de causa efficiente et materiali; quia vero in sacramentis causa proxima est ille qui confert, remota ille qui sacramenta instituit, præsens caput in tres articulos distinguimus: — 1 *De sacramentorum auctore,* — 2 *de ministro,* — 3 *de subjecto.*

ART. 1. - DE SACRAMENTORUM AUCTORE.

57. **Quis sacramentorum auctor.** Sacramenta instituere nihil

---

[41] AUG. *C. lit. Petil* c. 104 n. 239; CYRIL. Hier. *Catech.* 18 n. 33; 22 n. 7; AMBR. *De sacr.* III c. 2; *De myst.* c. 8.

[42] AUG. *C. epist. Parmen.* II n. 28.

[43] BILLOT *th. 13* p. 148 sqq.

aliud est quam symbolica signa *eligere* eisque instrumentalem vim productivam gratiæ *tribuere,* quod fieri potest auctoritate propria atque independenti vel potestate accepta ideoque dependenti ab alio: potestas instituendi modo absoluto et independenti dicitur potestas *auctoritatis,* potestas instituendi cum dependentia ab alio potestas *principalis ministerii* seu *excellentiæ.*

58. **Quæ sint de potestate excellentiæ.** Quatuor juxta S. THOM. sunt de ratione hujus potestatis. « PRIMUM (consistit) in hoc quod *meritum et virtus passionis ejus operetur* in sacramentis... Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem, secundum illud: *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius* [1], quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur; ideo SECUNDO, ad potestatem excellentiæ, quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod *in ejus nomine sacramenta sanctificentur* (scil. vim instrumentalem sanctificandi recipiant ex ejus voluntate, atque ideo in ejus nomine conferantur). Et quia ex ejus institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod TERTIO ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, *potuit instituere sacramenta.* Et quia causa non pendet ab effectu, sed potius e converso, ideo QUARTO ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit *effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre* (quod revera fecit sine sacramentis peccata remittendo) » [2]. Scil. potestas excellentiæ importat quod sacramenta ab auctore pendeant *institutione, administratione* et *virtute,* ipse vero in collatione gratiæ a sacramentis *non pendeat.*

59. **Postestas excellentiæ poterat imperfecte Apostolis communicari, non fuit tamen conveniens.** Dicimus *imperfecte,* quia nisi velimus Christo *rationem mediatoris* eripere, totamque œconomiam salutis turbare, virtus sacramenti in linea causæ meritoriæ a passione Christi est petenda, unde Christus semper manere debet « caput principaliter, alii vero secundario »[3]. Sub hac limitatione, cum S. THOMA dicimus quod Christus « talem (excellentiæ) potestatem potuit ministris communicare, dando scil. eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta, et ut ipsi possent sacramenta instituere, et sine ritu sacramentorum effectum sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instru-

---

[1] Rom. 3. 25.

[2] S. THOM. 3. p. 64 a. 3.

[3] S. THOM. *l. c.* a. 4 ad 3.

mentum conjunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo »[4]. Hoc tamen NON FUIT CONVENIENS, *a*) ne fideles in hominibus *spem ponerent, b*) ne *diversa sacramenta* divisiones in Ecclesia inducerent, et *c*) ne essent *multa capita* unius multitudinis sanctorum[5].

60. **De institutione in genere et in specie.** De ratione potestatis excellentiæ est *immediata* sacramentorum institutio; si enim hoc onus Christus demandasset Apostolis, eos fecisset sacramentorum auctores potestate excellentiæ præditos: sibi tamen servata immediata institutione, potuit eis concedere ut in *individuo* seu in *specie* materiam et formam determinarent. Quod ut probe intelligas, attende tria in sacramentorum institutione esse distinguenda, *aptitudo* scil. ad significandum effectum sacramenti, *res* in qua talis aptitudo invenitur, et *ordinatio* illius aptitudinis ad esse sacramenti, ut nempe non sit tantum signum speculativum gratiæ, sed practicum. Jamvero *aptitudo* ad significandum effectum sacramenti, non est ab institutore sacramenti sed præsupponitur, siquidem sacramentum est signum symbolicum[6]: *determinatio subjecti,* in quo talis aptitudo existit, generatim non est de essentia institutionis, quia electione determinatur quidem res, quæ virtutem sacramentalem accipere debet, sed sacramentalis virtus non confertur: institutio itaque consistit in *elevatione* significationis *speculativæ,* seu *in actu primo* (quæ est in materia et forma sacramenti) ad hoc quod *practice* et *in actu secundo* exprimat seu operetur sacramenti effectum. Et ideo *immediatus institutor* sacramenti, dici debet qui, aliis remissa electione rei, in qua symbolica ratio significandi invenitur, huic symbolicæ significationi tribuit virtutem sanctificandi. Si quæ manet difficultas, in eo est quod possit elevari significatio symbolica ad dignitatem causæ, quin in concreto determinetur res, in qua talis significatio invenitur. Sed hoc esse possibile inde constat quod aptitudo ad effectum sacramenti exprimendum in pluribus adesse potest[7], sicut, e converso, in una re est aptitudo ad effectus diversorum sacramentorum significandos[8]. — Ceterum hæc dicuntur de *possibilitate;* de *facto* enim æstimamus Christum etiam *in specie* seu in individuo instituisse omnia sacramenta, tum quia opera Christi sunt perfecta, tum quia facultas data Apostolis determinandi in specie sacramenta non probatur, tum quia definitiones Ecclesiæ et testimonia Scripturæ, quibus evincitur insti-

---

4 S. THOM. *l. c.* a. 4.

5 S. THOM. *l. c.* ad 1 et 3.

6 Cf. supra n. 5.

7 *Chrisma* et *impositio* manuum, seorsim sumpta, effectum sacramenti confirmationis exprimere possunt, et similiter *impositio* manuum et *traditio* instrumentorum seorsim possunt effectum sacramenti ordinis signare.

8 Impositio manuum æque exprimit effectum sacramenti *confirmationis* et *ordinis.*

tutio sacramentorum per Christum, convenientius explicantur de institutione in specie, tum quia congruentiæ, desumptæ ex unitate Ecclesiæ et ex perfectione fidei ad probandum Christum esse immediatum auctorem sacramentorum, urgeri possunt contra institutionem *in genere* tantum.

61. **Errores - Veritas.** Ut taceamus de sententia quorumdam SCHOLASTICORUM *mediatam* tantum institutionem aliquorum sacramentorum Christo tribuentium, REFORMATORES Ecclesiam dixerunt auctricem aliquorum sacramentorum, MODERNISTAE [9] vero blasphemant quod « sacramenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt » [10]. — **Veritas** prostat in CONC. TRID.: « S. q. d. sacramenta N. L. non fuisse *omnia* a J. C. D. N. *instituta*... a. s. » [11].

THES. 9. *Sacramentorum — 1 auctor principalis est Deus; potestate vero excellentiæ omnia sacramenta N. L. — 2 sunt a Christo — 3 immediate instituta.*

62. **Prima pars.** *Principalis sacramentorum auctor est Deus.* Nam in **Scripturis** legimus: *Gratiam et gloriam dabit Dominus* [12], et Apostolus ait: *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo* [13]: ergo quæ sunt ordinata ad justificationem, tamquam a principali auctori sunt a Deo: atqui sacramenta sunt causæ justificationis: ergo. — **Ratio** est quia in institutione et in usu instrumentorum ille tantum est independens, qui est causa principalis effectus: atqui sacramentorum effectus, ratione subjecti in quo recipitur [14], et ratione propriæ entitatis [15], efficienter et principaliter nonnisi a Deo esse potest: ergo.

63. **Secunda pars.** *Christus, qua homo, omnia sacramenta N. L. instituit.* Nam omnia sacramenta in **Scripturis** commemorantur: si ergo non sunt a Christo, sunt ab Apostolis: atqui Apostoli non instituerunt: ergo. PROB. ANTEC. De BAPTISMO legimus: *Euntes docete... baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus S.* [16]: de CON-

---

[9] Supra n. 7.
[10] DECR. *Lamentabili* pr. 40.
[11] CONC. TRID. sess. 7 cn. 1.
[12] Ps. **83.** 12.
[13] Rom. **1.** 7.
[14] Gratia subjectatur in anima, cui solus Deus illabitur. Supra n. 40.
[15] Gratia est realitas ordinis supernaturalis, quæ a solo Deo tamquam a causa principali esse potest. Vol. 2 n. 509.
[16] Matt. **28.** 19.

FIRMATIONE: *Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum*[17]*:* de EUCHARISTIA: *Hoc est corpus meum... Hic est sanguis meus novi testamenti*[18]: de PŒNITENTIA: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta sunt*[19]: de EXTREMA UNCTIONE: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini*[20]: de ORDINE: *Hoc facite in meam commemorationem*[21]: de MATRIMONIO: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia*[22]. PROB. MIN. SUBS. Nam Apostolus scribit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*[23]; dispensator autem ab auctore distinguitur: atqui inter *mysteria Dei* enumeranda sunt sacramenta; siquidem in præcedentibus etiam de *baptismo*[24] et de *generali ministerio*[25] locutus erat Apostolus: ergo. — **Ex Patribus** sic AMBR.: « *Auctor* sacramentorum quis est nisi *Dominus Jesus?* De cœlo sacramenta venerunt »[26]. AUG. arguit ex sacramentorum *fine* et ex *unitate* Ecclesiæ: « Noluit (Christus sacramenta ab Apostolis institui), ut in illo *spes* esset baptizatorum, a quo baptizatos se agnoscerent... Ergo ne *tot baptismata* dicerentur, quot essent servi, qui baptizarent accepta potestate a Domino, sibi tenuit Dominus baptizandi potestatem, servis *ministerium* dedit »[27]. — **Ex ratione.** Nam in qualibet societate *leges* et *decisiones,* quibus pro conditione temporum moderantur jura et officia membrorum, emanant ab auctoritate constituta in societate; at quod audit *statutum fundamentale,* complectens leges quæ finem, formam et præcipua media societatis respiciunt, non sunt ab auctoritate sociali, sed a societatis fundatore: atqui sacramenta sunt potissima media quibus Ecclesia finem suum assequitur: ergo ab Ecclesiæ fundatore, qui est Christus, procedunt. CONFIRMATUR *analogia.* Nam in V. T. sacramenta et sacrificia, etsi promulgata a Moyse, fuerunt a Deo instituta, ut

---

17 Act. **8.** 17.
18 Matth. **26.** 26-8.
19 Joan. **20.** 23.
20 Jacob **5.** 14.
21 Luc. **22.** 19; Act. **6.** 6; 1 Tim. **4.** 14; 2 Tim. **1.** 6, etc.
22 Ephes. **5.** 32.
23 1 Corinth. **4.** 1.
24 *L. c.* **1.** 13 sqq.
25 *L. c.* **3.** 5.
26 AMBR. *De Sacram.* IV c. 4. n. 13.
27 AUG. in *Joan.* tr. 5 n. 7; *De Vera Relig.* c. 17 n. 33; *De Doctr. christ.* c. 9; epist. 54 *ad Jan.* c. 1.

patet de circumcisione [28] et de ritibus sacrificalibus [29]; a fortiori ergo sacramenta N. L., quæ V. T. præstant, per Christum institui debuerunt.

64. **Tertia pars.** *Sacramenta N. L. sunt immediate instituta a Christo. a) Ex prædictis.* Nam auctor et institutor cujusvis rei ex communi locutione ille intelligitur, qui rei determinat constitutiva essentialia : atqui juxta **Scripturas** et **Patres** Christus solus est sacramentorum *auctor,* ceteri vero *ministri* tantum et *dispensatores:* ergo Christus *per se* et immediate sacramenta instituit. *b) Ex sacramentorum analogia;* siquidem ex Scripturis constat Christum per se et immediate instituisse *baptismum, eucharistiam* et *pœnitentiam* [30]: atqui congruit sacramentorum perfectioni ut omnia pari ratione a fundatore fuerint instituta: ergo. *d) Ex Conc. Trid.* Nam Conc., ut patet ex ipsa professione fidei [31], distinguit *apostolica* a *divina:* atqui etiam apostolica mediate sunt divina: ergo Conc. *divina* ea tantum vocat quæ immediate sunt a Deo; unde cum docet sacramenta esse instituta a C. D., de immediata institutione loquitur. Quare in particulari quæstione de extrema unctione *promulgationem* factam a B. Jacobo opponit *institutioni* Christi [32], et in genere docet quod Ecclesia habet potestatem circa sacramentorum dispensationem et usum, « salva illorum substantia » [33], dum, si sacramenta essent immediate instituta ab Ecclesia, ipsa posset etiam eorum substantiam mutare, quippe, qui instituit, potest et abrogare.

65. **SOLVITUR DIFFICULTAS. Objic.** Si sacramenta essent a Christo instituta immediate, *eadem* forent in universa Ecclesia, nec processu temporis *mutari* potuissent: atqui *confirmatio* et *ordo* diversimode conferuntur in Ecclesia latina et græca, *matrimonium* vero aliter nunc quam prius conficitur, siquidem ante TRID. matrimonia clandestina valebant: ergo. **Resp.** Differentia ritus in administratione confirmationis et ordinis est accidentalis; in *confirmatione* enim græcorum forma deprecativa æquivalet absolutæ [34], et in *ordine* instrumentorum traditio pro Ecclesia latina probabiliter non est de essentia sacramenti [35]. Porro in matrimonio

---

[28] Gen. 17. 10. 10-4.
[29] Lev. *per totum.*
[30] Supra n. 63.
[31] Proposita est a PIO IV a. 1564.
[32] CONC. TRID. sess. 14 p. 2 c. 1.
[33] CONC. TRID. sess. 21 cp. 2.
[34] Antiquitus in Eccl. Latina forma *pœnitentiæ* erat deprecativa HERGENR. IV p. 444.
[35] Videbimus in tr. *de Ordine.*

impedimentorum dirimentium determinatione Ecclesia non mutat materiam sacramenti, quæ est legitimus consensus, sed conditiones tantum et præambula ad materiæ existentiam. Christus nempe evexit legitimum maritalem consensum ad esse sacramenti, at conditiones requisitas pro legitimitate contractus non determinavit, sed juxta temporum oportunitatem, Ecclesiæ, cui sacramenta administranda tradidit, determinandas reliquit[36].

ART. 2 - DE SACRAMENTORUM MINISTRO

66. **Quis minister.** Minister dicitur qui nomine et auctoritate alterius agit, unde « quodammodo eadem ratio est ministri et instrumenti »[1]. Sicut nempe in instrumento distinguitur actio procedens ab eo uti *a tali re,* quæ est propria instrumenti et suæ naturæ proportionata, ab actione procedente ab eo uti *ab instrumento,* quæque non commensuratur virtuti instrumenti sed principalis agentis[2]; ita in ministro distinguenda est *operatio ministerialis* ab operatione quæ a ministro procedit ut ab agente *propria auctoritate;* illa principalius est ab illo in cujus nomine minister agit et cujus virtuti effectus commensuratur; hæc est a ministro tamquam a causa principali ejusque virtuti proportionatur. Quare *sacramentorum minister* ille est qui sacramenta conficit et confert non nomine proprio propriaque virtute, sed ut motus a Deo, a quo sicut pendet sacramentorum effectus, ita principalius procedit sacramentorum confectio et administratio.

67. **Quotuplex sacramentorum minister.** Alter est *principalis,* alter *secundarius;* minister *principalis* est qui sacramenta eligit et ab alio in administratione non pendet, *secundarius* est qui conficit sacramenta ab alio determinata et administrat ut motus a principali. Porro minister secundarius esse potest *validus* et *legitimus, ordinarius* et *extraordinarius.* Minister *validus* est, qui habet potestatem ponendi actionem quæ instrumentaliter operatur sanctificationem suscipientis: *legitimus* qui insuper confert vel conficit servatis servandis, qui scil. licite facit: *ordinarius* qui ex officio est deputatus ad sacramenta conficienda vel administranda, quique proinde agit jure proprio absque speciali delegatione: *extraordinarius* qui vel ex necessitate, vel ex speciali delegatione sacramenta conficit aut

---

36 Plura dicemus in tr. *de Matrimonio.*

1 S. THOM. 3 p. q. 64 a. 5.

2 Vide supra n. 24.

administrat. Exemplum ministri *validi* habes in simplici sacerdote approbato et delegato ad confessiones excipiendas, *legitimi* in parocho qui in statu gratiæ baptizat, *ordinarii* in episcopo confirmante, *extraordinarii* in semplici sacerdote ex delegatione R. P. conferente sacramentum confirmationis, et in laico ex necessitate baptizante.

68. **Intentio faciendi quod facit Ecclesia.** « *Intentio,* ait S. THOM. nominat actum voluntatis præsupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem » [3], scil. est actus voluntatis dirigentis operationem ad præstitutum finem, quare *intentio sacramentalis* est voluntas ponendi ea quæ pertinent ad materiam et formam sacramenti, ut ipsum sacramentum perficiatur; *intentio* vero *faciendi quod facit Ecclesia,* juxta nominalem notionem, est voluntas peragendi ritum sacramentalem ad assequendum finem quem Ecclesia intedit, cum per suos ministros sacramenta conficit. Hæc intentio *materialiter* nihil aliud est quam voluntas conficiendi sacramentum a Christo Domino institutum, sed *formaliter* dicit aliquid amplius, scil. voluntatem perficiendi id quod Ecclesia *indefectibiliter* et *jure proprio* peragit. Profecto sectæ separatæ *conficere possunt* sacramenta; sed conficiunt *fraudolenter,* usurpando bona Ecclesiæ, et possunt etiam *non conficere,* quia apud eas debita forma potest corrumpi et vera intentio deesse; Ecclesia e contra confert *indefectibiter* quia infallibilitatis privilegio ditata est [4], et confert *jure proprio* quia Christus, qui pro ipsa semetipsum tradidit, ut eam mundaret lavacro aquæ in verbo vitæ [5], dedit ei claves regni cœlorum [6], et mittens ad prædicandum evangelium in mundum universum [7], legitimam fecit dispensatricem omnium bonorum suorum [8], sacramentorum ministram [9], et de necessitate medii ad salutem [10]. Hinc qui extra Ecclesiam conficiunt sacramenta, Ecclesiæ debent conformari; non secus ac fur, nummos fraudulenter cudens, regiis flatuariis conformatur, et privatus, qui nota militari aliquem signat, imitatur legitimos ministros; siquidem ex conformitate cum authenticis, nummi falsi valent, et ex concordia cum charactere militari

---

[3] S. THOM. 1-2 q. 12 a. 1 ad 3.

[4] Matth. **16**. 15; **28**. 31; Luc. **22**. 32 etc.

[5] Ephes. **5**. 25-6.

[6] Matth. **16**. 19.

[7] Matth. **28**. 19-20.

[8] Luc. **12**. 41-2.

[9] 1 Corinth. **4**. 1 coll. **11**. 23-6, 34.

[10] Matth. **18**. 17. « Habere non potest Deum patrem, inquit CYPR. *De Unit. Eccl.* n. 6, qui Ecclesiam non habet matrem ».

13428

impresso a ducibus exercitus, nota privata agnoscitur et reputatur ad mercedem. Quia tamen intentio conficiendi sacramentum esse potest *implicita*, et intentio *faciendi quod facit Ecclesia* materialiter consistit in voluntate *faciendi quod Christus instituit;* quicumque vere vult conficere sacramentum a Christo institutum, habet jam intentionem faciendi quod facit Ecclesia et *valide* sacramentum administrat.

69. **Intentio interna et externa, actualis, virtualis et habitualis, implicita et explicita.** Intentio *interna* est voluntaria ordinatio actionis seu ritus sacramentalis ad finem ob quem est institutus, ac proinde est ipsa intentio *faciendi quod facit Ecclesia* de qua hucusque diximus: intentio *externa* tota versatur circa externum ritum, et est voluntas proferendi verba quæ sunt sacramenti forma, et adhibendi materiam quæ in sacramenti confectione adhiberi solet. Prima deest cum quis *ex joco* vel *docendi causa* ponit quæ ad sacramentum pertinent; altera semper et necessario adest cum sacramenti ritus servatur; repugnat enim aliquem nolle v. g. aquam super caput infantis effundere, cum effundit, vel nolle proferre verba, cum libere dicit. — Utraque, sed maxime interna, dividitur in actualem, virtualem et habitualem: intentio *actualis* dicitur quæ tempore actionis *est in se ipsa; virtualis* quæ *est in suo effectu morali; habitualis* quæ proprie non *est* sed *fuit,* et tamen intelligitur manere, quia non fuit retractata, unde in ordine morali adhuc imputatur [11]. Intentio *actualis* (ex qua virtualis et habitualis oriuntur) vocatur *explicita* vel *implicita* prout voluntas ordinationem in finem elicit actu, qui illum exprimit sub formali et propria ratione, vel exprimit indirecte aliquo actu æquivalenti [12]. Ad conficiendum sacramentum sufficit voluntas *implicita,* sed requiritur ut sit saltem *virtualis.* Ratio est quia intentio, ut videbimus, operatur ad esse sacramenti, nihil autem operatur nisi in quantum *est,* siquidem operatio sequitur esse: atqui intentio *habitualis*

---

11 Exemplum intentionis *actualis* habes in sacerdote qui aquam infundens super caput infantis cogitat de baptismo, et ritum externum ordinat ad sanctificationem baptizandi; intentionis *virtualis* in sacerdote qui volens celebrare missam parat omnia et deinde, distractus, profert verba consecrationis; intentionis *habitualis* in sacerdote qui, accepta eleemosyna pro missa celebranda determinato die, statuit oneri suo satisfacere, sed dein, oblitus, intentionem non renovat.

12 Intentionem *explicitam* habet sacerdos qui scienter dicit « volo celebrare missam »: *implicitam* qui, accepto breviario, officium persovit; etsi enim neque verbis, neque mente dicat, certe oneri vult satisfacere.

non est sed fuit, *implicita* autem et *virtualis* vere existunt in æquivalenti vel in morali effectu: ergo.

70. **Errores - Veritas.** Quoad *personam* ministri erraverunt NOVATORES et maxime LUTHERUS qui potestatem conficiendi sacramenta extendit ad ipsos dæmones. Quoad *conditiones* requisitas in ministro *excessu* erraverunt DONATISTÆ, WALDENSES, et ANABAPTISTÆ requirentes in ministro bonitatem vel fidem; *defectu* LUTHERANI et CALVINISTÆ contenti solo externo ritu, et CATHARINUS sufficientem reputans intentionem *externam* [13]. — **Veritas.** De *persona* ministri CONC. TRID. docet: « S. q. d. Christianos omnes in verbo, et in omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; a. s. » [14]; de non necessitate *gratiæ* et *fidei:* « S. q. d. ministrum in peccato mortali existentem... non conficere aut conferre sacramentum, a. s. » [15]: « S. q. d. baptismum; qui datur ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus S., cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum; a. s. » [16]: de necessitate *intentionis*: « S. q. d. in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia; a. s. » [17]; de intentione *interna* contra Catharinum adduci solet prop. damnata ab ALEXAND. VIII: « Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo quod facit Ecclesia* » [18].

THES. 10. *Minister principalis sacramentorum N. L. est Christus.*

71. Nam minister principalis est ille qui sacramenta instituit et per alios, quasi per legatos, administrat: atqui **ex Scripturis** constat quod Christus sacramenta instituit [19], et quod Apostoli sunt legati [20]

---

[13] Suprà n. 7.

[14] CONC. TRID. sess. 7 p. 2 cn. 10; sess. 23 cp. 4.

[15] CONC. TRID. sess. 7 p. 1 cn. 12; INN. III *Prof. Fidei prop. Waldens.*; JOAN. XXII *dam.* pr. 4; MART. V dam. *Wiclif.* ar. 4.

[16] CONC. TRID. sess. 7 p. 2 cn. 4; STEPH. I *Decr. cont. rebapt.;* CONC. LAT. a. 1116.

[17] CONC. TRID. sess. 7 p. 1 cn. 11; FLORENT. *Dec. pro Armen.*

[18] ALEX. VIII prop. 28. 7 *Dec. 1690.*

[19] Suprà n. 63.

[20] *Pro Christo legatione fungimur.* 2 Corinth. 5. 20.

et ministri [21] ejus qui, sacerdos in æternum [22], semper manens in Ecclesia [23], baptizat in Spiritu S. [24], *quamquam Jesus non baptizaret sed discipuli ejus* [25]: ergo principalis sacramentorum minister est Christus. Si sacerdos non gereret personam Christi, quomodo cum veritate diceret: *Hoc est corpus meum?* — **Patrum** sententiam exprimit AUG. dicens: « Hic (Christus) est qui baptizat in Spiritu S., nec sicut Petilianus dicit, jam baptizare cessavit, sed adhuc id agit, non ministerio corporis, sed invisibili opere majestatis » [26]: « Petrus baptizet, hic (Christus) est qui baptizat; Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Judas baptizet, hic est qui baptizat » [27]. — Accedit **ratio,** nam charactere homo conformatur Christo; « unusquisque ergo minister Ecclesiæ quantum ad aliquid (in eo scil. in quo est minister) gerit typum Christi » [28].

THES. 11. *Non quilibet homo est minister* VALIDUS *omnium sacramentorum, sed* — 1 *qui rite ordinatus,* — 2 *actionem sacramentalem ponit cum* INTENTIONE — 3 INTERNA *faciendi quod facit Ecclesia.*

72. **Prima pars.** *Non quilibet homo est omnium sacramentorum* VALIDUS *minister, sed qui rite est ordinatus.* Nam **Scripturæ** clericis, a laicis distinctis [29], expresse tribuunt potestatem conficiendi præcipua sacramenta, ut patet de *eucharistia* [30] et *pœnitentia* [31] quæ Christus commisit Apostolis, et de *confirmatione* et *ordine* quæ soli Apostoli administrarunt [32]. Hinc PAULUS munus *ministri Christi* et *dispensatoris mysteriorum* Dei proprium Apostolorum dicit [33]; denegans quemque posse pro suo marte fungi sacerdotio [34]; siqui-

---

[21] *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* 1 Corinth. **4**. 1; **3**. 5.

[22] Hebr. **2**. 3-5.

[23] *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Matth. **28**. 20.

[24] Joan. **1**. 33.

[25] Joan. **4**. 2.

[26] AUG. *C. litt. Pet.* III c. 49.

[27] AUG. in *Joan.* tr. 6 n. 7; AMBR. in *Ps.* **38** n. 25.

[28] S. THOM. *IV Dist.* 24 q. 3 a. 2 q. 1 ad 2.

[29] Dicemus in tr. *De Ordine.*

[30] Luc. **22**. 19.

[31] Joan. **20**. 22.

[32] Act. **6**. 2-6; **8**. 14-7; 2 Tim. **1**. 6. Similia dici possunt de *Extrema Unctione* cujus administratio B. Jacobus reservat presbyteris **5**. 14.

[33] 1 Corinth. **4**. 1. Supra not. 21.

[34] *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron* Hebr. **5**. 4.

dem *Ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii* [35]. — **Patrum** sententia innotescit *ex praxi* Ecclesiæ [36], quæ *a*) tempore persecutionum per presbyteros, etiam cum magno vitæ discrimine et periculo profanationis mysteriorum, eucharistiam consecravit, *b*) irritam habuit ordinationem Ischyræ quia Colluthus, qui eum ordinaverat, non erat episcopus [37]; et *c*) præter *baptismum* (in casu necessitatis) et *matrimonium* numquam permisit laicis conferre sacramenta. Accedunt aperta testimonia; nam CHRYS. excellentiam sacerdotii ex potestate conficiendi sacramenta illustrat [38]; sacerdotes tantum posse Eucharistiam conficere docent JUST. M., TERTUL., CYPR., ORIGEN. aliique plures [39]: ipsis exceptis, neminem posse absolvere [40] et extremam unctionem administrare [41], testantur ORIG., AMBR., INNOC. I, CHRYS., AUG., etc.: solis vero episcopis reservari collationem confirmationis [42] et ordinis [43], affirmant CYPR., HIERON., INNOC. I, CHRYS. et AUG. Quare R. P. ANAST. imperatori clamabat: « Ne te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius hæc ediscas. *Tibi Deus* imperium tradidit, *nobis* ecclesiastica concredidit » [44]. — **Ratio** sumitur *ex natura societatis,* in qua bona socialia non ab omnibus distribuuntur, nec officia sunt omnibus communia: atqui sacramenta sunt christianæ societatis præcipua bona et sacrum ministerium est officium sociale, siquidem sacerdos *pro hominibus constituitur* [45]: ergo non omnes in Ecclesia ministri esse debent sacramentorum, sed qui sacra ordinatione ad publica munia deputantur.

---

[35] Ephes. **4**. 11-2. Apostolus hoc loco proprie loquitur de *donis gratis datis* (A-LAPIDE in *h. l.;* CORNELY in 1 *Corinth* p. 385-8), innuit tamen administrationem bonorum Ecclesiæ (inter quæ profecto annumerantur sacramenta) non æque omnibus esse concessam.

[36] Praxim Ecclesiæ esse regulam fidei docent CŒLEST. I epist. 21 ad *Gall.* c. 11; PIUM IX Bulla *Ineff.;* AUG. *De cura ger. pro mort.* c. 1. n. 3.

[37] ATHAN. *C. Arian.* n. 12.

[38] CHRYS. *De sacerdotio* passim.

[39] JUST. M. *Apol.* 1 n. 65; TERTUL. *De præscr.* c. 41; CYPR. *epis.* 4; ORIG. in *Num.* hom. 4 n. 3.

[40] ORIG. in *Lev.* hom. 2 n. 4; AMBR. *De Pœn.* I c. 2 n. 7; HIER. in *Matth.* **16**. 19; AUG. *epist.* 351.

[41] ORIG. in *Lev.* hom. 2 n. 3; CHRYS. *De Sacr.* III n. 6; INNOC. I *epist.* 25.

[42] CYPR. *epist.* 73 n. 9; CHRYS. in *Act.* hom. 18 n. 3; AUG. *De Trinit.* XV c. 25 n. 46.

[43] HIER. *epist.* 146 n. 1; EPIPH. *Hær.* 75 n. 4; CHRYS. in 1 *Tim.* hom. 11.

[44] ATHAN. *C. Arian.* n. 12.

[45] Hebr. **5**. 1.

73. **Secunda pars.** *Ad valorem sacramenti requiritur in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia. — a) Ex sacramentorum natura.* Nam sanctificatio ex sola externa positione signorum gratiæ, licet absolute non repugnet[46], non fuit conveniens ex parte sacramenti, neque ex parte ministri. Non *ex parte sacramenti,* quia « ea, quæ in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi; sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiem corporalem, et ad sanitatem corporalem et ad ludum et ad multa alia hujusmodi; et ideo oportet quod *determinetur ad unum,* idest ad sacramentalem effectum *per intentionem abluentis* »[47]. Non *ex parte ministri,* quia Christus confectionem sacramentorum non tradidit brutis animalibus, sed hominibus qui agentes intuitu finis, in sacramentorum administratione debent velle conficere sacramenta, quod est habere *intentionem faciendi quod facit Ecclesia*[48]. *b) Ex sacramenti constitutivis.* Nam Christus voluit sacramenta constare *rebus* et *verbis*: atqui verba, utpote signa conceptuum[49], propria natura frustrantur si, deficiente intentione, voluntatem sanctificandi non exprimunt: ergo[50]. *c) Ex notione ministri.* Nam apud homines *minister* non dicitur qui ex joco vel simili de causa aliquid agit, sed qui nomine et auctoritate alterius operatur: atqui conficientes sacramenta Christus fecit suos ministros et legatos[51]: ergo requisivit ut suam gererent personam, ac proinde interna agerent intentione. *d) Ex praxi Ecclesiæ* quæ nullum habuit baptismum collatum sæc. 2 a muliere quadam præstigiatrice[52], et reprobavit ordinationem Novati quia factam ab episcopis « temulentis et crapula op-

---

[46] Nam si Chistus sine sacramentis poterat justificare, profecto etiam sine ministri intentione vim sanctificandi dare poterat sacramentis.

[47] S. THOM. 3 p. q. 64 a. 8.

[48] « Instrumentum animatum, inquit S. THOM. *l. c.* ad 1, non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, inquantum sua voluntate movet membra ad operandum; et ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti, ut scil. intendat facere quod facit Christus et Ecclesia ».

[49] *Verba* exprimunt res tantum *mediate;* quod enim immediate significant, sunt conceptus mentis. SCHIFF. *Princ. Phil.* n. 22; TILM. PESCH *Inst. Logic.* I n. 218; II n. 987-9.

[50] Adde *Pœnit.* perfici judicio (Joan. **20**. 23). et *Extr. Unc.* oratione (Jac. **5**. 14); *judicium* autem et *oratio* sine mentis consideratione ne intelligi quidem possunt.

[51] Supra n. 63.

[52] FIRMIL. epist. *ad Cypr.*

pressis, quos (Novatus) adumbrata et inani manuum impositione episcopatum sibi tradere per vim coëgit »[53].

74. **Tertia pars.** *Intentio mere externa non sufficit.* Nam ex prædictis constat intentionem necessariam ad valorem sacramenti illam esse *a*) qua minister se subjicit Christo ad finem sanctificandi animas, *b*) qua signa, per se indifferentia ad plura, ad unum determinantur, *c*) qua gutturis soni naturam verborum practicorum induunt, et *d*) qua actus judiciales et orationes perficiuntur: atqui hæc non habentur sola intentione externa, ut per se patet: ergo. CONFIRMATUR *ex documentis Ecclesiæ.* Nam quando Ecclesia contra Lutherum[54] et alios hæreticos[55] necessitatem intentionis *faciendi quod facit Ecclesia* vindicavit[56], de illa intentione egit quæ poterat abesse cum actus externus ponitur, quæque de facto abest quando sacerdos non habet *animum serio agendi et vere absolvendi* (in sacr. pœnit.), vel (in baptismo) « *ritum externum formamque* baptizandi observat; intus vero *in corde suo apud se* resolvit: non intendo quod facit Ecclesia »: atqui intentio externa non est nisi voluntas ponendi *ritum externum* quæ abesse nequit cum externus ritus ponitur, quæque potest consistere cum animo *jocandi, non serio agendi,* cum quis resolvit *intus, in corde suo:* non intendo quod facit Ecclesia: ergo ad valorem sacramenti intentio externa non sufficit.

THES. 12. *Valor et fructus sacramenti non pendent* — 1 *a bonitate ministri,* — 2 *neque ab ejus fide;* — 3 *ut tamen sacramentum licite conferatur, minister ordinarius in statu gratiæ esse debet.*

75. **Prima pars.** *Valor et fructus sacramenti non pendent a bonitate ministri*[57]. Ut verum dicam, **Scripturæ** *directe* non loquuntur de nostra quæstione, innuunt tamen cum hominis opera-

---

[53] CORNEL. epist. *ad Fabian.* apud EUSEB. *H. E.* VI c. 43.

[54] LEO X dam. *Luther.* prop. 12.

[55] ALEX. VIII dam. *prop.* 28.

[56] CONC. FLOR. decr. *pro Armen.*; TRID. sess. 14 cp. 6; cn. 9.

[57] Hoc intelligitur *per se,* nam *per accidens* bonitas ministri multipliciter influere potest. *Primo* quidem quoad securitatem sacramenti, quia minister malus potest corrumpere formam, vel non habere intentionem. *Secundo* quia minister bonus suis orationibus meliores dispositiones suscipientis curat. *Tertio* quia sæpe officio ministri adduntur alia amicis, doctoris et patris, quæ sanctitate valde perficiuntur. *Quarto* quia minister malus peccat administrando, nec sine

tionem in re sacramentaria intra limites actionis ministerialis continent [58]; apud homines enim efficacia operis ministerialis non petitur a sapientia, potentia vel bonitate ministri, sed a virtute principalis agentis. Quare Apostolus nolebat Corinthios gloriari de persona baptizantis [59], quod e contra licuisset, si sacramentorum fructus penderet a qualitatibus ministri. **Ex Patribus** adduci possunt testimonia afferenda pro secunda parte; si enim hæresis, quæ privationi gratiæ superaddit infidelitatem, non impedit valorem et fructum sacramenti, multo minus obstant cetera peccata. De non requisita sanctitate in particulari loquitur AUG. qui, cum dixerit: « si quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, *Christus baptizavit* »[60], concludit: « Illud quod datum est, *unum* est, nec impar propter improbos ministros, sed *par et æquale* »[61]. Et GREG. Naz.: « Quamvis alius alium vitæ probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est » [62]. **Ex ratione.** Nam sanctitas in ministro vel requireretur ex natura rei, vel ex positiva voluntate Christi institutoris sacramentorum: atqui non *ex natura rei,* quia effectus sacramenti non est ex meritis ministri sed ex opere operato, quod æque ponitur a justo et a peccatore; non *ex positiva institutione* Christi, quia de hac voluntate silent Scriptura et Traditio, imo contrarium edocent, ut modo declaravimus: ergo. Porro Christus de necessitate sacramenti non fecit statum gratiæ in ministris: *a*) ne virtus sacramenti putaretur esse a ministris, *b*) ne fiducia suscipientium poneretur in eis, ac de meliori illorum sanctitate altecarentur christiani, inde divisionum causam sumentes, et *c*) maxime ne fideles nimis anxietatibus opprimerentur; siquidem status gratiæ difficillime scitur, cum ipsum habentem lateat. Hinc AUG.: « Quomodo de istis securi sunt, si conscientia dantis attenditur, quæ latet oculos accepturi? »[63].

---

gravi causa licet aliorum peccatis, utut materialiter, cooperari. « Ex hoc ipso, inquit S. THOM. 3 p. q. 64 a. 9 ad 2, quod aliquis accipit sacramenta ab hæreticis, peccat et per hoc impeditur, ne effectum sacramenti consequatur ».

[53] Supra n. 62-3.

[59] *Unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* (Attendas causam meritoriam ex qua sacramenta habent virtutem) *aut in nomine Pauli baptizati estis?* 1 Corinth. 1. 12-3.

[60] AUG. in *Joan.* tr. 5 n. 18.

[61] AUG. in *Joan.* tr. 6 n. 7-8.

[62] GREG. Naz. Or. 40 *in Bapt.* n. 26; CHRYS. in *1 Corinth.* hom. 8 n. 1.

[63] AUG. *C. litt. Petil.* I c. 3.

76. **Secunda pars.** *Valor et fructus sacramenti non pendent a fide ministri.* **Ex Scripturis** nihil addimus his quæ in prima parte dicta sunt; æque enim valent de bonitate et fide ministri. — **Patrum** doctrina clare elucet ex celebri controversia de rebaptizandis hæreticis, quæ sæc. 3 catholicorum animos commovit. Cum enim post AGRIP., CYPR. legem condidisset de rebaptizandis hæreticis conversis, non tantum STEPH. I decretum Cypr. et Firmil. reprobavit, sed pro validitate baptismi hæreticorum antiquam consuetudinem adduxit [64], quam etiam CYPR. fassus est [65], et testati sunt EUSEB., HIER., AUG. et VINC. LIR. [66]: ergo ante et post sæc. 3 constans fuit Patrum sententia quod fides ministri non esset de necessitate sacramenti. Hoc autem Patres exemplis quoque illustrarunt. GREG. Naz. adducit similitudinem *annuli* qui sive aureus, sive ferreus sit, æque imprimit imaginem imperatoris [67]: AUG. arguit ex sacramentorum *auctore* Deo [68] et *principali ministro* Christo [69] qui malitia ministri secundarii propriam virtutem non ammittunt; rem autem explicat exemplo *seminis* quod fructificat etiamsi colonus infidelis plantaverit [70], et *canalis lapidei* qui, generandi virtutem expers, aquam fæcundantem defert [71]: NICOL. I imaginem ministri mali videt in *cera* quæ sibi detrimentum præstat, dum aliis lucem diffundit [72]. — **Rationem** jam audivimus a S. AUG. Scil. minister assimilatur instrumento [73]: atqui « accidit instrumento, inquantum est instrumentum, qualemcumque formam vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti (et in casu quod exigitur ad rationem instrumenti est intentio); sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animæ habentis artem, sit sanum vel infirmum; et sicut quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea. Unde ministri Ecclesiæ possunt sacramenta conferre, etiamsi sint mali (vel hæretici) » [74].

---

[64] Supra n. 7.

[65] CYPR. *epis.* 74 n. 3 fatetur consuetudinem a Steph. invocatam, etsi eam impugnet quasi humanam; FIRMIL. autem in epist. *ad Cypr.* agnoscit usum rebaptizandi saltem in Africa fuisse *novum*.

[66] EUSEB. *Hist. Eccl.* VII c. 2-3; HIER. *Adv. Lucif*, n. 23; AUG. *De Bapt.* II c. 7 n. 12; VINC. LIRIN. *Com.* 1 c. 6.

[67] GREG. Naz. *Or.* 40 n. 26.

[68] AUG. *C. Crescon.* III c. 8.

[69] AUG. *C. Litt. Petil.* III c. 49.

[70] AUG. *C. Crescon.* III c. 8.

[71] AUG. In *Joan.* tr. 5 n. 15.

[72] NIC. 1 *Ad consulta Bulgar.* c. 71.

[73] Supra n. 66.

[74] S. THOM. 3 p. q. 64 a. 5.

77. **Tertia pars.** *Minister ordinarius* [75] *sacramenti in statu gratiæ esse debet.* Nam qui in peccato administrat, injuriam facit sacramento et Christo. Injuriam facit *sacramento,* quia sancta sancte sunt tractanda, et Deus, qui a sacerdotibus V. T. sanctitatem requirebat [76], mundis tantum permittens ut vasa Domini deferrent [77], multo magis munditiem seu sanctitatem requirere debet ab iis qui sacramenta N. L., gratiam continentia et causantia, conficiunt. Injuriam facit *Christo,* quia minister sacramentorum gerit personam Christi et ejus virtute agit, indignum autem est turpissimum peccatorem *agnum immaculatum et incontaminatum* repræsentare [78]. Hinc RIT. ROM.: « Etsi sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis ministris eorum effectus impediri: impure tamen et indigne ea ministrantes in æternæ mortis reatum incurrunt » [79]. Patres autem cum INN. I docent quod « mali bona administrando se tantummodo lædunt » [80].

78. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Si valor sacramenti penderet ab intentione ministri, quisque dubitare deberet de sacramentis susceptis, et alterius malitia posset damnari: atqui hoc absonum est: ergo. **Resp.** De ministri intentione nemo ordinarie potest prudenter dubitare, siquidem intentio faciendi quod facit Ecclesia, nisi expresse excludatur, actum externum connaturaliter sequitur; quod autem quis ex malitia simulet sacramentum, difficillimum est, et providentia Dei ordinarie impeditur. Porro nullum dubium quod *parvuli* possint aliorum malitia privari æterna felicitate, ab aliis enim pendent in consecutione ultimi finis [81]: adulti vero sacramentorum nullitate non necessario damnantur, siquidem possunt justificari actu caritatis perfectæ, quem aliquando in vita, semper in morte elicere tenentur.

79. **Objic. 2.** Si ad sacramenti valorem requireretur *intentio faciendi quod facit Ecclesia,* hæretici nullum sacramentum conficerent et multo

---

[75] Dicimus ministrum *ordinarium,* nam qui *ex necessitate* ministat, cum imperfecte tantum rationem ministri attingat, gravem injuriam non inurit sacramento, si in peccato administret: « sicut etiam in humanis, rusticus per accidens et in casu necessitatis regi deserviens, non tenetur ministrare cum illo speciali ornatu et decore, quod in eo desideratur qui est ex officio ad ministrandum deputatus ». BILLOT *De Sacr.* I. p. 174; S. THOM. 3 p. q. 63 a. 6 ad 3; *IV Dist.* 24 q. 1 a. 3 sol. 5 ad 3.

[76] Lev. **19**. 2.

[77] Isai. **52**. 11.

[78] S. THOM. 3 p. q. 64 a. 6.

[79] RIT. ROM. *De Sacr. in gen.*

[80] INN. I *Synod. Rom.* a. 863; AUG. *C. epist. Parmen.* II c. 10 n. 22; GREG. IX *Decret.* tit. XI c. 11.

[81] Vol. 2 n. 219.

minus baptizarent, siquidem Ecclesiam non agnoscunt, et baptismo volunt homines aggregare suæ sectæ: atqui sacramenta in genere, et baptismus in specie valide conferuntur ab hæreticis: ergo. **Resp.** Ut supra explicavimus, intentio faciendi quod facit Ecclesia, *materialiter* est voluntas conficiendi vel administrandi sacramenta eo modo et fine quo Christus instituit; unde qui vere vult conficere sacramentum, jam intendit facere quod facit Ecclesia. Quod si minister, *volens* conficere sacramentum, expresse *nollet* facere quod facit Ecclesia, occurreret casus agentis cum duabus intentionibus pugnantibus, quo in casu, ut docet theologia moralis, effectus pendet a voluntate *prævalenti.* Si itaque hæreticus tam absolute excluderet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ut mallet non conficere sacramentum potius quam Ecclesiæ conformari, invalide administraret, siquidem nollet quod Christus instituit: si e contra per prius vellet sacramenta conficere, et ex falsa æstimatione de Ecclesiæ intentione nollet facere quod facit Ecclesia, conficeret sacramentum, quia intentio prævalens (etsi forte solum implicita) retractaret aliam. Idem valet de aggregatione ad Ecclesiam, quæ fit charactere baptismali; velis enim, nolis, effectus sacramenti pendet a Christo institutore et Deo auctore, siquidem sacramenta gratiam et characterem conferunt *ex opere operato:* quia ergo Christus charactere baptismali aggregat *suæ* Ecclesiæ, quæ alia non est a catholica, hæreticus, qui baptizat, non unit baptizatum suæ sectæ, sed conjungit Ecclesiæ catholicæ, a qua recedit ipse baptizatus, si libero consensu hæresi adhæret.

80. **Objic. 3.** Nemo dat quod non habet: atqui minister conficiens sacramentum dat gratiam: ergo gratiam habere debet [82], secundum illud Eccli.: *Ab immundo quis mundabitur?* [83] **Resp.** Actio ministerialis assimilatur instrumento, quod vim accipit a principali agente; quapropter vis sanctificandi nonnisi instrumentaliter esse debet in ministro sacramenti, et instrumentaliter esse potest etiam in peccatore, imo et in hæretico. Porro ex testimonio Eccli. nil evincitur contra thesim, significat enim quod « sicut immundus *per se* alium mundare nequit; sic veritas non est expetenda a mendace, puta ab ariolo, divino, oniromante, idest somniorum conjectore et interprete. Etsi enim aliquando verum dicant vel conjectent, tamen id perrarum est, ac multo sæpius falsum dicunt et divinant » [84]. Ceterum sicut immundus aqua, herba fullonum, et igne potest mundare; ita peccator sacramentis potest sanctificare.

81. **Objic. 4.** Non solum CYPR. et FIRMIL., atque episcopi consentientes in synodis ab eis coactis, validitatem baptismi hæreticorum im-

---

[82] Sic arguebat CYPR. apud *Hergenr.* I p. 357.

[83] Eccli. **34**. 4. In testimonio additur: *et a mendace quid verum dicetur?*

[84] A LAPIDE in *h. l.*

pugnarunt, sed alii Patres plurimi et magni nominis, ut DIONYS., ATHAN., BASIL., OPTAT., CYRIL., HIER., AMBR. et GREG. M.: ergo sententia negans fidei necessitatem in ministro Traditioni non innititur. **Resp.** *Nego consequentiam,* quia hi Patres non possunt infirmare praxim universalem a pluribus testatam. *Nego assertum,* quia, si præscindamus a BASIL., qui *practice* errasse videtur, alii vel *calumniose* adducuntur, ut DIONYS., de quo non sunt gloriati CYPR. et FIRMIL.; vel reprobarunt baptismum quorumdam hæreticorum ob *formam vitiatam,* ut ATHAN., OPTAT., CYRIL., GREG.; vel cum AMBR. dixerunt de *fructu* sacramenti, qui certe abest quando mala fide ab hæreticis petitur vel suscipitur [85].

82. **Objic. 5.** Sacramenta sunt bona Ecclesiæ, pro qua Christus mortuus est: ergo extra Ecclesiam non conficiuntur. **Resp.** Sacramenta sunt bona Ecclesiæ quia ab ipsa sola jure administrantur, non quia extra ipsam invalide conficiantur. Confusio *fructum* inter et *valorem* sacramenti, teste AUG., fuit occasio erroris CYPR. et aliorum; siquidem, « non distinguebatur *sacramentum* ab *effectu* vel *usu* sacramenti; et quia ejus effectus atque usus in liberatione a peccatis et cordis rectitudine apud hæreticos non inveniebatur, ipsum quoque sacramentum non illic esse putabatur » [86].

ART. 3 - DE SACRAMENTORUM SUBJECTO

83. **Gratiæ obex et dispositio.** *Obex* in sua generica ratione valet *impedimentum.* « Dupliciter autem aliquid impeditur ab alio. uno modo per modum *contrarietatis,* sicut frigus impedit actionem caloris... alio modo per modum cujusdam *defectus* » [1], « sicut rusticus impeditur ab actu geometricandi ex hoc quod habitum geometriæ non habet » [2]. Atqui obex in re gratiæ non potest attendi secundo modo; cum enim potentia animæ ad receptionem gratiæ sit *obedientialis,* impediri nequit defectu virtutis, qui locum tantum habet quando forma est educenda de materia virtute creata. Ergo obex gratiæ est *impedimentum resultans ex oppositione alicujus contrarii.* — Obex tollitur *dispositione,* quæ est *debita proportio materiæ ad formam;* « sed debita proportio materiæ ad formam, est dupliciter, scil. per *ordinem naturalem* materiæ ad formam, et

---

85 SARDAGNA *Theol. Dog.-Polem.* VI n. 177 sqq.

86 AUG. *De Bapt. c. Donat.* VI c. 1 n. 1.

1 S. THOM. 1 p. q. 4 a. 5 ad 4.

2 S. THOM. *II Dist.* 23 q. 2 a. 1 ad 5.

per remotionem *impedimenti.* Ad hoc ergo quod voluntas se ad gratiam sanctificantem præparet (vel disponat), oportet quod se in debita proportione ad Deum qui dat, et ad gratiam quæ datur, ponat. Sed proportio ad Deum per naturæ similitudinem, non est in potestate voluntatis; similiter nec proportio capacitatis gratiæ, quia hæc ei præexistit a creatione (qua potentiam obedientialem ad gratiam accepit); unde relinquitur quod in ipsa voluntate sit appropinquare Deo per affectum et desiderium, et ordinari ad gratiam per remotionem impedimenti quod quidem impedimentum est peccatum »[3]. Itaque *dispositio* in re gratiæ est *carentia eorum quæ gratiæ infusionem impediunt;* ex quo patet dispositiones non cooperari ad effectum sacramenti per modum causæ efficientis[4] vel meritoriæ[5], sed adinstar *causæ materialis*[6]. Quia tamen hujusmodi dispositiones consistunt in actibus positivis, et remotio ab affectu peccaminoso, cui non solum contradictorie sed contrarie opponuntur, suscipit gradus, etiam dispositiones ad fructum sacramenti esse possunt majores et minores[7].

84. **Sacramentum validum et informe.** Cum in subjecto datur obex ad *fructum* et non ad *valorem* sacramenti, sacramentum dicitur *validum et informe:* validum quia revera existit in suo esse, informe quia non producit gratiam, quæ est forma seu qualitas animæ[8]. Cave tamen ne reputes sacramento valido et informi nihil effici; vix enim aut ne vix quidem intelligitur operatio seu causalitas causæ sine aliquo termino: cum sacramentum validum non confert gratiam, confert *rem et sacramentum* quod, ut vidimus[9], est effectus directus et proprius sacramentorum.

---

[3] S. THOM. *IV Dist.* 17 q. 1 a. 2 sol. 2.

[4] Tales sunt *dispositiones exigitivæ* animæ rationalis quas generatione parentes inducunt in materiam.

[5] *Meritum* reducitur ad causam efficientem. S. THOM. *De Verit.* q. 29 a. 6.

[6] Attendas in præsenti *dispositiones* sumi reduplicative quoad effectum sacramenti; si enim absolute intelligantur, sunt *simul* actus meritorii de congruo vel de condigno, quibus respondet proportionatum præmium *ex opere operantis.* S. THOM. *IV Dist.* 17 q. 2 a. 5 sol. 1.

[7] Ut exemplo rem illustrem, *ariditas* ligni non est causa ignis, et tamen secundum ariditatis gradus lignum citius ardet: *fenestræ* domus non sunt causa lucis, et tamen juxta numerum et amplitudinem earum domus magis minusve illuminatur; similiter ergo et dispositiones suscipientis sacramentum non sunt *causæ* majoris vel minoris gradus gratiæ, quamvis *secundum gradum* earum sacramentum gratiam conferat.

[8] Vol. 3 n. 412.

[9] Supra n. 39.

85. **Errores - Veritas.** Ex fundamentali principio de extrinseca justificatione per imputationem meritorum Christi, REFORMATORES sicut inæqualitatem gratiæ negavere [10], ita necessitatem dispositionum ad sacramenti fructum inficiati sunt [11]. — **Veritas** continetur in definitionibus CONC. TRID. docentis justitiam recipi « secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, et *secundum propriam cujusque dispositionem* et cooperationem », et iterum: « S. q. d. non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper et omnibus, *quantum est ex parte Dei,* etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus; a. s. » [12].

THES. 13. 1 *Ad sacramenti valorem in adultis requiritur intentio suscipiendi;* — 2 *ad fructum vero sunt necessariæ nonnullæ dispositiones* — 3 *quibus gratia sacramenti commensuratur.*

86. **Prima pars.** *Ad valorem sacramenti in adultis requiritur intentio suscipiendi* [13]. Dicimus in *adulto* [14]; cum enim parvulus non possit seipsum adducere in finem vitæ æternæ, Deus, qui vult etiam parvulos salvos fieri [15], et rebus providet secundum eorum conditionem, nullam dispositionem ab eis requirit pro valore vel fructu sacracramenti. At requirit in adultis, siquidem in **Scripturis** legimus: *Ante hominem vita et mors,... quod placuerit ei, debitur illi* [16]: scil., ut AUG. dicit, « qui fecit te sine te, non te justificat sine te... Fecit nescentem, justificat *volentem* » [17]: atqui sacramentis homo justificatur vitamque assequitur sempiternam: ergo voluntarie suscipere debet. **Ex Patribus** audiatur iterum AUG.: « Cum alii pro iis (parvulis) respondent... valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non item valet. Ex qua regula illud in evangelio dictum est... *Ætatem habet, ipse pro se loquatur* » [18]. CONFIRMATUR EX

---

[10] Vol. 3 n. 444.

[11] Supra n. 7.

[12] CONC. TRID. sess. 6. cp. 7 — sess. 7 § 1 cn. 7.

[13] Cum intentio suscipientis operetur ad esse sacramenti ut *removens obstans,* et obex semel remotus non redeat nisi iterum adducatur, sufficit quod talis intentio sit *habitualis,* nisi, ut in sacramento matrimonii, per accidens induat rationem intentionis ministri. PESCH n. 311.

[14] Profecto si rationis est compos; nam perpetuus amens et stultus comparantur parvulis.

[15] Vol. 2 n. 221.

[16] Eccli. **15**. 18.

[17] AUG. *Serm.* 169 c. 11 n. 13.

[18] AUG. *De bapt. C. Donat.* IV c. 24.

CONC. TRID. quod pro adultis exigit ut « *proponant* suscipere baptismum » [19], quippe omnis eorum justificatio est « per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum » [20]. **Ratio** est quia « Deus movet omnia secundum modum uniuscujusque; sicut in naturalibus videmus quod aliter moventur ab ipso gravia, et aliter levia, propter diversam naturam utriusque. Unde et hominem ad justitiam movet secundum conditionem naturæ humanæ. Homo autem secundum propriam naturam habet quod sit liberi arbitrii. Et ideo in eo qui habet usum liberi arbitrii non fit motio a Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii; sed ita infundit donum gratiæ justificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his qui sunt hujus motionis capaces » [21].

87. **Secunda pars.** *In adulto ad fructuosam sacramenti receptionem requiruntur quædam dispositiones.* **Ex Scripturis.** Nam *sine fide impossibile est placere Deo* [22]. Ergo fides est conditio *sine qua non* pro omni justificatione, ac proide etiam pro fructuosa susceptione sacramenti. Quod autem dicitur de fide, et de *spe* est intelligendum: siquidem pro Apostolo fides est substantia *sperandarum* rerum [23], et *spe* salvi facti sumus [24]. In particulari legimus: *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* [25], et *pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum* [26]; ergo fides et pœnitentia sunt dispositiones necessariæ ad gratiam hujus sacramenti. Quoad *Eucharistiam* Apostolus exigit etiam statum gratiæ, scribit enim: *Probet... seipsum homo...; qui enim manducat et bibit indigne judicium sibi manducat et bibit* [27]. **Ex Conc. Trid.** quod ad fructum baptismi requirit *pœnitentiam* quæ præparatur *fide*, *timore* et *spe* [28]; ad fructum pœnitentiæ *detestationem peccati cum proposito non peccandi* de cetero [29]; ad fructum eucharistiæ *sanctitatem* et *reverentiam* [30]. — **Ratio.** Nam, ut audivimus a S. THOM., homo debet se præparare ad gratiam, quæ est fructus sacramenti: atqui hæc præparatio non consistit in sola voluntaria susceptione sacramenti, quippe quælibet præparatio importat accessum ad agentem et

---

[19] CONC. TRID. sess. 6 cp. 6.
[20] CONC. TRID. l. c. cp. 7.
[21] S. THOM. 1-2 q. 113 a. 3.
[22] Hebr. **11**. 6.
[23] Hebr. **11**. 1.
[24] Rom. **8**. 24.
[25] Marc. **16**. 16; Act. **8**. 36-7.
[26] Act. **2**. 38.
[27] 1 Corinth. **11**. 28-9.
[28] CONC. TRID. sess. 6 cp. 6.
[29] CONC. TRID. sess. 14 cp. 4.
[30] CONC. TRID. sess. 13 cp. 7.

dispositionem materiæ per naturalem proportionem ad formam, vel saltem per remotionem impedimentorum: ergo etiam in sacramentis « per displicentiam peccati et affectum ad Deum se aliquis ad gratiam præparare » debet[31].

88. **Tertia pars.** *Gratia sacramenti dispositionibus suscipientis commensuratur.* **Ex Patribus** et **praxi Ecclesiæ.** Nam si sacramenta non conferrent gratiam juxta mensuram dispositionum, inutiliter præpararentur homines ad eorum susceptionem; est autem praxis Ecclesiæ fervorem suscipientium excitare. « Relinque, sic CYRIL. Hier. exhortabatur neophytum proxime baptizandum, relinque præsentia... omitte inutilia loqui... munda vas tuum ut gratiam capias *abundantiorem:* remissionem peccatorum ex æquo datur omnibus, communicatio vero S. Spiritus *secundum proportionem uniuscujusque fidei* conceditur. Si parum laboraveris, parum accipiens; si vero multa operatus fueris, multa erit merces »[32]. Et DAMASC.: « Quamvis peccatorum remissio omnibus per aquæ baptismum detur; Spiritus tamen gratiæ pro fidei et præviæ purgationis modo conceditur »[33]. **Ex Conc. Trid.** Nam Concilium loquens de illa ipsa gratia, quæ instrumentaliter est a sacramentis, dicit quod unusquisque recipit « secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, et secundum propriam uniuscujusque dispositionem et cooperationem »[34]: atqui hæc nequeunt intelligi *disjunctive,* quasi fructus sacramenti aliquando pendeat a sola voluntate Spiritus S., aliquando vero commensuretur dispositionibus suscipientis, sed *copulative,* prout gratia sanctificans commensuratur dispositionibus quæ actuali gratia Spiritus S. sunt acquisitæ: ergo. Et PROB. MIN. Nam si dispositiones non essent ratio *proxima mensuræ* gratiæ, hæc nullo modo daretur secundum propriam uniuscujusque dispositionem; repugnat enim quod dispositio hominis sit ratio influxus Spiritus S. **Ex experientia** et **ratione.** Nam nostris ipsis oculis videmus ex sacramentorum frequentia quosdam multum proficere, parum alios; sanctos quasi leones flammas spirantes ab Eucharistia recedere, tepidos indifferentes et aridos. Porro summe congruit divinæ providentiæ gratiam sacramenti conferre juxta dispositiones suscipientis; hoc enim *a*) melius respondet naturæ hominis, qui *libero* suo

---

[31] S. THOM. *IV Dist.* 17 q. 1 a. 2 s. 2.

[32] CYRIL. Hier. *Catech.* I c. 5.

[33] DAMASC. *De fide orth.* IV c. 9.

[34] CONC. TRID. sess. 6 cp. 7.

arbitrio propriæ justificationi cooperari debet; *b*) consonat causis naturalibus, quæ juxta conditiones subjecti effectum sortiuntur [35]; et *c*) promovet exercitium virtutum, secundum illud: *agonizare pro anima tua et usque ad mortem certa pro justitia* [36], et iterum: *satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis* [37].

THES. 14. *Sacramenta valida et informia, remoto obice, reviviscunt.*

89. Reviviscentia sacramenti in eo est quod detestatione peccati, vel susceptione sacramenti pœnitentiæ [38], remoto affectu peccaminoso [39], obtineatur gratia ex virtute sacramenti prius recepti [40]. Porro aliqua saltem [41] sacramenta reviviscere docent **Patres.** Revera Donatistis objicientibus valorem baptismi a se collati, AUG. reponebat baptismum ab hæreticis datum valere ad remissionem peccatorum, cum baptizatus primo redit ad veram fidem [42]; URBANUS vero II, totam complectens traditionem, scribebat: « Schismaticorum et hæreticorum sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, juxta SS. Patrum traditiones PELAG., GREG., CYPR., AUG., HIER., formam quidem sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur (sunt valida sed informia), *nisi cum ipsi* vel eorum sacra-

---

[35] Sic « ab eodem igne accipit plus caloris qui plus ei appropinquat; licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat », S. THOM. 3 p, q. 69 a. 8.

[36] Eccl. **4**, 33.

[37] 2 Petr. **1**. 10.

[38] Si *obicis* ignarus quis accessit ad sacramentum, et dein peccatum mortale non commisit, sola attritione justificatur ex præcedenti sacramento; sed si sacrilege recepit, vel post sacramentum mortaliter peccavit, non debet tantum removere obicem præcedentem susceptionem sacramenti, sed etiam subsequentem, ad hoc autem non sufficit attritio, sed est necessaria *confessio* in *re* vel saltem in *voto* cum contritione perfecta.

[39] *Affectus peccaminosus* seu obex sacramenti dicitur etiam *fictio*, eo quod sic suscipiens sacramentum, apparenter tantum justificatur.

[40] Hinc patet quod sacramenti reviviscentia non est *realis*, sed æquivalens seu *interpretativa;* non enim redit sacramentum olim collatum, nec proprie suam virtutem tunc exerit, sed ex *re et sacramento* prius inducto et permanenti, tunc obtinetur sacramenti fructus seu gratia.

[41] Sacramenta characterem imprimentia reviviscere certum est, de *Matrimonio* et *Extrema unctione* fere ab omnibus datur, de *Eucharistia* probabilius negatur, de *Pœnitentia* quæstio est difficilior, sed cum BILLOT *De Sacr.* II. *th.* 16 p. 169 æstimamus reviviscere.

[42] AUG. *De Baptismo* I c. 12 n. 18 et alibi passim.

mentis initiati per manus impositionem *ad catholicam redierint unitatem* (scil. remoto obice reviviscunt) »[43]. **Ratio** sumitur ex effectu proprio uniuscujusque sacramenti. Profecto pœnitentia homo non *renascitur* ad vitam spiritualem, sed ab infirmitate peccatorum *sanatur;* si ergo baptismus non revivisceret, *ficte* (scil. cum obice) baptizatus auxiliis gratiæ baptismalis perpetuo privaretur, quod absonum est. Idem autem valet de aliis sacramentis quæ vel absolute, ut *confirmatio* et *ordo,* vel respective, ut *matrimonium* (vivente eodem conjuge) et *extrema unctio* (in eadem infirmitate), repeti nequeunt; unde, si non reviviscerent, qui semel ea male recepisset, pro semper gratiam sacramentalem proprio statui congruentem amisisset.

90. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Si gratia sacramentalis commensuraretur dispositionibus suscipientium, parvuli eumdem gratiæ gradum reciperent in baptismo: atqui hoc dari nequit, quia plures ante rationis usum moriuntur et in cœlo inæquales dæmonum sedes occupant: ergo. **Resp.** In locum angelorum, qui perierunt, sanctos succedere verum est; sed nec quoad numerum, nec quod gradum gloriæ aliquid certi habetur. Profecto nullus angelorum gratia et gloria Christo et B. V. comparari potest, et de parvulis S. THOM. concedit eumdem gratiæ gradum recipere. « Effectus, ait, baptismi est ad id quod baptismus est institutus, scil. ad regenerandum homines in spiritualem vitam; et hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habent ad baptismum. Unde quia omnes pueri æqualiter se habent ad baptismum, omnes æqualem effectum percipiunt in baptismo »[44].

91. **Objic. 2.** Causa non agit nisi in quantum *est:* atqui cum sacramentum reviviscere dicitur, amplius non *est,* sed *fuit:* ergo. **Resp.** Sacramentum validum et informe, cum reviviscit, etsi non sit *actu,* est tamen *virtute* in suo effectu, scil. in *re et sacramento;* unde agit in quantum moraliter *est,* non in quantum *fuit.*

APPENDIX.

DE SACRAMENTALIBUS.

92. **Quid Sacramentale.** *Analogia attributionis* sacramentalia dicuntur ritus ab Ecclesia præcepti in sacramentorum administra-

---

[43] URB. II *epist.* 273. Cf. S. THOM. *IV Dist.* 4 q. 3 a. 2 sol. 3; 3 p. q. 69 a. 10.

[44] S. THOM. 3 p. q. 69 a. 8.

tione; *analogia* vero *proportionalitatis* actiones ab Ecclesia institutæ ad pium usum fidelium; quare sacramentale definitur; *actio sacra ab Ecclesia instituta in fidelium sanctificationem.* Est *actio,* quia si inter sacramentalia enumerantur etiam *res,* puta aqua benedicta, efficacia tamen eorum attenditur in usu; unde sacramentale non constituitur re, sed rei usu ideoque *actione:* actio *sacra,* quia sacramentale est ritus pertinens ad cultum Dei, et ordinatur ad sanctificationem fidelium: *ab Ecclesia instituta,* quia sacramentalia non habent Christum auctorem sed Ecclesiam, quæ proinde potest sacramentalia augere, imminuere et mutare: *in fidelium sanctificationem,* quia sacramentalia sunt bona ecclesiastica infidelibus et hæreticis non administranda, et cum proxime respiciunt bona temporalia, v. g. liberationem ab infirmitate vel ab animalibus noxiis, adhuc ultimo ordinantur ad spiritualem profectum, ac proinde ad sanctificationem.

93. **Quot sacramentalia.** Sacramentalia sunt fere innumera, cum quotidie ab Ecclesia augeantur; solent tamen reduci ad sex genera, quæ hoc versu exprimuntur: *orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.* « *Orans* indicat orationem dominicam [1] et ceteras preces præsertim publicas (nomine Ecclesiæ factas); *tinctus* aspersionem aquæ lustralis et sacras in diversis consecrationibus unctiones; *edens* manducationem esculentorum, quæ a sacerdote benedicuntur; *confessus* confessionem generalem, quæ fit in distribuenda sacra Communione, necnon in Missa et Officio; *dans* eleemosynam præsertim et quidquid ex præcepto virtutis et Ecclesiæ tribuitur; *benedicens* benedictionem (papæ) episcopi, abbatis, sacerdotis; item benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, etc. » [2].

94. **Sacramentalia vim habent ex quasi opere operato.** Sacramentalia sunt quid medium inter sacramenta et bona opera justorum: illa vim habent *ex opere operato,* seu in quantum sunt actiones positæ secundum institutionem Christi, ex qua vim sanctificandi mutuantur: hæc efficaciam sumunt ex justitia et sanctitate agentis, ideoque meritum habent *ex opere operantis:* sacramentalia nec operantur ex sola positione, neque ex meritis conferentium, sed ex dignitate Ecclesiæ, in cujus nomine et auctoritate aguntur; quia ergo hinc conveniunt sacramentis, inde vero bonis operibus justorum, agere dicuntur *ex quasi opere operato.*

95. **Quomodo sint administranda.** Status gratiæ non requiritur in ministro sacramentalium, quia Ecclesia id non præscribit, et peccatores

---

[1] AUG. *Ench.* c. 71; aliter BILLUART *De Sacr.* Diss. 7 a. 4.

[2] SCHWETZ apud *Pesch* n. 333.

adhuc sunt de gremio ejus; debent tamen perfici *reverenter,* quia sunt res sacræ, et *ipso ritu* ab Ecclesia instituto, ne ratio sacramentalis (seu operis Ecclesiæ) evacuetur, et in sacramentorum administratione oriatur confusio. Hinc CONC. TRID. definivit: « S. q. d. receptos, et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro lubitu omitti, aut in novos et alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, a. s. » [3].

THES. 15. *Sacramentalia, etsi — 1 legitime ab Ecclesia instituta, — 2 non sunt causa spiritualium bonorum.*

96. **Prima pars.** *Potuit Ecclesia instituere sacramentalia.* Prima ratio sumitur *ex facto;* Ecclesia enim, quæ est *columna et firmamentum veritatis* [4], pro qua Christus sanguinem suum effudit, ut faceret sibi sponsam *gloriosam, non habentem maculam aut rugam* [5], non potest tam turpiter errare ut inutilibus et noxiis ritibus fideles decipiat. Porro factum institutionis sacramentalium ad apostolica tempora ascendit; de servandis enim in sumptione Ss. Eucharistiæ (probabiliter de jejunio) nonnulla statuit PAULUS [6], plurimasque cæremonias præceperunt ceteri Apostoli, ut JUST. M., TERTUL., BASIL., et AUG. [7] testantur. Profecto si in omni societate principes quædam agunt nomine totius communitatis, etiam in Ecclesia nonnulla per sacerdotes fieri debent nomine et auctoritate totius Ecclesiæ, ex cujus excellentia et bonitate vim dignitatemque mutuentur. Nonne Christus, qui suam potestatem Apostolis communicavit [8], atque cœlorum claves Petro contulit [9], potestatem dedit eis ut oportunis mediis fidelium sanctificationem promoverent?

97. **Secunda pars.** *Sacramentalia supernaturalia bona non causant.* Nullus theologorum docuit sacramentalia producere gratiam sanctificantem: essent enim vera sacramenta, quæ Christum habere auctorem vidimus; BELLAR. tamen æstimavit sacramentalia producere quædam beneficia minora, puta expulsionem dæmonum et peccatorum venialium remissionem [10]; sed communior sententia

---

3 CONC. TRID. sess. 7 p. 1 cn. 13.

4 1 Tim. **3.** 15.

5 Ephes. **5.** 27.

6 1 Corinth. **11.** 34.

7 JUST. M. *Apol.* c. 1 n. 61. 65; TERTUL. *De Bapt.* c. 7; BASIL. *De Spiritu S.* I c. 7; AUG. *epist.* 54 c. 6 n. 8.

8 Matth. **18.** 18-9.

9 Matth. **16.** 19.

10 « Ad gratiam et justificationem impii consequendam instituit ipse (Christus) sacramenta...; ad alia beneficia

negat, quia *a*) argumenta, quæ Christo vindicant institutionem causarum gratiæ sanctificantis, valent etiam pro aliis beneficiis spiritualibus, quæ pariter a Deo sunt: *b*) quia talis Ecclesiæ potestas ex Patribus vel ex Scripturis non evincitur: *c*) quia in sacramentalibus Ecclesia utitur forma deprecativa: et *d*) quia effectus sacramentalium non est infallibilis, sed potest frustrari, ut patet de infirmorum benedictionibus et de maledictionibus animalium noxiorum [11]. Itaque vis sacramentalium non continetur in ordine causæ efficientis, utut instrumentalis, sed pertinet ad genus *impetrationis*, atque bona a Deo obtinent inquantum sunt *preces Ecclesiæ*, quæ « cum Deo sint specialiter acceptæ, propter eas Deus gratias dabit, quas alias daturus non est: quæ tamen preces non infallibilem effectum habent; aliquando enim, justis de causis, Deus non concedit universaliter ea, quæ ab Ecclesia petuntur [12]. Hinc sacramentalibus inest virtus aliqua indipendens a merito ejus, qui iis utitur, et secundum hanc negativam partem convenit iis efficacia ex opere operato. Sed quia hæc efficacia ad opus operatum Ecclesiæ reducitur... communiter docent theologi sacramentalia agere tantum per modum causarum *occasionalium*, non vero tamquam causas efficientes » [13]. Quare sacramentalia efficacitate sunt inferiora sacramentis V. T. quæ, si non erant causæ gratiæ, gratiam tamen infallibiliter afferebant sine suscipientium positiva cooperatione.

THES. 16. *Sacramentalia per modum impetrationis valent ad repellendos dæmones, ad assequendam remissionem peccatorum pœnarumque hujus vitæ, et ad obtinenda plura bona temporalia et spiritualia.*

98. Licet enim quædam sacramentalia ordinata videantur ad reverentiam sacramenti [14], saltem ordinarie conficiuntur ad bona fidelibus impetranda; quæ esse prædicta constat ex orationibus RIT. ROM. Sane de *impugnatione dæmonum* plura extant in benedictione aquæ lustralis; de *remissione peccatorum* in benedictione

---

minora reliquit Ecclesiæ potestatem, ut instituat signa, quibus applicentur ipsius merita ». BELLAR. *De Sacram.* II c. 31.

[11] Cur preces Ecclesiæ non semper sortiantur effectum, innuit S. THOM. 2-2 q. 83 a. 15 ad 2.

[12] LUGO *De Pœnit.* Disp. 9 sect. 4 n. 63.

[13] PESCH *De Sacr.* n. 338.

[14] Hujusmodi sunt nonullæ benedictiones sacrorum vasorum.

novæ crucis; de *remotione malorum temporalium* in benedictionibus novæ domus, esculentorum et animalium. Nota autem non pari modo hæc sacramentalibus obtineri; etenim bona temporalia et gratiæ actuales, necnon impugnatio dæmonum et remissio pœnarum *directe,* etsi non infallibiliter, impetrantur [15]; sed remissio peccatorum et augmentum gratiæ solummodo *indirecte,* « in quantum sacramentalia gratiis actualibus, quas impetrant, inclinant ad motum pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum vel implicite vel explicite » [16], vel in quantum excitant ad actus aliarum virtutum.

---

15 Ad hæc sacramentalia reduci possunt indulgentiæ.

16 S. THOM. 3 p. q. 87 a. 3; ad 1; q. 65 a. 1 ad 6; q. 83 a. 3 ad 3.

TRACTATUS XIII.

De sacramentis per se ordinatis ad spiritualem vitam individui scil.

DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIA.

99. **Agendorum ratio.** Hactenus quæstiones generales tractavimus, ad particulares accedentes, nobis occurrit divisio S. Thomæ, qui sacramenta distinguit per ordinem ad vitam *privatam inducendam* vel *reparandam,* et per ordinem ad vitam *socialem.* De primis in præsenti agimus, scil. de *baptismo* quo filii Dei constituimur, de *confirmatione* qua in vita gratiæ proficimus, et de *eucharistia* qua præservamur a malis et in bono supernaturali firmamur: quia vero eucharistia rationem quoque sacrificii induit, tractatum dividimus in quatuor capita, scil. — 1 *de Baptismo,* — 2 *de Confirmatione,* — 3 *de sacramento Eucharistiæ,* — *4 de Sacrificio Missæ.*

CAPUT I.

De Baptismo.

100. **Capitis divisio.** In baptismo sacramentorum omnium primo aliorumque janua, explicandæ sunt quæstiones de ejus existentia, essentia et necessitate; unde præmissis — 1 *quibusdam notionibus* de dogmatis sensu et historia, dicemus — 2 *de baptismi existentia et ministro, deque ejus* — 3 *materia et forma,* ac — 4 *necessitate.*

Art. 1 - Notiones præviæ.

101. **Quid Baptismus.** Baptismus, vox græca a· βάπτω vel βαπτίζω, significat immersionem in aquam, et in Scripturis sensu

proprio dicitur de lotione sacra et profana [1], *metaphorice* autem de malorum copia [2], vel bonorum larga donatione [3]. In præsenti sumitur de sacramento a Christo Domino instituto, et definitur a CATECH. ROM.: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo* [4]: ubi vox *sacramentum* exprimit genericam rationem signi symbolici et practici, ceteræ signant specificam differentiam, quam deducunt ex effectu (scil. *regenerationis*), et ex partibus essentialibus, scil. ex materia *(per aquam)* et forma *(in verbo)*. Theologi definitionem Catech. Rom. amplificantes baptismum dicunt *Sacramentum N. L. a Chr. Dom. institutum ad spiritualem hominis regenerationem per externam aquæ ablutionem sub expressa Ss. Trinitatis invocatione* [5].

102. **Quandonam est institutus.** Nonnulli, duce A. HALENSE, putant Christum instituisse baptismum cum post resurrectionem misit Apostolos in mundum universum [6]: communius tenent instituisse cum baptizatus est in Jordane. Hæc sententia, quam ECCLESIA innuit in Liturgia [7], docent PATRES [8], et tuetur S. THOM. [9], congruit SCRIPTURIS et RATIONI. Profecto discipuli ante mortem Domini *baptizabant* [10]: atqui non est verosimile eos baptizasse ritu inefficaci, siquidem Joan. baptismum *in* sola *aqua* tamquam suum opposuerat baptismo Christi *in Spiritu S.* [11]: ergo. Ceterum, ut notat DAMASC. [12], humiliationes et passiones Christi fuerunt nobis salutares; cum itaque in Jordane Christus humiliatus sit, ut fieret quasi peccator indigens pœnitentia, tunc aquis instrumentalem vim sanctificandi contulit [13]. Statim tamen baptismus non fuit de *necessitate* salutis: hanc enim Christus Nicodemo serius declaravit [14], et post resurrectionem denuntiavit Apostolis [15], qui die Pentecostes promulgarunt [16].

---

1 4 Reg. **5**. 12; 2 Esdr. **4**. 23; Judith. **12**. 7; Marc. **7**. 4; Hebr. **9**. 10.

2 Marc. **10**. 38.

3 Act. **1**. Cf. PESCH n. 348; DE AUGUST. *De Bapt.* a. 1.

4 CATECH. ROM. p. 2 c. 2 n. 5, qui deduxit ex Apostolo *Eph.* **5**. 26.

5 DE AUGUST. *De Bapt.* a. 1.

6 Matt. **28**. 19. A. HALENSIS *De sacr.* q. 8 m. 2 a. 4.

7 LITURG. *Off. Epiphaniæ.*

8 GREG. Naz. Or. 39 in *Sancta lumina;* AMBR. in *Luc.* II n. 83; CHRYS. in *Matth.* hom. 12 n. 3; AUG. *serm.* 135.

9 S. THOM. 3 p. q. 66 a. 2. – ESTIUS putat baptismum esse institutum cum Christus illum annuntiavit Nicodemo; SCOTUS vero (cui accedit PESCH n. 354) tenet Christum instituisse ante passionem, sed tempore nobis ignoto.

10 Joan. **3**. 22; **4**. 1-2.

11 Joan. **1**. 33.

12 DAMASC. apud *Billot* 1. c. p. 207.

13 Ne dicas passionem esse causam gratiæ; respondet enim S. THOM. 3 p. q. 66 a. 2 ad 1, Christum ante passionem potuisse futura merita applicare.

14 Joan. **3**. 5.

15 Matth. **28**. 19.

16 Act. **2**. 27–41.

103. **De figuris baptismi.** PATRES figuram baptismi ex **V. T.** viderunt in *creatione mundi* [17], in *arca Noë* [18], in *circumcisione* [19], in *transitu maris rubri* [20], in *aqua* quam Moyses de amara fecit *potabilem,* et *de petra* eduxit [21]; in **N. T.** baptismi symbola dixerunt *baptismum Christi* [22], *illuminationem cæci* [23], *sanationem paralytici* [24], *piscationes* evangelicas [25], conversionem *mulieris Samaritanæ* [26], *aquam quæ de latere Christi* fluxit [27]. Porro analogia harum imaginum ad baptismum est omnino obvia; baptismo enim christiani efficiuntur *nova creatura* [28], et ingrediuntur Ecclesiam *in qua sola,* sicut in arca Noë, est salutis spes [29]: circumcisione hebræi aggregabantur synagogæ, baptismo vero *incorporamur Ecclesiæ* [30]: in mari rubro perierunt inimici Israël, et ipse pervenit ad oras deserti, per quem intraturus erat in terram promissam [31], baptismo nos liberamur *a servitute dæmonis* et inducimur in Ecclesiam, quæ est via ad cœlestem gloriam: Moyses, aquâ de petra eductâ, vitam servavit populo suo, et Petrus (R. P.) per aquas baptismi, fluentes de Petra (Christo) [32], *vitam confert* populo christiano [33]: Christus suo baptismo, *vim sanctificandi* conferens aquis [34], nostrum sacramentum instituit: curatio cæci est imago baptismi, quia hoc in fide *illuminamur* [35]: paralyticus salutem accepit ad probaticam piscinam, in quam, non secus ac *baptismo immersionis,* infirmi descendebant [36]: mulieri samaritanæ Christus promisit *fontem aquæ vivæ* [37] qui, si gratiam significabat [38], maxime adumbrabat sacramentum quo gratia aquâ confertur: piscatio revocat verba Christi ad Apostolos: *faciam vos fieri piscatores hominum* [39]; baptismo enim « nos

---

17 TERTUL. *De Bapt.* c. 4.

18 TERTUL. *De Bapt.* 1. c. 8. CYPR. *Epist.* 63 n. 8: innuitur 1. Petr. **3**. 20-1.

19 AUG. *De Anima* II c. 11 n. 15; S. THOM. 3 p. q. 10 a. 1; ad 1; innuitur ab Apostolo Colos. **2**. 11-2.

20 ORIG., TERTUL., CYPR., THEOD., AMBR., AUG., PROSP., apud *A Lapide* in Exod. **14**. — Innuitur etiam ab Apostolo 1 Corinth. **10**. 2.

21 TERTUL. *De Baptis.* c. 9.

22 EPITAPHIUM AQUIL. apud *P. Syxt.* Not. Arch. II. p. 2 c. 1 a. 3.

23 CLEM. Alex., AMBR., AUG. apud *P. Syxt.* l. c. c. 5 a. 2.

24 TERTUL. *De Bapt.* c. 5; PICT. CŒM. CALL. apud *P. Syxt* l. c.

25 Vide append. fig. 1.

26 CYPR. apud. *P. Syxt.* l. c.

27 AMBR., CHRYS., CYRIL. Alex., AUG. apud *A Lapide* in Joan. **19**.

28 *Ipsius sumus factura creati in C. J.* Eph. **2**. 10.

29 Vol. 1 n. 278.

30 *Nisi quis renatus fuerit* etc. Joan. **3**. 5.

31 Exod. **14**. 16 sqq.

32 Corinth. **10**. 4.

33 De analogia Moysis ad Petrum cf. Vol. 1 app. fig. 3 et 4.

34 Supra n. 102.

35 Baptismus a JUST. M. *Apol.* I n. 61 dicitur *illuminatio.*

36 P. SYXT. *l. c.* p. 162 sqq.

37 Joan. **4**. 14.

38 Patres communisse apud *A Lapide* in *h. l.*

39 *Faciam vos fieri piscatoris hominum.* Matth. **4**. 19.

pisciculi, secundum Ἰχθύν nostrum J. C. in aqua nascimur »[40]: quod tandem attinet ad aquam, quæ de latere Christi effluxit, non sola *identitas materiæ* miraculose emantis[41], typicam relationem suadet, sed etiam analogia ad *originem Evæ;* sicut nempe Eva de latere Adami dormientis effecta, constituta est ejus sponsa et mater cunctorum viventium[42], ita Ecclesia de latere emortui Christi nata[43], facta est ejus sponsa innumeros filios baptismo ei generans[44].

104. **Historia dogmatis.** Ab ipso **Ecclesiæ exordio** baptismum esse collatum ablutione aquæ et invocatione SS. Trinitatis constat ex Actibus Apostolorum; cum enim diaconus Philippus vellet baptizare eunuchum reginæ Candacis descendit in aquam[45], et Paulus, ut audivit quosdam baptizatos ignorare Spiritum S., intelligens eos non suscepisse baptismum Christi, jussit iterum baptizari[46]. Quod attinet ad ritum administrandi, primis temporibus *ordinarie* conferebatur trina immersione in solemnitatibus Paschatis, Pentecostes et Epiphaniæ adultis, qui duobus catechumenatus annis fidei rudimenta didicerant, et infidelitatis errores ejuraverant[47]; *extraordinarie* vero, maxime urgente periculo mortis, quovis tempore et etiam infantibus[48]. **Sæc. 3** inter catholicos exarsit quæstio de valitate baptismi ab hæreticis collati, quam impugnavit CYPR. et approbavit STEPH. I.[49] — Eodem sæc. MANICHÆI ex doctrina de duplici rerum principio vim sanctificandi a corporibus amoventes, non baptizabant aqua, sed sectatores suos obsignabant oleo[50]: a Patribus indirecte potius quam directe sunt impugnati, scil. praxi et confutatione fundamentalis erroris de origine corporum a principio malo. **Sæc. 4** PAULICIANI negantes divinitatem Filii et Spiritus S. *formam* baptismi vitiarunt[51], SELECIANI vero et HERMINIANI corruperunt *materiam* baptizantes igne[52]: illi in *Conc. Nicæn.* sunt proscripti[53], hi ab *Aug.* eversi[54]. — Neque hoc sæculo sollicitudo Ecclesiæ continetur in sola defensione dogmatis, jam enim apparent solemnitates baptismi et cæremoniæ plurimæ, ut aspersio salis,

---

40 TERTUL. *De Bapt.* I; PAULIN. Epist. 20 ad Delphin.

41 INNOC. III *Decr.* III tit. 41 c. 8.

42 Gen. **2**. 21 sqq. coll. **3**. 20.

43 CHRYS. in *Joan.* hom. 84.

44 KNABEN. in *Joan.* p. 554.

45 Act. **8**. 36-8.

46 Act. **19**. 3-5. Si baptismus non fuisset collatus in nomine totius Trinitatis, quammodo ex ignorantia unius Personæ argui poterat ejus inexistentia?

47 HERGENR. I p. 268–30; 380.

48 « Ecclesia *ab Apostolis* traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare ». ORIG. in *Rom.* V n. 8; IREN. *Adv. hær.* II c. 22 n. 4; JUST. M. *Apol.* I n. 15 CYPR. *Epist.* 64 n. 2 etc.

49 Supra n. 7.

50 Apud *Hergenr.* I p. 378.

51 HERGENR. I p. 370 coll. BELLAR. *De Bapt.* I c. 3.

52 BELLARM. I c. 2.

53 Apud *Denzinger* n. 19-20.

54 AUG. *De hær.* c. 59.

tactus aurium cum voce *Ephpheta,* unctio olei, obsignatio crucis, etc. [55]. **Sæc. 5** PELAGIANI indirecte necessitatem baptismi sunt impetiti negando originale peccatum [56], sed impugnati ab *Aug.,* sunt proscripti a *Conc. Milev. II* (a. 416), *Araus.* (a. 529) et dein a *Trid.* (a. 1546-7) [57]. **Sæc. 12** CATHARI, maxime Petrobrussiani non agnoverunt baptismum parvulorum, quare, *Bernardo* explicante necessitate baptismi pro parvulis, damnati sunt ab *Inn. III* († 1216), *Conc. Lat. IV* (a. 1215), *Vien.* (a. 1312) [58]. — Eodem sæculo de ritu baptismali disputatum est; QUIDAM enim SCHOLASTICI, invocationem SS. Trinitatis essentialem non habentes, æstimarunt apostolico tempore baptismum esse collatum in nomine Christi [59]; GRÆCI vero SCHISMATICI latinorum baptismum datum infusione dixerunt insufficientem [60]; sed Græcorum superbia est proscripta in *Conc. Later. IV* (a. 1215), necessitas vero invocationis SS. Trinitatis, post *Alex. III* († 1181), est definita in *Conc. Flor.* (a. 1439) [61]. **Sæc. 13** FLAGELLANTES, etsi baptismum aquæ totaliter non respuerent, ad salutem requirebant ut quisque proprio sanguine lavaretur; sunt autem damnati a *Clemente VI* (a. 1349) [62]. **Sæc. 14** « in tota latina Ecclesia, abrogato immersionis ritu, alter per infusionem invaluit » [63]; oppositio vero GRÆCORUM SCHISMATICORUM serius renovata a BAPTISTIS, juxta quos sola immersione baptismus valet [64], est implicite reprobata a *Later. IV* (a. 1215) et *Trid.* (a. 1547) [65]. **Sæc. 16,** cum Lutherus negaret baptismo deleri originale peccatum [66], ANABAPTISTÆ et SOCINIANI reprobarunt baptismum parvulorum [67], quod sæc. sequenti QUAKERI ad adultos extenderunt [68]: a *Scholasticis* confutati, sunt damnati in *Conc. Trid.* quod non tantum docuit baptismum conferendum esse parvulis, sed illos inter fideles computari, et ad christianam legem servandam devinci [69]. **Sæc. 19** NAZARENI anabaptistarum errorem renovarunt [70], et **sæc. 20** MODERNISTÆ dixerunt baptismum ab initio non fuisse nisi ritum initiationis, in solo nomine Christi adultis collatum, qui serius ad dignitatem sacramenti pro parvulis

---

55 HERGENR. II p. 175.
56 Cf. Vol. n. 287.
57 Apud *Denzing.* c. 64–5; 144–5; TRID. SESS. 5 cn. 3; sess. 7, § 1 cn. 12-3.
58 Apud *Denzing.* n. 341, 357, 410 etc.
59 HERGENR. IV p. 442.
60 Apud *Bellarm.* De Bapt. I c. 3.
61 Apud *Denzing.* n. 331, 361, 591.
62 HERGENR. V p. 85.
63 DE AUGUST. *De Bapt.* a. 3.
64 HERGENR. VII p. 146.
65 CONC. LATER. IV c. 4 damnavit græc. latinos rebaptizantes, et TRID. sess. 7 § 1 cn. 3 anathematizavit eos qui dicerent in Ecclesia Latina non esse veram de baptismo doctrinam.
66 LUTHER. pr. 2 e damn. a *Leone X.*
67 HERGENR. VI p. 45, 409.
68 HERGENR. VII p. 142.
69 CONC. TRID. sess. 7 § 1 cn. 13-4.
70 HERGENR. VII p. 839.

quoque necessarii, excrevit [71]: hi omnes impugnantur a *Scolasticis* et sunt proscripti a *Pio X* [72].

ART. 2 – DE BAPTISMI EXISTENTIA ET MINISTRO.

105. **Qui baptismi effectus.** Revocamus ex tr. *de Sacramentis in genere* baptismo conferri *characterem* et *gratiam.* Porro CHARACTER baptismalis hominem incorporat, quantum est de se, Ecclesiæ Romanæ, Christus enim sacramenta instituit pro *sua* Ecclesia, nec alia a Romana est Ecclesia Christi [1]. Hinc character baptismalis ab hæreticis impressus, vel in hæreticis manens, est *character catholicus,* non secus ac character militaris in desertore est signum veri exercitus [2]. RES seu effectus baptismi est gratia *regenerationis et renovationis* [3], qua baptizatus *moritur veteri homini* Adamo, et *induit novum hominem* Jesum Christum [4]. Hoc modo baptizatus fit *nova creatura* [5] in *Christo Jesu* [6], per quem trahitur in communionem divinitatis, ut sit *consors divinæ naturæ* [7], *filius Dei* ejusque *hæres* [8]. Duplex igitur est effectus baptismi: unus negativus, positivus alter. *Negative* baptismus aufert omnem reatum culpæ et pœnæ. « Quia, inquit S. THOM. generatio unius est alterius corruptio, et quod generatur priorem formam amittit, et proprietates ipsam consequentes, necesse est quod per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, non solum peccata tollantur, quæ sunt spirituali vitæ contraria, sed etiam omnes peccatorum reatus » [9]. *Positive* confert omnia bona justitiæ originalis, siquidem incorporat Christo qui venit ut hominem *renovaret* seu restitueret in statum supernaturalem a quo per Adæ peccatum ceciderat [10], ea tamen quæ completive tantum et per accidens statum originalis justitiæ integrabant, cujusmodi sunt *immunitas a fomite* concupiscentiæ, *scientia* perfecta et *immortalitas,* baptismus non statim confert « nisi in radice, pro quanto scil. sacramentalis gratia semen est illius

---

71 Supra n. 7.

72 PIUS X Enc. *Pasc.;* Decr. *Lament.* etc. supra n. 7.

1 Vol. 1 n. 216 sqq.

2 Cf. BILLOT p. 251.

3 Tit. **3**. 5; Joan. **3**. 5.

4 Rom. **6**. 4; **13**. 13-4; Gal. **3**. 26; Ephes. **4**. 22-4; Colos. **2**. 12: **3**. 9-10.

5 2 Corinth. **5**. 17; Gal. **6**. 15.

6 Ephes. **2**. 10.

7 2 Petr. **1**. 4.

8 Rom. **8**. 17; Gal. **4**. 4-7.

9 S. THOM. *Cg.* IV c. 59; 3 p. q. 69 a. 2 — **NB.** Hæc sacramenti virtus non mortalia tantum, sed omnia venialia respicit; quare si perfecta eorum remissio impeditur affectu peccamino; cum primo in hac vel futura vita removetur obex, sacramentum reviviscit ad totalem pœnarum solutionem.

10 Ephes. **4**. 23-4.

immortalitatis in qua *non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus* » [11].

106. **Errores - Veritas.** *Existentiam* baptismi repudiarunt primis sæculis quædam MANICHÆORUM sectæ, et media ætate QUAKERI; *veritatem* sacramenti nostris temporibus aggressi sunt MODERNISTÆ ejus institutionem tribuentes Ecclesiæ [12]. **Veritas.** Baptismi *existentia* definita est in CONC. FLOR. « Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma » [13]: divina ejus *origo* proponitur DECR. LAMENT. quo damnatur prop.: « Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium, eique professionis christianæ obligationes adnectens » [14].

THES. 17. *Baptismus* — 1 *est verum et proprie dictum sacramentum N. L.* — 2 *cujus minister* ordinarius *est episcopus vel parochus,* deputatus *sacerdos,* extraordinarius *diaconus, et* validus *quilibet homo, a suscipiente distincto.*

107. **Prima pars.** *Baptismus est vere et proprie dictum sacramentum N. L. a Christo Domino institutum.* **Ex Scripturis.** Primum testimonium sumitur ex verbis Christi ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei* [15]; in hoc enim testimonio sermonem esse de baptismo, vera causa gratiæ, supra demonstravimus [16]. Aliud testimonium prostat in Act.: *Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine J. C. in remissionem peccatorum* [17]; agi enim de *sacramento* patet ex effectu, qui est remissio peccatorum baptismo tributa; agi vero de *baptismo aquæ,* patet ex communi interpretatione PP. et ex praxi Ecclesiæ, necnon ex his quæ de baptismo collato eunucho reginæ Candacis referunt iidem Actus [18]. — **Ex Patribus** illi conferantur imprimis quos audivimus *verbis, particulis, nexu consequentiæ* et *exemplis* causalitatem sacramentorum exprimere, fere omnes enim agunt de baptismo [19]. Adde nunc, si libet, BARNAB.,

---

[11] BILLOT *th. 29* p. 254; S. THOM. 3 p. q. 69 a. 3; Vol. 3 n. 171.
[12] Supra n. 104.
[13] CONC. FLOR. *Decr. pro Arm.*
[14] DECR. *Lament.* pr. 42.
[15] Joan. **3**. 5.
[16] Supra n. 27.
[17] Act. **2**. 38.
[18] Act. **8**. 36-8. Similia argumenta confici possunt ex Matth. **28**. 19; Marc. **16**. 16; Act. **22**. 16.
[19] Supra n. 28.

TERTUL. et HIER.[20]. « Descendimus, sic ille, in aquam pleni peccatis et sordibus: emergimus autem fructificantes in corde timorem et in spiritu spem in Jesum habentes ». « Felix, ait alter, sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur ». Juxta tertium « omnia scorta et publicæ colluvionis sordes, impietas... Christi fonte purgantur ».

108. **Secunda pars.** *Baptismi minister* ordinarius *est episcopus vel parochus,* deputatus *sacerdos,* extraordinarius *diaconus, et* validus *quilibet homo a suscipiente distincto.* Minister ORDINARIUS est episcopus vel parochus, quia « sacramentorum administratio est munus proprium pastoris, et ideo supponit jurisdictionem ministri in subjectum sacramenti. Hic autem eo magis requiritur jurisdictio, quia per baptismum homines admittuntur ad Ecclesiam et omnia jura hominis christiani accipiunt. Quamvis igitur non-baptizati non subjiciantur juri Ecclesiæ, tamen si volunt in Ecclesiam recipi, Ecclesia jus habet eos mittendi ad certos ministros, a quibus solis licite recipi possunt. Tales autem ministri sunt episcopus in sua diœcesi et parochus in sua parochia »[21]. Ex DEPUTATIONE minister baptismi est quilibet sacerdos, quia « sacerdotes ad hoc consecrantur, ut sacramentum corporis Christi conficiant... illud autem est sacramentum ecclesiasticæ unitatis... Per baptismum autem aliquis fit particeps ecclesiasticæ unitatis; unde et accipit jus ad mensam Domini accipendi. Et ideo sicut ad sacerdotem pertinet consecrare eucharistiam... ita ad proprium officium sacerdotis pertinet baptizare »[22]. Minister EXTRAORDINARIUS est diaconus, quia episcopus in allocutione ad ordinandos dicit: « diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et prædicare »[23]. Nonne insuper minister debet in casu necessitatis principis partes assumere, si non obstet potestatis defectus? Ergo et diaconus, sacerdotis minister, debet in casu necessitatis eum supplere in collatione baptismi, quæ specialem ordinis potestatem non exigit. Minister VALIDUS est quilibet homo, quia id *Patres*[24] et *Concilia*[25] aperte docent, et quia omnino

---

[20] *Epist.* BARNABÆ c. 11 n. 1; TERTUL. *De Bapt.* c. 1; HIER. epist *ad Ocean.* n. 4.

[21] PESCH n. 464.

[22] S. THOM. 3 p. q. 67 a. 2.

[23] PONTIF. ROM. *De Diac.*

[24] TERTUL. *De bapt.* c. 17; HIER. *Adv. Lucif.* n. 9; AUG. *C. Parm.* c. 13 n. 29; NICOL. I Resp. ad *cons. Bulg.;* URBAN. II epist. *ad Vital.;* GELAS. epist. *ad ep. Lucan.* c. 7; ISID. Hisp. *De Off. eccl.* II c. 25 n. 9.

[25] « In casu necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus

convenit quod sacramentum regenerationis, ipsis infantibus necessarium, facillime confici possit; sicut ergo Christus materiam baptismi communissimam elegit, ita voluisse omnes validitatis esse idoneos ministros putandum est [26]. Non posse autem quemque SE IPSUM baptizare, non solum constat ex perpetua *praxi Ecclesiæ* [27] et ex *Conc. Flor.* docente quod « omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona *ministri conferentis* sacramentum » [28], sed etiam ex manifesta ratione, siquidem baptismus est sacramentum regenerationis, et in spiritualibus, non minus quam in naturalibus, repugnat quemque sibi vitam et nativitatem conferre [29].

ART. 3 - DE BAPTISMI MATERIA ET FORMA.

109. **Qui proprius verborum formæ sensus.** Nota imprimis quod græce non est *in nomine,* sed *in nomen* (εἰς τὸ ὄνομα) [1]. Porro « *baptizari in nomen* alicujus, est *eidem consecrari, eidem devoveri, ei mancipari vel ejus fieri, in ejus tradi obedientiam, auctoritatem.* Ita Israëlitæ dicuntur baptizati in Moysen [2]. *Nomen* vero *Dei* id significat quod Deus de se nobis revelavit. Nomine enim res designantur et innotescunt et distin-

---

vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest ». CONC. FLOR. *Decr. pro Armen.;* LATER. IV *Firmiter.*

[26] S. THOM. 3 p. q. 67 a. 3.

[27] Revera in Evangelio Christus misit Apostolos ad baptizandum alios (Matth. **28**. 19); in Actibus Philippus baptizat eunuchum reginæ Candacis (Act. **8**. 27-38) et Petrus baptizari jussit familiam Centurionis (Act. **10**. 48): in epistola vero ad Corinth. (**1**. 12–6) Paulus testatur se baptizasse Crispum et Cajum: etc.

[28] CONC. FLOR. *Decr. pro Armen.*

[29] Difficultates contra *existentiam* sacramenti solvimus n. 30 sqq.; quæ vero *fidem ministri* exigere videntur n. 80 sqq.

[1] Non obstat *Vulgatam* legere *in nomine,* « nam notissimum est in latinitate *vulgatæ* εἰς sæpissime verti cum ablativo et generatim in *Vulgata* et in sermone latino vulgari *in* cum ablativo et accusativo promisque adhiberi, simili modo ut in græcitate seriore discrimen inter εἰς et ἐν fere disparuit... Quod itaque interpretes latini explicant, baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus S. esse baptizari *invocato nomine,* in *virtute nominis* (S. THOM., DION., LAP.) vel in *virtute, auctoritate efficacia* (JANS.), *nomine et auctoritate* (CALM.), *invocato* aut *appellato nomine* (MALD.), satis ad verba accuratum non est, attamen haud adeo operose ex sensu genuino, quem textus græcus præbet, consequi potest » KNAB. in *Matth.* II p. 563.

[2] 1 Corinth. **10**. 2.

guuntur inter se. Unde baptismo consecramur et devovemur Ss. Trinitati secundum ea quæ de se nobis revelavit, ingredimur in ejus vitæ communionem ac societatem quatenus hanc communionem et societatem ad extra revelare et tribuere voluit, tradimur in ejus obedientiam et auctoritatem secundum omnia, quæ, manifestatione sua facta, a nobis exigere dignatur »[3].

110. **Errores - Veritas.** Quoad *materiam remotam* erraverunt MANICHÆI dicentes oleo, SELEUCIANI et HERMINIANI igne, FLAGELLANTES proprio sanguine quemque esse baptizandum: quoad *proximam* GRÆCI SCHISMATICI reputantes sola trina immersione valere baptismum: quoad *formam* PAULICIANI aliique non baptizantes in nomine Ss. Trinitatis et MODERNISTÆ blaterantes primis Ecclesiæ temporibus in solo nomine Christi hoc sacramentum esse collatum[4]. **Veritas** prostrat in CONC. FLOR. dicente quod « *materia* hujus sacramenti est aqua vera et naturalis. *Forma* autem est: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti »[5]; quod vero attinet ad *materiam proximam* CONC. LATER. et TRID. ritum infusionis a Latinis adhibitum approbarunt[6]:

THES. 18. *Materia* — 1 remota *baptismi est aqua naturalis,* — 2 proxima *ablutio* — 3 *etiam sola infusione vel aspersione effecta,* — 4 forma *autem sunt verba: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus S.*

111. **Prima pars.** *Materia remota est aqua naturalis.* **Ex Scripturis** quæ agentes de hoc sacramento, expresse commemorant *aquam.* « Nisi quis renatus fuerit *ex aqua* et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei »[7]: « ecce *aqua* quid prohibet me baptizari?... descenderunt uterque in aquam... et baptizavit eum »[8]: « numquid *aquam* quis prohibere potest, ut non baptizentur hi? »[9]: « mundans lavacro *aquæ* in verbo vitæ »[10]. In citatis testimoniis agi de aqua vera, non solum constat *a*) *ex proprietate locutionis* retinenda quando exprimit dogma fidei, et *b*) *ex repugnantia metaphoræ* quæ in primo testimonio contradiceret omnibus

---

3 KNAB. in *Matth.* l. c.
4 Supra n. 104.
5 CONC. FLOR. *Decr. pro Arm.*
6 CONC. LATER. IV cp. 4; TRID. sess. 7 § 2 cn. 3.
7 Joan. **3**. 5.
8 Act. **8**. 36-8.
9 Act. **10**. 47.
10 Ephes. **5**. 26.

grammaticæ et syntaxeos legibus [11]; sed *c*) *ex contextu*, siquidem de curro nemo descendit ut intret in aquam metaphoricam. — **Patres** quoque de aqua naturali loqui, patet ex simplici testimoniorum lectione; dicunt enim de aqua, in quam descendit baptizatus (BARN.), et in qua corpus lavatur (AUG.), quæ sive frigida, sive calida sit, æque valet ad effectum obtinendum (DOCT. DUOD. APOS.) [12]. *Confirmatur* **ex Symbolis** quibus apud Patres et in catacumbis repræsentatur baptismus; non enim in *aqua* imago baptismi semper visa esset [13], si hoc sacramentum verâ aquâ collatum non esset.

112. **Secunda pars.** *Materia proxima est ablutio.* Nam **Scripturæ** et **Patres** vocant hoc sacramentum *baptismum, tinctionem, lavacrum, ablutionem* [14], quæ non exprimunt solummodo *aquam*, sed aquæ *defluctionem;* unde collationem baptismi describunt per descensum in aquam, et per aquæ effusionem. Pro omnibus sufficiat antiquissimum testimonium DOCTR. DUOD. APOST. « Hæc omnia dicentes baptizate *in nomine* Patris et Filii et Spiritus S. *in aqua viventi* (scil. in flumine). Nisi autem habeas aquam viventem, in alia aqua baptiza (puta in balneo); nisi potes in frigida, in calida. Sin neutram habes (ad immergendum) *effunde* in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus S. » [15].

113. **Tertia pars.** *Valet baptismus etiam infusione vel aspersione collatus.* Nam **Scriptura** determinatum modum ablutionis non præcipit, nec de essentia sacramenti necessarii illa reputanda est materia proxima quæ penuria aquæ, frigore vel infirmitate evaderet impossibilis. Accedit **praxis Ecclesiæ;** si enim *immersione* baptizatus est eunuchus reginæ Candacis [16], *infusione* vel *aspersione* sunt baptizati tria millia hominum qui una die Jerusalem hoc sacramentum receperunt [17], atque illi qui a Paulo in carcere sunt abluti [18]; nullum enim in Jerusalem erat flumen in quo multitudo descenderet, nec in carcere alveus quo immersione baptizarentur fideles. Quod si primis temporibus ordinarie *immersione* conferebatur hoc sacramentum, a pluribus jam sæculis Ecclesia occiden-

---

[11] Supra n. 27 et 30.
[12] Supra n. 28 et 107.
[13] Supra n. 103.
[14] Supra n. 111.
[15] DOCT. 12 APOST. c. 7.
[16] Act. **8**. 38-9.
[17] Act. **2**. 41.
[18] Act. **16**. 33.

talis [19] baptizat *infusione*, de qua loquuntur etiam DOCT. APOST., CYPR., EUSEB. [20], atque testimonium reddit baptismus *clinicorum* datus infirmis, quos certe suis cubilibus non immergebant in aquam [21]. Ab *aspersione* vero ordinarie Ecclesia abstinet, quia ob paucitatem aquæ, quæ aspersione in corpus immittitur, hæc difficulter decurrit, et sic dubium redditur sacramentum.

114. **Quarta pars.** *Forma sunt verba: ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus S.* **Ex Scripturis.** Nam Christus mittens Apostolos ad baptizandum formam sacramenti expressit dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus S.* [22]. — **Patres** non solum factum collationis baptismi in nomine Ss. Trinitatis cum DOCT. DUOD. APOST., JUST. M., ATHAN., GREG., Naz. etc. [23] testantur; sed cum TERTUL. affirmant quod baptismi « forma (est) præscripta » [24], unde « non habetur legitimum baptisma, nisi sub nomine Trinitatis » [25], et « facilius inveniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent » [26]. — **Ratio** consonat, siquidem ut ablutio aquæ significet spiritualem regenerationem, debet ordinari ad esse sacramenti et exprimi consecratio hominis, qui baptismo Dei cultui mancipatur: atqui *determinatio* ablutionis aquæ ad esse sacramenti signatur vocibus *Ego te baptizo*, quibus minister exprimit voluntatem abluendi supernaturaliter, *consecratio ad Deum* indicatur verbis *in nomine Patris et Filii et Spiritus S.*, ut patet ex prædictis [27]: ergo.

115. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1** Joan. dixerat Christum baptizaturum *Spiritu S. et igni* [28]: ergo materia baptismi est ignis [29]. **Resp.** In testimonio citato non agitur de sacramento, sed *baptizare* accipitur generice de purificatione, et *ignis* sumitur metaphorice de pœnis a Christo judice infligendis [30].

---

19 Excipitur *Eccl. Ambrosiana.*

20 DOCT. 12 APOST. c. 7; CYPR. *Epist.* 69 n. 12; EUSEB. *H. E.* VI c. 43.

21 HERGENR. I p. 269.

22 Matth. **28**. 19.

23 DOCT. 12 APOST. c. 7; JUST. M. *Apol.* I n. 61; ATHAN. epist. 4 *ad Serap.* n. 12; GREG. Naz. *or.* 33 n. 17.

24 TERTUL. *De Bapt.* n. 13; *Adv. Prax.* c. 26.

25 ORIG. in *Rom.* V. n. 8; AMBR. *De Myst.* c. 4. n. 20.

26 AUG. *De Bapt.* VI c. 25 n. 47; CYPR. epist 73 *ab Jub.* n. 12; GREG. M. *Epist.* XI epist. 67.

27 S. THOM. 3. p. q. 66 a. 5 idem evincit prout verbis *Ego te baptizo* exprimitur causa instrumentalis, ceteris principalis.

28 Matth. **3**. 12.

29 HERMINIANI apud *Bellar.* De Bapt. I c. 2.

30 Supra n. 30.

116. **Objic. 2.** In baptismo juxta Apostolum significatur sepultura et resurrectio fidelis [31], atqui hoc exprimitur descensu et ascensu, qui in solo baptismo immersionis contingunt: ergo. **Resp.** Concedimus baptismo immersionis clarius exprimi nostram conformationem ad Christum, qua commorimur veteri homini ut resurgamus novo [32]; sed negamus consequentiam, siquidem incorporatio cum Christo et consequentes mors hominis veteris et vita novi, proxime sunt per gratiam sanctificatem, quæ sufficienter significatur infusione et aspersione, quibus « caro abluitur ut anima emaculetur » [33].

117. **Objic. 3.** Apostoli et discipuli Salvatoris baptizabant *in nomine J. C.* [34]: ergo explicita invocatio Ss. Trinitatis non est de necessitate sacramenti. **Resp.** Non defuerunt theologi opinantes « quod *ex speciali Christi revelatione* Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizarent, ut nomen Christi, quod erat odiosum judæis et gentilibus, honorabile redderetur per hoc quod ad ejus invocationem Spiritus S. dabatur in baptismo » [35], vel quia nomen Christi, revocat Patrem *a quo* unctus est et ipsum *qui* unctus est Filius, et Spiritum S. *in quo* unctus est; [36] sed hæc sententia innitur falso fundamento, siquidem *baptizare in nomine alicujus* non est proprie baptizare *prolato nomine ejus* [37], sed baptizare *in virtute* illius, eidemque aliquem *consecrare;* unde « *in nomine Christi* baptismus conferri dicitur..., ut fideles per baptismum Christo consecrari ac devoveri atque ejus corpori mystico inseri insinuetur » [38].

ART. 4 - DE BAPTISMI NECESSITATE ET SUBJECTO.

118. **Baptismus triplex.** Sacramentum baptismi profecto unus est, quia tamen gratia, quæ est ejus effectus, potest obtineri caritate et matyrio, analogia proportionalitis triplicem baptismum *fluminis*,

---

31 Rom. **6**. 4; Colos. **2**. 11-2.

32 Hæc est ratio cur primis temporibus ordinarie baptismus conferebatur immersione. HERGENR. I p. 269.

33 TERTUL. *De resur. carnis* c. 8.

34 MODERNISTÆ ex Act. **8**. 12; 16; **10**. 48; **19**. 5. LOISY *Autour* p. 232.

35 S. THOM. 3 p. q. 66 a. 5 ad 1. Nota differentiam inter hos theologos et modernistas: illi baptismum *in nomine Christi* habebant pro exceptione, hi habent pro regula, alteram formam serius tantum introductam dicentes.

36 CAJET. apud *Billot* I p. 209. Similia habent CYPR. epist. 73 *ad Jub.* n. 17-8; CHRYS. in *2 Corinth.* hom. 30; AUG. *C. Max.* II c. 17 n. 1; FULG. *C. Fab.* frag. 37; nec est novum in Scripturis unam Personam nominari aliis subintellectis, ut videre est Matth. **3**. 11; Marc. **1**. 8; 1 Corinth. **12**. 13.

37 Profecto nulla forma sacramentalis prolata est in trasitu maris rubri, quamvis Apostolus dicat Israëlitas *baptizatos* esse *in Moyse*. 1 Corinth. **10**. 2.

38 CORNELY in 1 *Corinth.* p. 375-6.

flaminis et *sanguinis* distinxerunt theologi. Primus est sacramentum, et dicitur *fluminis* quia Christus virtutem instrumentalem sanctificandi tribuit aquis cum in Jordane baptizari voluit a Joanne, vel quia immersione in flumen sæpe baptizatum est; alter dicitur *flaminis* quia ex mirabili harmonia animæ ad corpus caritas calorem sensibilem, quasi flamma, accendit; tertius dicitur *sanguinis* quia martyrium ordinarie [1] effusione sanguinis perficitur. Primus virtutem habet *ex opere operato* prouti ex Christi institutione vim habet sanctificandi; alter sanctificat *ex opere operantis*, prout caritas est ultima dispositio ad gratiam, quam de congruo meretur; tertius operatur inquantum est *realis quædam imitatio passionis Christi*, cui infallibiliter adnectitur justificatio sub sola conditione absentiæ obicis. Baptismus *fluminis* et *sanguinis*, cum non requirant positivam dispositionem in suscipiente, fructum habent in infantibus et perpetuo amentibus; baptismus *flaminis*, cum consistat in actu dilectionis, juxta ejus gradum gratiæ copiam meretur. Baptismus *fluminis* præstat necessitate et charactere quem solus imprimit, *sanguinis* præstat fine quia cum gratia finalis perseverantiæ ordinarie [2] conjungitur, *flaminis* aliquando præstat fructu, siquidem caritas intensa abundantissimam gratiam meretur.

119. **Quæ baptismi necessitas.** *Necessarium* contra contingens dicitur, unde importat exigentiam essendi quæ, si est independens ab omni præsupposito, dicitur *absoluta*, secus *hypothetica*. Primo modo solus Deus est necessarius: baptismus est necessarius hypothetice, et quidem non in se, sed ratione finis, scil. ad consecutionem vitæ æternæ. Jamvero ad finis consecutionem aliquid potest requiri necessitate *medii* vel *præcepti:* hoc habetur quando necessitas provenit ab extrinseco, h. e. ex sola superioris voluntate, quo in casu res necessaria cooperatur ad consecutionem finis quasi implens conditionem, vel uti removens obstans: illud e contra contingit quando necessitas provenit ex intimo nexu rei necessariæ cum fine in quem ducit. Verum hæc relatio medii ad finem aliquando est independens a quavis institutione, unde suppleri nequit sed in *re* exigitur ad consecutionem finis [3]; aliquando pendet a positiva institutione, et

---

1 Martyrium *quavis morte*, etiam sine sanguinis effusione, absolvitur, imo nec *mors* requiritur, sed sufficit passio mali de se apti ad mortem inducendam; unde Ecclesia uti martyres eos colit qui, ad mortem damnati, miraculo vitam servarunt.

2 Dicimus *ordinarie*, quia absolute loquendo quis posset miraculo a morte liberari, vel post receptionem gratiæ deficere. *NB.* De excellentia martyrii vide S. THOM. 3 p. q. 66 a. 12.

3 Talis est necessitas *fidei* pro justificatione impii, et *gratiæ* pro beatifica visione.

tunc *secundum quid* tantum induit naturam necessitatis medii, et potest suppleri voto [4]. Baptismus est necessarius prout Christus fecit medium ad gratiam sanctificantem consequendam: est itaque necessarium *necessitate medii*, sed *secundum quid* tantum, unde potest suppleri caritate perfecta et martyrio.

120. **Errores - Veritas.** Necessitatem baptismi saltem pro parvulis impugnarunt PELAGIANI, CATHARI, PETROBRUSSIANI, REFORMATORES plurimi [5], SOCINIANI, ANABAPTISTÆ, NAZARENI et MODERNISTÆ [6]. **Veritas.** Baptismi necessitas est definita in CONC. TRID.: « S. q. d. baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem; a. s. » [7]: de *baptismo* vero *parvulorum* DECR. LAMENT. damnat prop.: « Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quæ una ex causis extitit ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scil. et pœnitentiam » [8].

THES. 19. *Baptismus est* — 1 *omnibus necessarius ad salutem, unde et* — 2 *parvulis potest et debet conferri.*

121. **Prima pars.** *Baptismus est omnibus ad salutem necessarius.* **In Scripturis** clarissimum est testimonium Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritus S. non potest introire in regnum Dei* [9]; si enim attendis VERBA, phrasis *nisi... non potest* inducit rem absolutæ necessitatis; si autem consideras SIMILITUDINEM, comparatio baptismi ad *generationem* exhibet necessitatem medii ad consecutionem bonorum vitæ supernaturalis [10]: ergo. — **Patres** *a*) necessitatem baptismi absolute *affirmant* dicentes cum CYRIL. Hier.; « Si quis baptismum non recipiat, salutem non habet, *solis martyribus exceptis*, qui etiam sine aqua regnum recipiunt » [11]; hanc vero necessitatem *b*) *demonstrant* ex testimonio Scripturæ modo relato [12] et ex Traditione [13], atque *c*) *illustrant* analogia ad cir-

---

[4] Non excusat tamen *ignorantia*, quia *medium* aliquo modo debet haberi.

[5] CALVINUS agnovit necessitatem *præcepti*.

[6] Supra n. 104.

[7] CONC. TRID. sess. 7 § 2 cn. 5; sess. 5 c. 4; MILEV. II; FLOR. Decr. pro *Armenis*.

[8] DECR. *Lament.* pr. 43.

[9] Joan. 3. 5.

[10] Agi de nativitate supernaturali, quæ est per gratiam, vidimus n. 27.

[11] CYRIL. Hier. *Catech.* III De bapt. n. 10; AUG. *De pecc. mer et remis.* I c. 16 n. 21.

[12] TERTUL. *De Bapt.* c. 12; BASIL. hom. *in bapt.* n. 2; CYRIL. Hier. *Catech.* 3 n. 4; AMBR. *De myst.* c. 4 n. 20; AUG. serm. 294 *De bapt. parv.* n. 8.

[13] AUG. *Epist.* 166 c. 7 n. 21.

cumcisionem et transitum maris rubri, quæ fuerunt figuræ baptismi[14]; sicut enim incircumcisus perire oportebat de populo Dei[15], ita sine baptismo nemo spiritualiter vivit; sicut autem hebræi transitu maris rubri salvi facti sunt, ita « tu nisi per aquam transieris, ab amara diaboli tyrannide non separaberis »[16]. — **Ratio** sumitur *ex effectu* baptismi cujus est incorporare Christo: « Dicendum, inquit S. THOM., quod ad illud homines tenentur sine quo salutem consequi non possunt. Manifestum est autem quod nullus potest salutem consequi, nisi per Christum... Ad hoc autem datur baptismus ut aliquis per ipsum regeneratus incorporetur Christo, factus membrum ipsius; unde dicitur: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*[17]. Unde manifestum est quod omnes ad baptismum tenentur, et sine eo non potest esse salus hominibus »[18].

122. **Secunda pars.** *Etiam infantes ante rationis usum possunt et debent baptizari.* Nam **Scriptura** neminem excipit a necessitate baptismi pro consecutione vitæ æternæ: atqui etiam infantes ordinantur in vitam æternam[19]; ergo. — **Ex Patribus** ORIG. ait: « Ecclesia *ab Apostolis* traditionem suscepit, etiam *parvulis* baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus secreta mysteriorum commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam et Spiritum S. ablui deberent »[20]. Et AMBR.: « Non senex proselitus, nec infans vernaculus excipitur: quia omnibus ætas peccato obnoxia, ideo omnis ætas sacramento idonea »[21]. Cum vero Pelagiani dicerent pueros etiam sine baptismo salvari, AUG. respondit: « Multum fallit aut fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros »[22]. — **Rationem** jam audivimus a Patribus. Scil. infantes habent originale peccatum a quo, cum propria actione solvi nequeant, aliquo sacramento debent liberari: quia ergo in N. T. virtus circumcisionis et sacramenti naturæ

---

14 Supra n. 103.
15 Gen. **17**. 14.
16 BASIL. hom. *in baptiz.* n. 2.
17 Gal. **3**. 27.
18 S. THOM. 3 p. q. 68 a. 1.
19 Vol. 2 n. 219, 221.
20 ORIG. in *Rom.* V n. 9; in *Luc.* hom. 14; in *Lev.* hom. 8 n. 3.
21 AMBR. *De Abraham* II c. 11 n. 81.
22 AUG. *De pecc. merit. et remis.* c. 16; *De Anim.* III c. 9 n. 19; Ench. c. 93 *epist.* 169 n. 23; JUST. M. *Apol.* I n. 15; IREN. *Adv. hær.* II c. 22 n. 4; CYPR. *Epist.* 64 c. 2; CHRYS. in *Gen.* hom. 40 n. 4; LEO M. *Serm.* 49 n. 3. — **NB.** Quæ sit conditio parvulorum decidentium sine baptismo, diximus Vol. 2 n. 598, 601.

morte Christi est evacuata, sacramento baptismi, a circumcisione præfigurato, infantes debent salvari [23].

THES. 20. *Baptismus fluminis potest baptismo flaminis et sanguinis suppleri.*

123. Nam in **Scripturis** DE CARITATE legimus: *Ego diligentes me diligo,* et: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum,... et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [24]: atqui divina dilectio, qua Deus specialiter amat diligentes se et in eis inhabitat, non est illa qua *diligit omnia quæcumque fecit* [25], sed qua *diligit justos* [26]; quæque perficitur infusione gratiæ [27]: ergo etiam sine baptismo potest homo caritate gratiam Dei assequi, ac proinde salvari. **Ex Patribus** celebre est testimonium AMBR. qui Valent. II adhuc catechumenum occisum, laudat uti justum et sanctum, quia « sua pietas abluit et voluntas » [28]. Ambr. concinnat AUG., qui non dubitat « catechumenum catholicum divina caritate flagrantem hæretico baptizato anteponere », imo quovis peccatori; « melior est enim centurio Cornelius nondum baptizatus Simone baptizato. Ille enim et *ante baptismum S. Spiritu impletus est,* iste et post baptismum immundo spiritu inflatus est » [29]. Argumentum **rationis,** sumitur ex natura caritatis, juxta dicenda in tr. *de Pœnitentia.* — DE MARTYRIO ex **Scripturis** adducuntur verba Christi: *Qui perdiderit animam suam propter me, invenient eam* [30], siquidem *inventio vitæ* in Scripturis est æternæ beatitudinis possessio: atqui in testimonio dato æterna vita absolute repromittitur iis, qui martyres occubuerint: ergo. Hinc Ecclesia uti sanctos honorat Innocentes

---

[23] Quod attinet AD PRAXIM, infantes catholicorum *per se* debent baptizari, etiam invitis parentibus, qui, legibus Ecclesiæ subjectis, possunt cogi ad filios baptizandos. At Ecclesia jus non habet in parentes infideles, et ideo, ipsis invitis, eorum parvuli, nisi sint morti proximi, non sunt baptizandi; quod si fiat, e parentum domo *per se* forent abducendi, ut christianorum more educentur (S. THOM. 2-2. q. 10 a. 12; BENED. XIV decr. 28 Febr. 1747). Dicimus *per se,* quia nonnumquam ad majora mala vitanda contrarium debet tolerari.

[24] Prov. **8**. 27; Joan. **14**. 21-3.

[25] Sap. **11**. 25.

[26] Ps. **145**. 8.

[27] Cf. Vol. 3 n. 431.

[28] AMBR. *De obitu Valent.* 52.

[29] AUG. *De baptis. c. Donat.* IV c. 21; 22; 25; BERNARD. epist. 77 *ad Hug.* c. 2 n. 6; INN. III *Decret.* III t. 42 c. 4; Prop. 31, 32, 33 *Baî.*

[30] Matth. **10**. 39.

occisos ab Herode, non quia circumcisione justificatos [31], sed quia pro Christo lactentes interfecti sunt ab iniquo rege [32]. — **Patres** non solum *a*) *docent* cum Aug. quod « quicumque, *etiam non percepto regenerationis lavacro,* pro Christi confessione moriuntur tantum eis valet ad dimittenda peccata, quanto si abluerentur sacro fonte baptismatis » [33]; sed *b*) *excellentiam* martyrii supra ipsum baptismum laudant, secundum illud Cypr.: « Numquid potest vis baptismi esse major aut potior quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur et sanguine suo baptizetur? » [34]. Tandem *c*) *effectum* remissionis totius pœnæ efferunt dicentes quod « injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari » [35]. « Pulcherrimam **rationem** pro utroque baptismo *flaminis* et *sanguinis* tradit S. Thom. [36] considerans efficaciam baptismi aquæ esse ex duobus: *ex passione* Christi, ut causa meritoria, et *ex Spiritu S.* ut causa efficiente principali. Porro, etsi sacramenti virtus dependeat, et a valore passionis Christi, et a virtute Spiritus S. non tamen e converso, efficacia passionis et virtus Spiritus S. dependent a sacramento. Hinc, absque sacramento in re, potest *Spiritus S.* movere cor alicujus ad pœnitendum ea pœnitentia, quæ est ex natura sua proxima ad justificationem dispositio; unde præter baptismum *fluminis*, datur baptismus *flaminis* sive pœnitentia. Et similiter *passio Christi*, quæ in sacramento per quamdam figuralem repræsentationem homini adhibetur, potest ex singulari privilegio eidem applicari ratione realis imitationis ipsiusmet passionis, et sic, præter baptismum fluminis et flaminis, tertius additur *sanguinis* baptismus » [37].

124. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Verba Christi *Nisi quis* etc. absolutissima sunt, et baptismum exhibent de necessitate medii ad salutem: atqui a necessitate medii nil eximet: ergo. **Resp.** Lex, quantumcumque absoluta, exceptiones admittit, ut patet de exemptione B. V.

---

[31] Nonnulli, ante diem octavum occisi, circumcisionem non acceperant.

[32] Liturg. *Off. Ss. Innoc.* – Infantes occisos ab Herode *martyrio* fuisse justificatos docent Cypr. *ad Thiberit.* epist. 56; Aug. *De Symb.* serm. 3. c. 4; Leo M. *De Epiph.* serm. 1 c. 3.

[33] Aug. *De Civ. Dei* XIII c. 7; Basil. *De Spir. S.* c. 15 n. 36; Cyril. Hier. *Catech.* III n. 10; Chrys. hom. in *martyr. Luc.* n. 2.

[34] Cypr. epist. *ad Jub.* n. 21.

[35] Aug. *Serm.* 159 n. 1.

[36] S. Thom. 3 p. q. 66 a. 11.

[37] Billot *De sacr.* I *th. 24* p. 220-1.

ab originali culpa; caritate vero et martyrio etiam sine baptismo fluminis in re suscepto hominem salvari, positivis argumentis evincimus. Porro necessitas baptismi est quidem medii, sed *secundum quid* tantum [38]; unde si ab ejus susceptione ignorantia non excusat, votum supplet.

125. **Objic. 2.** Testimonia quæ caritati et martyrio justificationem tribuunt, sunt *positiva;* atqui testimonia positiva non excludunt alias conditiones, ut patet ex dictis de justificatione per fidem [39]: ergo. **Resp.** Non est paritas inter *fidem* et *caritatem;* hæc enim *voto* alias dispositiones includit, quod de illa non contingit. Hinc Jacobus et Paulus [40] necnon Patres inclamant contra solam fidem justificantem [41], sed nemo umquam efficaciam caritatis negavit.

CAPUT II,

De confirmatione.

126. **Divisio capitis.** In baptismo specialiter disputatur de ejus necessitate, in confirmatione de constitutivis seu de materia, forma et ministro; hinc divisio capitis in tres articulos: 1 *Notiones præviæ,* — 2 *de confirmationis existentia,* deque ejus — 3 *materia, forma et ministro.*

ART. 1 - NOTIONES PRÆVIÆ.

127. **Quid confirmatio ejusque definitio.** Sacramentorum secundum, quo christianus perficitur ut, quasi adultus in fide, hanc confiteatur et defendat, est *confirmatio* ex effectu corroborandi in fide nomen habens [1]. Apud græcos diversa nomina accipit, et dicitur *consummatio, perfectio, sacramentum plenitudinis,* vel etiam *donum S. Spiritus, signaculum, unctio, manuum impositio:* priora nomina huic sacramento competunt per ordinem ad baptismum cujus est *complementum,* cetera vel ex proprio *effectu* qui est collatio Spiritus S. et character, vel ex *materia* quæ est unctio et manuum impositio. Definiri potest: *Sacramentum a Christo Domino*

---

[38] Supra n. 119, 3 n. 453.
[39] Supra n. 455.
[40] Jac. **2**. 24; 1 Corinth. **13**. 2 sqq.
[41] CYPR., HIER., AUG., PROSPER Vol.
[1] AMBR. *De myst.* c. 7 n. 42 deducit ex 2 Corinth. **1**. 21; **5**. 5.

institutum quo chrismatis unctione et manus impositione sub præscripta verborum forma datur corroboratio in fide.

128. **Quando hoc sacramentum sit institutum.** *Promissionem* theologi vident in verbis Joan.: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus S. datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* [2]; siquidem sacramentum [3] conferendum omnibus credentibus [4], a baptismo distinctum [5], nonnisi confirmatio esse potest. *Factum* institutionis quidam repetunt a Spiritu S. qui die Pentecostes Apostolis ea suggessit quæ Christus nondum determinaverat; sed communius et verius [6] tenetur Christum instituisse post suam resurrectionem, cum « præbuit seipsum vivum... in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis (Apostolis) et *loquens de regno Dei* » [7]. Concedimus tamen nonnisi post Spiritus S. descensum confirmationem esse *administratam;* siquidem non fuit conveniens quod Spiritus S. daretur per sacramentum, cum nondum visibiliter in Ecclesiam descenderat.

129. **Historia dogmatis.** Confirmationem tempore apostolico esse collatam, constat ex Actibus, qui referunt Petrum et Joannem baptizatis imposuisse manus *ut acciperet Spiritum S.* [8], et ex 2 ad Corinth. ubi Paulus, dicens nos *unctos Spiritu S.*, innuit sacramentum quo unctione datur gratia [9]. **Primis sæculis,** ut constat ex IREN., TERTUL. et CYPR., confirmatio simul cum baptismo conferebatur; in Ecclesia quidem orientali etiam a presbyteris, in occidentali a solis episcopis [10], qua de causa Novatianus, in periculo mortis, absente episcopo, baptizatus, confirmationem non accepit [11]. Ut magistrum imitarentur **sæc. 3** NOVATIANI, licet sacramentum non respuerent, ab ejus receptione abstinebat [12]. Quid pejus contigit **sæc. 4-5** cum ARIANI et DONATISTÆ contumeliam S. Chrismati inusserunt, sed an sacramentum negarent, vel male administrarent, non constat [13]; impugnati sunt a *Basil., Chrys., Ambr., Cyril.* Hier. et Alex., *Hier., Aug.* et *Theod.* atque proscripti in *Conc. Ephes.* (a. 383)

---

2 Joan. **7**. 38-9.

3 Testimonium non esse de gratiis *gratis datis* constat ex universalitate eorum qui erant accepturi Spiritum S., et ex effectu *fontis aquæ vivæ*, siquidem aqua viva est symbolum gratiæ sanctificantis.

4 Ergo non est sermo de *ordine.*

5 Nam *baptismus* ante resurrectionem Christi est administratus.

6 Nam, ut vidimus n. 60, Christus est *immediatus* institutor sacramentorum etiam in *individuo.*

7 Act. **1**. 3.

8 Act. **8**. 14–7; **19**. 5–6.

9 2 Corinth. **2**. 21-2.

10 HERGENR. I p. 270, 380.

11 EUSEB. *Hist. Eccl.* VI c. 33.

12 THEOD. *Hær.* III c. 5.

13 BELLARM. *De Confir.* c. 1.

præcipiente novatianos et arianos conversos esse inungendos [14]. **Sæc. 5** INN. I vetuit ne chrisma benediceretur ab aliis quam ab episcopis, qui soli confirmare debebant [15]. **Sæc. 12** WALDENSES, **14** WICLEFFITÆ, **15** HUSSITÆ, **16** REFORMATORES vel simpliciter respuerunt confirmationem quasi humanum figmentum, vel facultatem administrandi omnibus sacerdotibus communem fecerunt [16]: adversarios nacti sunt *P. Lomb., Bonav., S. Thom.*, ceterosque *Scholasticos* et sunt damnati ab *Inn. III, Mart. V* et *Conc. Trid.* [17]. — Hoc eodem tempore etiam inter catholicos quæstiones de confirmatione exarserunt, siquidem alii cum R. PULLEYN negabant etiam de consensu R. P. prosse simplicem presbyterum confirmare [18], alii cum AUREOLO solam impositionem manuum habebant de essentia sacramenti [19], alii æstimabant sine balsamo posse confirmari [20]; sed a saniori theologorum parte improbati, indirecte sunt proscripti ab *Inn. I* et *III*, necnon a *Conc. Florent.* et *Trid.* quæ docent episcopum esse *ordinarium* ministrum confirmationis, cujus materiam signant *chrisma* ex oleo et balsamo confectum [21]. **Sæc. 19-20** MODERNISTÆ dixerunt ab initio hoc sacramentum non fuisse distinctum a baptismo [22], et constitui voluntate assumendi de consensu præfectorum Ecclesiæ officia vitæ christianæ [23]: hi, ut sæpius diximus, a *Scholasticis* impugnantur, et sunt damnati a *Pio X* [24].

ART. 2 - DE CONFIRMATIONIS EXISTENTIA.

130. **Qui confirmationis effectus.** Confirmatione fidelis « accipit munus ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus S. acciperent, erant in cœnaculo *perseverantes in oratione;* postmodum vero egressi *non verebantur publice fidem fateri,* etiam coram inimicis fidei christianæ » [1]. *Character* igitur confirmationis est qualitas distincta a charactere baptismi, qua baptizatus melius configuratur Christo sacerdoti, cujus miles con-

---

[14] HERGENR. II p. 176.

[15] Apud *Denzing.* n. 60.

[16] BELLARM. *l. c.* c. 1 sqq.; PESCH VI n. 491.

[17] Apud *Densing.* n. 370, 504; CONC. TRID. sqq. 7 § 3 cn. 1 et 3.

[18] HERGENR. IV p. 443. Idem docuerunt HUGO Vict., DURAND., ADRIAN., ESTIUS, aliique apud *Pesch* n. 550.

[19] AUREOL. in *IV Dist.* 7 q. 1. TAPPER (apud *Pesch* n. 511) docet solam impositionem manus vel solam unctionem esse materiam sufficientem.

[20] CAJET. 3 p. q. 72 a. 2.

[21] Apud *Denzing.* n. 60, 370, 593; CONC. TRID. sess. 7 § 3 cn. 2.

[22] DECRET. *Lament.* pr. 44.

[23] MURRI *La vit. relig.* disp. 20.

[24] Supra n. 7.

[1] BILLOT *De sacr.* I *th.* 33 p. 275-6.

stituitur pro publica professione fidei christianæ. Characterem sequitur gratia qua baptizatus corroboratur contra inanem timorem vanamque humani respectus verecundiam, ut defensoris fidei officium recte et fructuose exerceat.

131. **Errores – Veritas.** *Utilitatem* hujus sacramenti non agnoverunt NOVATIANI, *existentiam* impugnarunt CATHARI, et REFORMATORES, *originem* corruperunt MODERNISTÆ deducentes ex evolutione baptismi [2]. **Veritas.** *Sacramenti ratio* definita est in CONC. TRID. « S. q. d. confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius *verum et proprium sacramentum...;* a. s. » [3]: *distinctio a baptismate* in DECR. *Lament.* damnatione propositionis: « Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis: formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scil. et confirmationis haud spectat ad historiam christianismi primitivi » [4].

THES. 21. *Confirmatio est verum sacramentum N. L. a baptismo distinctum.*

132. **Ex Scripturis.** Nam in Act. Apost. legimus: *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum S.: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum S.* » [5]: cum vero Paulus invenisset quosdam baptizatos baptismo Joannis, jussit eos baptizari in nomine Christi, *et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos* [6]. **Argum.** In citatis testimoniis agitur de ritu distincto a baptismo et ordine seu de confirmatione: atqui hujusmodi ritus proponitur uti signum symbolicum et practicum sanctificationis hominis, in quo propria sacramenti ratio consistit: ergo. PROB. MAJOR. Nam, ut taceamus *baptismum* non conferri impositione manus sed aqua, suscipientes impositionem manuum erant baptizati; *ordo* vero non dabatur omnibus sed qui-

---

[2] Supra n. 129.

[3] DECR. *Lamentabili* pr. 44.

[4] CONC. TRID. sess. 7 § 3 cn. 1 et 2; CONC. ELIB. a. 305 cn. 38 et 77; LAODIC. a. 380 cn. 7; HISP. IV a. 619 c. 7; FLOR. decr. *pro Arm.*

[5] Act. **8**. 14-7.

[6] Act. **19**. 1-6.

busdam de populo electis [7]. PROB. MIN. *per partes*. Et primo quidem fuisse SIGNUM SYMBOLICUM patet *a*) ex analogia ad sacramentum ordinis, et *b*) ex natura rei, siquidem manus impositio exprimit quamdam communicationem seu *transfusionem* episcopi in confirmatum, quæ quidem transfusio, cum multiplex esse possit, ad unum per verba determinatur. — Fuisse SIGNUM GRATIÆ constat *a*) ex verbis *dare, recipere, venire Spiritum S.* quæ usu Scripturali exprimunt sanctificationem [8], et *b*) quia manifeste agitur de implemento promissionis Christi qui omnibus in se credentibus promiserat Spiritum S. elargientem aquam vivam, quæ est gratia [9]. — Fuisse SIGNUM PRACTICUM constat ex particulis *ut, et, cum* nexu colligationis [10] exprimentibus causalitatem ritus adhibiti *ad* Spiritum S. conferendum, et quo tamquam *medio* seu instrumento Spiritus S. est datus. — **Patres** sacramenti rationem vindicant *a*) huic sacramento cum illud connumerant cum baptismo, eucharistia et ordine; repugnat enim, saltem sine speciali et manifesta ratione [11], inefficaces cæremonias sacramentis miscere. Porro cum *Baptismo* confirmationem enumerant ORIG., TERTUL., CYPR., BASIL., AMBR., CHRYS., CYR. Alex., AUG. [12]; cum *Eucharistia* TERTUL., CYR. Hier., CYR. Alex. [13]; cum *Ordine* FIRMIL. [14]. *b*) Patres insuper gratiam et characterem dicunt effectum confirmationis. « In nobis inquit TERTUL., carnaliter currit unctio, sed *spiritualiter proficit*, quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritualis effectus, quod delictis liberamur » [15]. Et CYPR.: « Qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ afferantur et *per* nostram orationem et manuum impositionem *Spiritum S.* consequantur, et *signaculo* dominico consummentur » [16]. Similiter AUG.: « Sacramentum *chris-*

---

[7] Act. **6**. 3. sqq. coll. Hebr. **5**. 4.

[8] Rom. **5**. 5; 1 Corint. **3**. 16; Gal. **5**. 16 sqq.; 1 Thess. **4**. 8 etc.

[9] Supra n. 128.

[10] Supra n. 27.

[11] Hoc modo BERNARD. cum baptismo et eucharistia connumeravit *lotionem pedum* quia in eadem Paschatis solemnitate celebrabatur. Supra n. 16.

[12] ORIG. in *Rom.* **6**. 3; TERTUL. *Adv. Marc.* I c. 14; *De Bapt.* c. 7. 8; CYPR. *Epist.* 70 n. 2; BASIL. *De Spiritu S.* c. 27: AMBR. *De Sacr.* III c. 2; CHRYS. in *Act.* hom. 18 n. 3; CYRIL. Alex. in *Joël.* **2**. 23; AUG. *C. Petil.* II c. 104.

[13] TERTUL. *De resur.* c. 8; CYRIL. Hier. *Catech.* III n. 1, 3; CYRIL. Alex., in *Joël.* **2**. 23.

[14] FIRMIL. in *epist. Cypr.* 75 n. 7.

[15] TERTUL. *De Bapt.* c. 7; THEOPH. ad *Autolyc.* c. 1 n. 12; CONC. CARTHAG. *epist. synod.;* CYRIL. Hier. *Catech.* III n. 3; AUG. *De Bapt.* III c. 16 n. 21; *De Trin.* XV c. 25 n. 46.

[16] CYPR. Epis. 73 *ad Jub.* n. 9.

matis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, *sicut ipse baptismus:* sed potest esse et in hominibus pessimis. Discerne ergo *visibile sacramentum* (characterem), quod esse et in bonis et in malis potest... ab *invisibili unctione caritatis* (gratia sanctificante), quæ propria bonorum est » [17]. *c*) Tandem Patres veritatem hujus sacramenti deducunt ex Scripturis [18] et ex Traditione [19] dicentes cum HIER.: « An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur et ita invocetur Spiritus S.? Exigis ubi scriptum est? *In actibus Apostolorum.* Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, *totius orbis* in hanc partem *consensus* instar præcepti obtineret » [20]. — **Ex ratione.** Nam « sacramenta ordinantur ad speciales gratiæ effectus. Et ideo ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale sacramentum... Manifestum est autem quod in vita corporali specialis quædam perfectio est quod homo ad perfectam ætatem perveniat et perfectas actiones hominis agere possit... Sic igitur et vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio; in confirmatione autem homo accipit quamdam perfectam ætatem spiritualis vitæ... Et ideo manifestum est quod confirmatio est speciale sacramentum » [21].

133. **SOLVITUR DIFFICULTAS.** Ex Act. Apost. nil evincitur pro existentia confirmationis, siquidem manuum impositio fuit sine unctione, et AUG. [22] dicit quod ritus impositionis manus nihil aliud est quam oratio quæ repeti potest [23]. **Resp.** Actus non describunt *ritum* confirmationis, sed *factum* summatim referunt [24]; unde sicut tacent de verbis formæ, ita et de unctione silent, quam tamen esse adhibitam constat ex Patribus impositionem manus cum unctione convertentibus [25]. Porro AUG. cum impositionem manus dicit simplicem orationem, non loquitur de

---

17 AUG. *C. Petil.* II c. 104.

18 CYPR. Epis. 73 *ad Jub.* n. 9; INN. I ep. 25 *ad Eugub.;* HIER. *Adv. Lucif.* n. 8; CHRYS. in *Act.* hom. 18 n. 3; AUG. *De Trinit.* XV c. 25 n. 46.

19 « Consecramus aquam baptismatis et *oleum* unctionis. Ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque *traditione?* BASIL. *De Spir. S.* c. 27.

20 HIER. *C. Lucif.* n. 8. Verba sunt cujusdam Luciferiani, sed approbantur a Hieronymo.

21 S. THOM. 3 p. q. 72 a. 1.

22 AUG. *De Bapt.* III c. 16.

23 CALVIN. *Isnt.* IV c. 19 § 4.

24 Sic eunuchus baptizatus dicitur a Philippo quia credidit *Filium Dei esse J. C.* (Act. **8.** 37), quamvis alia plura crediderit: Paulus (Tit. **3.** 5) baptismum vocat *lavacrum regenerationis*, nil dicens de verbo vitæ quod alias (Eph. **5.** 26) commemorat; etc.

25 BELLARM. *De Confir.* c. 9.

testimonio Actuum, quod cum aliis Patribus explicat de confirmatione [26], sed de reconciliatione hæreticorum [27].

ART. 3 - DE CONFIRMATIONIS MATERIA, FORMA ET MINISTRO.

134. **Qui sensus formæ Ecclesiæ græcæ.** Græci confirmant dicendo: *Signaculum doni Spiritus S.* Jamvero hanc a Latinorum forma valde differre, quisque videt; sed invocationem explicitam Ss. Trinitatis non esse de essentia confirmationis, vel inde patet quod hoc sacramentum est complementum baptismi, in quo invocatio Ss. Trinitatis jam est facta: ut autem intelligas ceterorum verborum æquipollentiam, nota cum BILLOT quod « sensus formæ non est accipiendus seorsum ab applicatione materiæ; sicut enim forma determinat materiam, ita materia limitat amplitudinem formæ. Quia igitur forma ista *signaculum doni Spiritus S.* cadit super unctionem, qua athleta Christi in fronte insignitur signo ducis sui, oportet intelligere donum Spiritus S., non qualecumque, sed quo perficitur homo pro fide Christi propugnator et defensor intrepidus » [1].

135. **Errores - Veritas.** Oleum esse *materiam* confirmationis expresse negavit CALVINUS, balsamum impugnavit KEMNITIUS cui accessit CAJET.; *materiam proximam* constitui impositione manus et sacra unctione impugnarunt AUREOLUS et TAPPER; *ministrum ordinarium* esse episcopum non agnoverunt WALDENSES, WICLEFFITÆ et HUSSITÆ; sacerdotem vero simplicem neque ex delegatione R. P. fieri ministrum *extraordinarium* dixerunt PULLEYN, HUGO, DURAND. etc. [2] — **Veritas** prostat in CONC. FLOR. et TRID. Revera de *materia* legimus: « S. q. d. injurios esse Spiritui S. qui sacro confirmationis *chrismati* virtutem aliquam tribuunt; a. s. » [3]: de *materia* simul et *forma:* « Secundum sacramentum est confirmatio; cujus materia est *chrisma* confectum ex oleo... et balsamo... per episcopum benedicto [4]. Forma autem est: *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* » [5]: *de ministro:* « S. q. d., sanctæ confirmationis *ordinarium ministrum* non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; a. s. » [6].

---

[26] Supra not. 17.
[27] BELLARM. *De Confir.* c. 7.
[1] BILLOT *De Sacr.* I *th. 32* p. 274.
[2] Supra n. 129.
[3] CONC. TRID. sess. 7 § 3 cn. 2.
[4] De beneditione episcopi loquuntur etiam INN. 1 epist. ad *Eugub.* c. 3, et CONC. HISP. IV cn. 7.
[5] CONC. FLORENT. *Decr. pro Arm.*
[6] CONC. TRID. sess. 7 p. 3 cn. 3.

THES. 22. *Sacramenti confirmationis* — 1 materia remota *est chrisma ab episcopo benedictum,* — 2 proxima *unctio frontis baptizati, necnon* — 3 *manus impositio;* — 4 forma *vero sunt verba: Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus S.*

136. **Prima pars.** *Confirmationis* materia remota *est chrisma ab episcopo benedictum.* Etsi **Scripturæ** expresse non loquantur de sacra unctione, innuunt tamen cum docent nos *ungi Spiritu S.*[7]. — **Patres** agentes de confirmatione sæpe loquuntur de *oleo*[8], *chrismate*[9], et *sacra unctione*[10]. — Oleum vero cum *balsamo* esse commiscendum constat ex voce *chrismatis,* qua indicant hoc sacramentum; chrisma enim est oleum cum balsamo commixtum. Confirmatur ex voce *unguenti,* qua usi sunt AMBR. confirmationem comparans unguento in capite quod descendit in barbam Aaron[11], THEOD. docens quod baptizati « spiritualis unguenti chrismate inuncti, sub ea *visibili unguenti specie* invisibilem S. Spiritus gratiam accipiunt »[12], et CYR. Hier. qui diffuse loquitur de unguento quo christiani « Christi participes et consortes effecti » sunt[13]. — Porro chrisma *esse benedicendum ab episcopo,* patet ex BASIL. qui ex Traditione desumit consecrationem olei unctionis[14]; et ex CYRIL. Hier. qui docet quod sicut panis post consecrationem est corpus Christi, « ita et sanctum istud unguentum non amplius nudum... commune unguentum est *post invocationem,* sed Christi donarium et Spiritus S., præsentia divinitatis ejus, efficiens factum »[15]. Similia habet BEDA qui notat « in Engaddi balsamum gigni, quod cum oleo *pontificali benedictione* chrisma efficitur, quo dona Spiritus exprimuntur »[16]. **Ratio** sumitur ex symbolica significatione materiæ. Nam « gratia

---

7 Supra n. 129.

8 THEOPH. ad *Autolyc.* I n. 12; IREN. *Adv. hær.* I c. 21 n. 4 coll. *Pesch* n. 497; TERTUL. *Adv. Marc.* I 14; BASIL. *De Spiritu S.* c. 27; CYRIL. Alex. *in Joël.* **2**. 23.

9 ORIG. in *Rom.* **6**. 3; CYPR. *epist.* 70 n. 2; INN. I ep. 25 *ad Eugub.* c. 3; AUG. *C. Petil.* II c. 104; THEOD. in *Cant.* **1**. 2; CONC. LAOD. cn. 7; HISP. IV cn. 7.

10 TERTUL., CYPR., BASIL., INNOC. I, AUG., THEOD. *l. c.;* AMBR. *De Sacr.* III c. 2; CYRIL. Hier. *Catech.* III.

11 AMBR. *De myst.* c. 6. IREN. *Adv. hær.* I c. 21 oleum confirmationis vocat *opobalsamum.*

12 THEOD. in *Cant.* **1**. 2.

13 CYR. Hier. *Catech.* III.

14 BASIL. *De Spiritu S.* c. 27.

15 CYRIL. Hier. *Catech.* III.

16 BEDA *in Cant.* **1**. 13.

Spiritus S. in oleo designatur; unde Christus dicitur esse *unctus oleo lætitiæ* [17] propter plenitudinem Spiritus S., quam habuit. Et ideo oleum competit materiæ hujus sacramenti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios; unde Apostolus dicit [18]: *Christi bonus odor sumus Deo.* Et licet multa alia sint odorifera, tamen præcipue accipitur balsamum propter hoc quod habet præcipuum odorem, et quia etiam incorruptionem præstat » [19]. Debet autem chrisma *benedici,* quia, si in naturalibus instrumentum ab artifice præparatur [20], a fortioni materia sacramenti debet consecrari: atqui Christus materiam baptismi consecravit suo baptismate et materiam Eucharistiæ celebratione primæ Missæ, sed « unctionibus visibilibus non est usus, ne fieret injuria invisibili unctioni, qua est *unctus præ consortibus tuis* [21]; et ideo tam chrisma quam oleum sanctum infirmorum prius benedicuntur, quam adhibeantur ad usum sacramenti » [22]. Benedicendum vero est *ab episcopo,* quia episcopus solus habet plenitudinem sacerdotii Christi, quem supplet in munere præparandi sacramentorum materiam.

137. **Secunda pars.** *Materia proxima sacramenti est unctio, facienda in forma crucis in fronte.* Materiam proximam esse *unctionem* patet ex generali principio quod materia proxima est applicatio remotæ, chrismate vero non lavamur, sed inungimur; probatur autem testimoniis *Patrum* relatis in prima parte. — Porro de necessitate sacramenti unctionem faciendam esse *in fronte,* constat ex simultaneitate cum impositione manus, quæ profecto in capite est facienda, et ex testimonio Patrum qui cum TERTUL. confirmationem vocant *signaculum frontium* [23], cum AUG. dicunt quod sicut baptismus in toto corpore et eucharistia in ore, ita confirmatio in *fronte* suscipitur [24], et cum CYRIL. Hier. testantur oleum benedictum « symbolice *fronti* (in confirmatione), aliisque sensibus tuis (in extrema unctione) illiniri » [25]. — Unctionem tandem faciendam esse *in forma crucis,* probatur *a*) universali praxi Ecclesiæ: *b*) commemoratione crucis in forma latina, quæ saltem implicite (actu exercito) fieri debet in græca: *c*) auctoritate AUG. qui docet crucem

---

[17] Ps. **44**. 8.
[18] 2 Corinth. 2. 15.
[19] S. THOM. 3 p. q. 72 a. 2.
[20] V. g. penicillus, securis, etc. non sunt in natura, sed artificis ope præparantur.
[21] Ps. **44**. 8.
[22] S. THOM. 3 p. q. 72 a. 3.
[23] TERTUL. *Adv. Marc.* III c. 22.
[24] AUG. Enar. in *Ps.* **141** n. 9.
[25] CYR. Hier. *Catech.* III n. 3.

Christi in fronte sic adhiberi ut *sine illa* etiam oleo *nihil perficiatur* [26], et affirmat id Christum constituisse [27]: tandem *d*) communi theologorum sententia [28]. Argumentum **rationis** S. THOM. inde sumit quod « in hoc sacramento homo accipit Spiritum S. ad robur spiritualis pugnæ, ut fortiter etiam inter adversarios fidei Christi fidem confiteatur. Inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quæ quasi numquam obtegitur, et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret se essè christianum » [29]. Quia vero Christus crucifixus, *judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia* [30], *iis qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est* [31], in confirmatione « consignatur homo exterius quasi *vexillo crucis* ad pugnam spiritualem » [32].

138. **Tertia pars.** *Materia proxima confirmationis est etiam impositio manus* [33]. Nam **Scripturæ** confirmationem impositione manus designant, et **Patres** cum unctione impositionem manus commemorant [34]. **Rationis** analogia inde sumitur quod confirmatione confertur Spiritus S. et datur potestas defendendi ex officio fidem susceptam in baptismo: atqui hæc sunt initialis quædam participatio potestatis episcopi qui plenitudinem Spiritus S. accepit, cum onere propagandi fidem: ergo sacramentum confirmationis convenienter datur impositione manus quæ exprimit aliqualem communicationem potestatis ordinantis [35].

139. **Quarta pars.** *Forma sunt verba: Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis: in nomine Patris et Filii et Spiritus S.*

---

[26] AUG. in *Joan.* tr. 118 n. 5.

[27] AUG. Enar. in *Ps.* **141** n. 9.

[28] ALPH. LIG. *Theol. Mor.* VI n. 164; SUAREZ *De Sacr.* Disp. 33 sect. 3; etc.

[29] S. THOM. 3 p. q. 72 a. 9.

[30] 1 Corinth. **1.** 23.

[31] 1 Corinth. **1.** 18.

[32] S. THOM. 3. p. q. 72 a. 4 ad 3.

[33] Communissime tenent de essentia confirmationis esse *secundam tantum* impositionem manus, siquidem *a*) SCRIPTURÆ non loquuntur de duplici impositione: *b*) RR. PP. (INNOC. III *Decr.* I til. 15 c. 1 § 7; CONC. FLOR. Decr. *pro Arm.*) vero et PATRES (Cf. BELLAR. *De confirm.* c. 9) unctionem et impositionem convertunt, ac si de una eademque re agatur. *c*) Hinc in ECCLESIA GRÆCA prima impositio deest et in PONT. ROM. post illam *proceditur* ad sacramenti collationem. *d*) Merito ergo INN. III *l. c.* « Per *frontis chrismationem* manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur *confirmatio* ».

[34] TERTUL. *De resur.* c. 8; CYPR. ep. 73 *ad Jub.* n. 9; FIRMIL. *in epist. Cypr.* 75 n. 5; HIER. *Adv. Lucif.* n. 8; AUG. *De Trinit.* XV c. 25 n. 46.

[35] Supra n. 132.

Constat ex PONT. ROM. et PRAXI ECCLESIÆ. **Ratio** est quia « in hoc sacramento datur Spiritus S. ad robur spiritualis pugnæ. Et ideo in hoc sacramanto tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta: quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est Sancta Trinitas, quæ exprimitur cum dicitur *In nomine Patris,* etc. [36]. Secundum est ipsum robur spirituale quod homini confertur per sacramentum materiæ visibilis ad salutem, quod quidem tangitur cum dicitur: *Confirmo te chrismate salutis.* Tertium est signum quod pugnatori datur, sicut et in pugna corporali milites insigniis ducum insigniuntur; et quantum ad hoc dicitur: *Signo te signo crucis,* in quo scil. Rex noster triumphavit » [37].

THES. 23. *Minister* ordinarius *confirmationis est episcopus,* extraordinarius *vero quilibet sacerdos specialiter delegatus a R. P.*

140. **Prima pars.** *Ordinarius minister confirmationis est episcopus.* Nam **Scripturæ** sat clare docent Apostolos hoc sacramentum administrasse jure proprio et exclusivo, siquidem ipsi non baptizarunt neophitos, sed quos alii baptizaverant, confirmarunt, ad hunc finem profecto vocati [38], quia ceteri potestatem confirmàndi non habebant. — **Patres** volunt « ut qui in ecclesia (per sacerdotes) baptizantur, præpositis ecclesiæ (episcopis) afferantur et per *nostram* orationem et manuum impositionem Spiritum S. consequantur et signaculo dominico consummentur » [39]. Hinc potestatem confirmandi cum potestate ordinandi connumerant [40]; atque a solis coryphæis [41], Ecclesiæque præpositis [42], seu pontificibus vel episcopis exerceri posse docent. « Presbyteris, inquit INNOC. I., seu extra episcopum, seu præsente episcopo cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet,... non tamen frontem ex eodem oleo signare quod *solis* debetur *episcopis,* cum tradunt Spiritum Paracletum » [43]. — **Ratio** est quia « in quolibet opere ultima consummatio supremæ arti aut virtuti reservatur... Hoc autem confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi... Et ideo collatio hujus

---

[36] In forma græca causa gratiæ proponitur cum dicitur: « signaculum doni *Spiritus S.* »; siquidem Spiritui S. tribuuntur opera gratiæ.

[37] S. THOM. 3 p. q. 72 a. 4.

[38] Testimonia dedimus n. 132.

[39] CYPR. ep. 73 *ad Jub.* n. 9.

[40] FIRMIL. *in epist. Cypr.* 75 n. 7.

[41] CHRYS. in *Act.* hom. 18 n. 3.

[42] AUG. *De Trinit.* XV c. 25 n. 46.

[43] INNOC. I epist. 25 *ad Eugub.* c. 3.

sacramenti episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia »[44].

141. **Secunda pars.** *Quilibet sacerdos ex speciali delegatione R. P. potest confirmare.* Ex **Scripturis** nihil deducitur, quia versamur in exceptione et non in lege; doctrina tamen est certa **ex praxi Ecclesiæ Græcæ,** in qua jam dudum ante Photium sacerdotes simul cum baptismo, RR. PP. non contradicentibus, confirmationem conferebant; et **ex praxi Ecclesiæ Latinæ,** siquidem GREG. M. confirmare concessit sacerdotibus caralitanis in Sardinia, NICOL. IV, JOAN. XXII, URBAN. V, EUGEN. IV, LEO X, HADR. VI nonnullis FF. Minoribus, et GREG. XIII, BENED. XIII, CLEM. XI PP. Societatis Jesu aliisque, nostris vero temporibus aliquando conceditur præfectis apostolicis a sede episcopali dissitis[45]. **Innuitur a Conciliis;** si enim TRID. docet episcopum esse ministrum *ordinarium,* supponit dari ministrum *extraordinarium*; et FLOR. factum delegationis non reprobans, implicite approbat. Accedit **theologorum consensus;** etsi enim pauci negent[46], S. THOM. cum thomistis, SCOTISTÆ plurimi, BELLARM., SUAREZ, DE LUGO, et vix non omnes moderni, valide et licite rationabili de causa id fieri posse docent. **Ratio** sumitur ex effectu hujus sacramenti, qui est constituere milites Christi; sicut enim in humanis adscribere novos milites pertinet de jure ad superiores, sed supremus dux potest ad hoc delegare duces inferiores; ita in Ecclesia baptizatos confirmare spectat de jure ad episcopos, sed ex delegatione R. P., supremi Ecclesiæ ducis, etiam sacerdotes idem perficere valent. Non alii tamen « delegari possunt nisi sacerdotes, quia hi soli possunt esse duces in exercitu Christi, sicut ipsi soli possunt esse pastores gregis Christi, quia ipsi soli habent potestatem in corpus Christi verum, quo pascuntur fideles »[47].

142. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Usque ad sæc. 4 nemo commemorat *unctionem* confirmationis, dein vero confertur a *baptizante* ante impositionem manuum episcopi[48]: ne ergo cum Modernistis evolutionem dogmatis prædicemus, affirmare debemus unctionem non esse de essentia confirmationis. **Resp.** Si aliter res non posset explicari,

---

44 S. THOM. 3 p. q. 72 a. 11.
45 DE AUGUST. p. 434; PESCH n. 553.
46 Supra n. 129.
47 PESCH n. 554.
48 NOGARÀ in *Scuola* Marzo 1911.

dicendum foret Christum hoc sacramentum instituisse in *genere* et non in *specie* [49]. At negandum est *suppositum;* de sacra enim unctione sat clare loquuntur sæc. 2 THEOD. et IREN., sæc. 3 ORIG., TERTUL. et CYPR. [50], sæc. autem 4 et 5 Patres non proponunt unctionem uti rem novam, sed uti traditione firmatam [51]. Quod vero sacerdotes ante impositionem manus episcopi ungerent baptizatos concedimus, sed negamus dein ab episcopis non esse inunctos, siquidem INN. I duplicem unctionem expressis verbis distinguit [52].

143. **Objic. 2.** De forma non solum nihil recurrit in Scripturis et apud pristinos Patres, sed usque ad CLEM. VIII est tanta varietas [53] ut ecclesiastica ejus institutio manifeste appareat. **Resp.** Formam comitasse impositionem manus apparet ex ipsis Act., qui de *oratione* loquuntur [54]: varietas autem formarum potest explicari ex eorum æquipollentia [55].

CAPUT III.

De Ss. Eucaristiæ sacramento.

144. **Prologus et divisio.** *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris* [1]. Hæc, quæ lætabundus canebat Moyses, recogitans innumera beneficia a Deo concessa populo Israël, quam verius resonant in ore nostri, quorum Israël typum gessit [2]! Vere dives in misericordia Deus noster plus opere peregit, quam humana cogitatio fingere potuit. An mythologia Deum fecit morientem pro populo suo? Unigenitus Filius Dei non solum seipsum redemptionem dedit pro inimicis, sed, habitare volens cum filiis hominum [3], factus est nobis comes in via, cibus in egestate, viaticum in morte. De altissimo Sacramento, mirabilium Dei memoria [4] et miraculorum maximo [5], quo *Emmanuel* noster suum nomen

---

[49] Supra n. 60.
[50] Supra n. 136.
[51] BASIL. *De Spir. S.* c. 27.
[52] INN. I Ep. 25 *ad Eugub.* c. 3.
[53] NOGARA *l. c.*
[54] Act. **8.** 15.
[55] Supra n. 134.
[1] Deut. **4.** 7.
[2] 1 Corinth. **10.** 11.
[3] Prov. **8.** 31.
[4] *Memoriam fecit mirabilium suorum..: escam dedit timentibus se.* Ps. **110.** 4-5.
[5] « Mutatio, quæ ipsam materiam attingit, est difficilior et majoris virtutis ostensiva, quam quæcumque alia transformatio ex parte ejus quod trasmutatur..., unde ipsa (Eucharistia) est miraculum miraculorum omnium ». S. THOM. *IV Dist.* 11 q. 1 a. 3 sol. 1; 3 p. q. 75 a. 8 ad. 3

complevit [6], pauca tantum innuere absonum est: sat ergo diffuse de ipso agemus, et — 1 *præmissis* quibusdam *notionibus*, dicemus — 2 *de reali Christi præsentia*, — 3 *de transsubstantiationis facto*, et — 4 *modo*, — 5 *de realitate specierum* et — 6 *de modo quo consistant*, — 7 *de præsentia Christi sub speciebus* et — 8 *de hujus præsentiæ modo*, — 9 *de Eucharistiæ fine et ministro*, — 10 *deque ejus fructu*, — 11 *necessitate et subjecto*.

ART. 1. - NOTIONES PRÆVIÆ.

145. **Ss. Eucharistiæ definitio.** Ex AUG. distinguente inter visibilem elementorum *species* et invisibilem *carnem et sanguinem ipsius D. N. J. C.* [1], Eucharistia definitur *Sacramentum N. L. a Christo Domino institutum, in quo sub speciebus panis et vini continetur corpus, sanguis, anima et divinit s D. N. J. C. ad spiritualem hominis refectionem.* Priora verba exprimunt sacramenti *genus*, cetera *differentiam* specificam, quam non signant verbis formæ sed immediato effectu, quia in hoc effectu verba formæ moraliter permanent, ut suo loco dicemus. Ultima verba efferunt gratiam *propriam* hujus sacramenti, quod est institutum ad vitam spiritualem conservandam et augendam.

146. **Quæ Ss. Eucharistiæ nomina.** Tertium sacramentum antonomastice dicitur *Eucharistia*, græca vox sonans *gratiam* vel *gratiarum actionem*. « Ac recte quidem *bona gratia* dicendum est (hoc sacramentum), tum quia vitam æternam... præsignificat; tum quia Christum Dominum, qui vera gratia atque omnium charismatum fons est, in se continet. Nec vero minus apte *gratiarum actio* interpretatur: siquidem, quum hanc purissimam hostiam immolamus, immensas quotidie gratias pro universis in nos beneficiis Deo agimus » [2]. — Aliis quoque nominibus donatur; etenim ex sublimitate arcani dicitur *sacramentum, mysterium* vel *mysteria;* ex materia remota *panis Christi* vel *panis Angelorum;* ex re contenta *corpus et sanguis Christi, Novum Testamentum;* ex fine institutionis *communio, synaxis, viaticum, sacrificium;* ex modo, quo conficitur, et ex circumstantiis, quibus est institutum et administratur, *benedictio, fractio panis, cœna* vel *cœna domini, pascha, agape* [3].

147. **Ss. Eucharistiæ figuræ et symbola.** « In hoc sacramento tria considerare possumus: scil. id quod est *sacramentum tantum*, quod est

---

[6] EMMANUEL, vox hebraica, dicit *Nobiscum Deus*. Vol. 3 n. 4.

[1] AUG. *De catech. rud.* n. 50 c. 26.

[2] CATECH. ROM. p. 2 c. 4 n. 3.

[3] DE AUGUST. I p. 445-6.

panis et vinum; et id quod est *res et sacramentum,* scil. corpus Christi verum; et quod est *res tantum,* scil. effectus hujus sacramenti. Quantum ad id quod est sacramentum tantum, potissima figura fuit... *oblatio Melchisedech,* qui obtulit panem et vinum [4]. Quantum autem ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc sacramento, figuræ ejus fuerunt *omnia sacrificia V. T.,* præcipue sacrificium expiationis quod erat solemnissimum [5]. Quantum autem ad effectum, fuit præcipua figura *manna,* quod habebat in se omnis saporis suavitatem... [6], sicut et gratia hujus sacramenti quantum ad omnia reficit mentem [7]. Sed *agnus paschalis* quantum ad hæc tria præfigurabat hoc sacramentum; quantum enim ad primum quia manducabatur cum panibus azymis...; quantum ad secundum quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israël...; quantum ad effectum quia per sanguinem agni paschalis protecti sunt filii Israël a devastante angelo...; et quantum ad hoc ponitur præcipua figura » [8]. —

---

[4] Ad hanc classem revocantur prophetiæ quæ ut bonum messianicum enuntiant epulas sacrificales in pane et vino; licet enim ante eorum implementum quis dubitare potuerit quid Deus talibus epulis promiserit, post implementum dubitare non potest qui « attenderit in novo fœdere ipsam sacratissimam Victimam in epulis sacrificalibus comedendam tradi fidelibus ». KNAB. in *Isai.* I p. 468; *Jerem.* p. 379. *Proph. Min.* p. 330. — Præcipua testimonia hæc sunt: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ.* Isai. **25**. 6. *Venient et laudabant in monte Sion et confluent ad bona Domini super frumento et vino, etc.* Jerem. **31**. 12. *Quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* Zach. **9**. 17.

[5] Præsentiam Christi sub speciebus BERNARD. *(Med. in Pass.* c. 12 n. 30) vidit in *columna* seu nube tabernaculo insidente, quæ præsentiam et protectionem Dei ostendebat. — CYRIL. Hier. *Catech.* 4 n. 5: HIER. in *Malach.* **1**; *Tit.* **1**; DAMASC. *De fide orth.* IV c. 14 eamdem Christi præsentiam agnoverunt in *12 panibus propositionis.* Et merito, nam « hic panis est duarum naturarum, Christus enim et Deus est et homo: suntque 12 panes, quia primi cœnam hanc Eucharisticam cœnaverunt duodecim Apostoli: imponitur thus i. e. gratiarum actio, et oblatio, quæ principatum tenet in Dominica cœna, inquit ISYCHIUS: non licet eos comedere nisi in loco sancto, i. e. in pura et sancta anima ac conscientia ». A LAPIDE in *Lev.* **24**. 5.

[6] Sap. **16**. 20.

[7] A LAPIDE in *Gen.* **2**. 9 ex IREN. *Adv. hær.* IV c. 34 et V c. 2 atque BERNARD. in *Cant.* serm. 48 typum Eucharistiæ habent etiam *lignum vitæ* quod Deus plantaverat in medio Paradisi Gen. **2**. 9; communissime vero *panem subcinericium* Eliæ, siquidem sicut propheta *ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb* (3 Reg. **19**. 6-8); ita nos « per totam vitam, quæ nobis est tempus jejunii et pœnitentiæ, ambulamus ad montem Dei Horeb, ut scil. videamus *Deum deorum in Sion* ». A LAPIDE.

[8] S. THOM. 3 p. q. 73 a. 6.

Symbola Eucharistiæ, quæ in operibus Patrum et in picturis catacumbarum assumuntur, sunt *fractio panis,* miraculosa *multiplicatio panum et piscium, convivium* discipulorum ad lacum Tiberiadis et *conversio aquæ in vinum* quam Christus operatus est in Cana Galileæ [9]. Quam vero opportune hæc symbola sint assumpta, facile apparet. *Fractio* enim *panis* revocat institutionem hujus sacramenti, quando Christus *unum* panem et *unum* calicem sacravit et distribuit discumbentibus [10]: *multiplicatio panum* præfigurabat nutritionem totius populi christiani ex uno Christo, qui hoc miraculum quasi exordium præmisit sermoni de Eucharistia [11]. Panis insuper est materia Eucharistiæ et piscis symbolum Christi; unde *panis* cum *pisce* significat Christum sub speciebus [12]: *convivium* ad lacum Tiberiadis paratum est a Christo [13] qui Eucharistiæ est principalis sacerdos simul et victima: miraculosa *transformatio aquæ in vinum,* qua in Cana nuptiæ sunt firmatæ [14], credibilem reddit transsubstantiationem, qua alitur Sponsa Christi [15].

148. **Historia dogmatis.** Christus qui Caphanaum, integro ante passionem anno [16], seipsum promiserat in cibum et potum, in ultima cœna, *cum dilexisset suos..., in finem dilexit eos* [17], *et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur* [18]. Sacramentum institutum a Christo et renovandum usque ad finem mundi [19], oblivioni dari non potuit. De ipso loquuntur Apostolus [20], et Actus [21], et quamvis disciplina arcani [22] vetaret ne publice annuntiaretur, clara tamen testimonia habet in IGNAT. M., CLEM. Rom., JUST. M., DIONYS. Alex., TERTUL., CYPR., etc. [23], necnon in monumentis

---

9 P. SYXTUS *Not. Arch.* II p. 2 c. 5 a 3-4 p. 169-203.

10 Matt. **26**. 26-7. Attendas quomodo in picturis unitas calicis dividendi inter communicantes indicetur ansis, quibus est instructus.

11 Joan. **6**. 5 sqq. Panes aliquando obsignantur *monogrammate* exhibente nomen Salvatoris (Cf. *append.* fig. 3), aliquando *cruce* (Cf. *append.* fig. 4), quæ relationem Missæ ad sacrificium crucis exprimit. Cf. P. SYXT. *l. c.*

12 Cf. Append. fig. 6.

13 Joan. **21**. 9. Nonnumquam ad miraculum signandum pingitur Christus. tangens panes virgâ. P. SYXT. *l. c.* p. 187

14 Joan. **2**. 1-11.

15 GREG. Nyss. *De Euch.* or. 37.

16 Juxta CORNELY *Synops. Sacr. Script.* p. 343 sermo de Eucharistia locum habuit tertio paschate vitæ publicæ, h. e. mense aprilis an. 781 U. c. et 28 æræ Dionys.

17 Joan. **13**. 1.

18 Luc. **22**. 19-20.

19 *Donec veniam.* 1 Corinth. **11**. 26.

20 1 Corinth. **11**. 23 sqq.

21 KNAB. in *Act.* **2**. 42 q. 62.

22 Jam vidimus disciplinam arcani apostolica tempora attingere.

23 Testimonia dabimus in probatione tesium.

catacumbarum, ex quibus colligitur **sæc. 1** cum agape esse concelebratum. Medio **sæc. 2** Eucharistia ab agape sejungitur, lectione Scripturarum, psalmorum cantico, et plurium orationum ritu consecratur, atque adstantium Communione expletur [24]. **Sæc. 1-6** nedum ab aliquo impugnetur, a Patribus assumitur tamquam notum principium quo omnes hæreses confodiuntur. Sic contra *Docetas* ex præsentia corporis Christi sub speciebus IGNAT. veritatem carnis Christi arguebat, hæreticos illos exorando ut, errore deposito, ex communione eucharistica resurrectionem acciperent [25]: contra *Gnosticos*, ponentes duplex principium, IREN. evincit Deum esse auctorem rerum materialium, secus enim Deus panem non converteret in corpus Christi [26], nec corpus Christi nobis tribueret immortalitatem [27]: contra *Arianos* HIL. ostendit consubstantialitatem Filii cum Patre, quia si Christus est in Patre sicut in nobis, quia, dum communicamur, in nobis vere est suo corpore, ita sua divinitate vere est in Patre [28]: contra *Nestorianos* [29] CYRIL. Alex. evincit unitatem personæ in Christo, quia secus caro Christi non esset vivifica, nec prodesset Eucharistia [30]: contra *Eutychianos* distinctionem naturarum in Christo arguit THEOD., quia sicut in Eucharistia substantia corporis Christi non evacuat accidentia panis, ita hypostatica unione divinitas non absorbet humanitatem [31]: contra *Macedonianos* ISIDOR. Pelusiota dicit quod si Spiritus S. non esset Deus, non posset panem convertere in corpus Christi [32]: tandem contra *Incorrupticolas* ANASTAS. deducit passibilitatem corporis Christi, quia in Eucharistia species corrumpuntur [33]. Prima disputatio de reali præsentia Christi in Eucharistia contigit **sæc. 9.** Cum enim RADBERTUS PASCHASIUS dixisset in Eucharistia esse ipsam carnem, quæ de virgine est nata et in cruce passa, eamque consectariis nutritionis non subjici, quidam, duce J. SCOTO Erigena, ei contradicentes, non solum docuerunt Eucharistiâ hominem nutriri, sed in ea solam figuram et memoriam Christi haberi [34]. Quod Scotus adumbraverat, ad complementum duxit **sæc. 11** BERENGARIUS transsubstantiationem et probabilius realem Christi præsentiam negando [35]. Contra eum pugnarunt *Adelmanus, Hugo* Lingon., *Lanfrancus, Hildebrandus* (Greg. VII), *Anselmus* et dein *P. Lomb., S. Thom.* etc., ipsum vero

---

[24] HERGENR. I 271, 381-4.

[25] IGNAT. M. ad *Smyr.* c. 7. Eamdem *carnis Christi veritatem* ex Eucharistia ostendit TERTUL. *C. Marcionem* IV c. 40; V c. 8.

[26] IREN. *Adv. hær. IV* c. 10 n. 4-5.

[27] IREN. *l. c.* V. c. 2 n. 2-3.

[28] HILAR. *De Trinit.* VIII n. 17-8; CYRIL. Alex. in *Joan.* **15**.

[29] *Nestorius* dicebat in Eucharistia esse corpus Christi, sed non ejus divinitatem. HERGENR. II p. 231.

[30] CYRIL. Alex. *C. Nestor.* IV c. 5.

[31] THEOD. Dial. *Inconfusus.*

[32] ISID. Pelus. epist. 109 ad *Marathon.*

[33] ANAST. Sinaita in *Hodego* c. 23. Notat tamen FRANZ. argumentum *Anast.* non esse convincens.

[34] HERGENR. III p. 201-3.

[35] HERGENR. IV p. 98.

proscripserunt Syn. *Vercell.* (a. 1050), *Paris.* (a. 1051), *Turon.* (a. 1054), *Rom.* (a. 1059), *Rothom.* (a. 1063), *Pictav.* (a. 1075), *Rom.* (a. 1079), *Placent.* (a. 1095) [36]. A **sæc. 12,** attentis nonnullis abusibus qui obrepserant [37], mutatur *disciplina eucharistica:* et primo quidem Ss. Communio negatur parvulis ante usum rationis, dein vero non celebrantibus prohibetur sumptio calicis [38]. — Verum non tantum abusus in Eucharistiæ sumptione irrepserant, sed errores in dogmate. Licet enim Berengarius ante mortem suos errores retractasset, alea jacta erat, et portæ inferi totis viribus contra dogma Eucharisticum insurrexerunt. FOLCMARUS præp. Trifensteinii adorationem Eucharistiæ quasi idololatriam respuit et integritatem corporis Christi sub utraque specie non agnovit [39], CATHARI (Albigenses) vero ipsam realem præsentiam Christi sub speciebus negarunt [40], unde proscripti sunt a *Conc. Later. IV* quod transsubstantionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi definivit [41]. **Sæc. 14** FLAGELLANTES omnem efficaciam Eucharistiæ detraxerunt [42], et WICLEF. transsubstantiationem respuit, negans accidentia panis et vini sine subjecto manere in hoc sacramento [43]; sed impugnatus est a *Courtney* et *Thom.* epis. Lond. atque a *G. Wordford,* et proscriptus in *Conc. Const.,* approbato a *Mart. V* [44]. **Sæc. 15** HUSSITÆ præcipiebant omnibus communionem sub utraque specie, unde et Callixtini sunt vocati [45], a *Scholasticis* vero confutati, sunt damnati in *Conc. Const.* et *Trid.* [46]. **Sæc. 16** NOVATORES sicut cetera dogmata, ita hoc sacramentum undequaque sunt aggressi: *realem præsentiam* negarunt ZWIGLIUS, CALVINUS, ŒCOLANPADIUS, quorum primus dixit Christum in *figura* tantum adesse in Eucharistia, alter *fide* intelligi, tertius in quadam *virtute* sed non in substantia contineri [47]: qui vero realem præsentiam absolute non negarunt, respuerunt tamen *transsubstantiationem* dicentes corpus Christi *companatione* pani et vino consociari (LUTHERANI), vel *impanatione* hypostatice ea assumere (OSIANDER), vel sola *communicatione divinæ præsentiæ* eis adesse (ILLYRICUS, KEMNITIUS, UBIQUISTÆ) [48]. Nec in

---

36 HERGENR. IV p. 93-7.

37 ANDRIEUX in *Revue pratique d'apologétique* Decemb. 1910.

38 HERGENR. IV p. 450.

39 HERGENR. IV p. 217.

40 HERGENR. IV p. 228.

41 DENZINGER n. 357.

42 HERGENR. V p. 85.

43 DENZING. n. 477-9.

44 HERGENR. V p. 189; DENZING. *l. c.*

45 HERGENR. V p. 214. — **NB.** Sæc. 13 quidam *Scholastici,* etsi non præciperent communionem sub utraque specie, eam tamen majoris fructus reputabant. HERGENR. IV p. 450.

46 CONC. CONST. sess. 13. *(Denzing.* n. 585); TRID. sess. 21 cn. 1.

47 BELLARM. *De Euch.* I c. 1 et 8; HERGENR. VI p. 88, 179.

48 BELLARM. III c. 11 sqq. De *Lutheranis* cf. HERGENR. VI p. 35, 90, qui V p. 69 addit etiam *Durandum,* post *J. Parisiensem,* putasse probabilem sub speciebus panem consistere una cum corpore Christi.

quæstione tantum de reali præsentia Christi sub speciebus erraverunt Reformatores, sed *necessitatem* sacramenti rejecierunt [49], solam fidem pro *dispositione* requisierunt [50], remissionem peccatorum dixerunt *effectum* Communionis [51], atque Eucharistiam baptismo comparantes, præsentiam Christi in *solo usu* seu communione agnoverunt, negantes eam posse asservari et multo minus *adorari* [52]. Novatores a *Scholasticis* sunt impugnati et damnati in *Conc. Trid.* quod realem Christi præsentiam in Eucharistia definivit, transsubstantiationis vocem uti propriam ad conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi exprimendam approbavit, lege concomitantiæ præsentiam totius Christi sub quavis specie ejusque parte explicavit, necessitatem status gratiæ pro fructuosa sumptione Eucharistiæ decrevit, annualem communionem præcepit, et adorationem hujus sacramenti tuitum est [53]. **Sæc. 17** JANSENISTÆ dispositiones requisitas pro fructu Encharistiæ exaggerantes, ab ejus susceptione arcere voluerunt fideles [54]; sed strenue impugnati a *S. Alphonso* aliisque theologis, damnati sunt ab *Alex. VIII* [55] et a *Pio X* [56] qui gratiæ statum et rectam intentionem sufficere docuit pro ipsa frequenti communione. **Sæc. 18** SEMIJANSENISTÆ transubstantiationis notionem ad præsentiam Christi sub speciebus, cessante substantia panis, reducere voluerunt [57], sed improbati sunt a *Pio VI,* qui veritatem conversionis totius substantiæ panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi, a Conc. Trid. definita, confirmavit [58]. **Sæc. 19** cum ATOMISTÆ accidentia dicerent undulationes atomorum, quidam e nostris permanentiam specierum in Eucharistia explicare conati sunt quasi « Deus sua immediata operatione in æthera vel in aëra vel in sensus nostros et etiam in alia corpora eosdem motus imprimeret quos antea imprimebant panis et vinum » [59]; vel quatenus, « sublata panis substantia, divina virtus efficeret, ut in loco, ubi erat panis, intraque eosdem limites, resistentia habeatur eodem modo atque ordine, quo a panis illius atomis atque moleculis exercebatur » [60]; vel quia « Deus efficeret ut materia imponderabilis, quæ atomis

---

[49] CALV. *Inst.* IV c. 17 § 47 dicit « consuetudinem, quæ semel quotannis communicare jubet, certissimum esse diaboli inventum ».

[50] Nam solam fidem habebant causam justificationis. Vol. 3. n. 287 et 450.

[51] LUTHERUS, KEMNITIUS, CALVINUS apud *Bellarm.* De Euch. IV c. 17.

[52] DE AUGUST. *De Sacr.* I p. 2 a. 1 p. 613.

[53] CONC. TRID. sess. 13 et 21.

[54] HERGENR. VI p. 473.

[55] DENZING. n. 1180.

[56] DECR. S. C. C. *20 Dec.* 1905.

[57] DENZING. n. 1392. **NB.** Hoc et sæquenti sæculo de transsubstantiationis *modo* disputarunt etiam catholici, sed de his infra dicemus.

[58] PIUS VI Const. *Auct. Fidei* pr. 29.

[59] MAIGNAN, SAGUENS, PERRIMEZZI, etc. apud *Pesch* n. 701; apud *Tepe* n. 279.

[60] TONGIORGI apud *Pesch* n. 702.

panis et vini commixta erat, sensibiliter resistat in eodem spatio, quemadmodum prius resistebat corpus » [61]. Horum sententia, etsi ab Ecclesia expresse non sit damnata, proscripta tamen videtur in *Conc. Trid.* cum docuit transsubstantiatione, substantiâ conversâ, manere accidentia [62]; Scholasticæ vero instauratione a Leone XIII peracta [63], oblivioni est data. — Eodem sæculo magis errarunt ROSMINI et MARIAVITÆ, ille Communionem tribuens defunctis qui sine Eucharistia de hoc mundo in justitia exierunt [64], hi communionem facientes de necessitate salutis et medium pro remissione peccatorum [65]: Rosmini damnatus est a *Leone XIII,* [66] Mariavitæ sunt proscripti a *Pio X* [67]. **Sæc. 20** MODERNISTÆ non solum diligenter *silent* de reali præsentia [68], atque negant hujusmodi veritatem *probari* ex Scriptura, eo quod, ajunt, non constat de historicitate facti institutionis [69] et de sensu testimoniorum quæ adducuntur [70], sed expresse docent *evolutionem* hujus dogmatis, quod a primordiali et abstracta commemoratione Christi absentis, ad concretam ejus præsentiam pervenit [71]; proscripti sunt a *Pio X* documentis sæpius citatis.

ART. 2. - DE REALI CHRISTI PRÆSENTIA.

149. **Errores - Veritas.** Ut taceamus de DOCETIS et MANICHÆIS qui indirecte negarunt Christi præsentiam, præeuntibus SCOTO Erigena, BERENGARIO, et CATHARIS (Albigensibus), directe eam impetiti sunt REFORMATORES, quorum alii (ŒCOLAMPADIUS) Eucharistiam habuerunt uti *medium* ad excitandam fidem de Christo, alii uti ejus *figuram* (ZWINGLIUS) vel *virtutem* (CALVINUS). Nostris diebus MODERNISTÆ blasphemarunt primis Ecclesiæ temporibus Eucharistiam fuisse ritum solius commemorationis Christi, qui trasfiguratione fidei transiit in doctrinam de reali ejus præsentia [1]. **Veritas** pro-

---

61 PALMIERI apud *Pesch* n. 703.

62 CONC. TRID. sess. 13 cn. 2.

63 LEO XIII Enc. *Æter. Patris* a. 1879.

64 « Dicendum est his, qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi, subministrari hunc cœlestem cibum in futura vita, ipso mortis instanti. — Hinc etiam Sanctis V. T. potuit Christus, descendens ad inferos, seipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ad visionem Dei ». DECR. *Post Obit.* S. U. I. 14 Decem. 1887.

65 P. A. PALMIERI O. S. A. in *Osserv. Catt.* 20 Marzo 1910; *Scuola Catt.* Magg. 1911.

66 LEO XIII Decr. *Post. Obit.*

67 PIUS X Decr. *S. C. I.* 4 sept. 1906; Enc. *Tribus. circiter.*

68 CERASOLI in *Armon.* 26 Sett. 1906.

69 DECRET. *Lament.* pr. 45.

70 BILLOT *De insp. S. Script.* p. 159-9.

71 LOISY *Autour* etc. p. 237-41.

1 Supra n. 148.

ponitur in CONC. TRID. « S. q. negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri *vere, realiter* et *substantialiter* corpus, et sanguinem una cum anima, et divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in *signo,* vel *figura,* aut *virtute;* a. s. » [2].

THES. 24. *Realis præsentia Christi in Eucharistia constat ex capite sexto Joannis.*

150. **Testimonium** est integrum caput [3], speciatim vero comma: *Caro mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo* [4]. **Argum.** Recitata verba sive considerentur *in se,* sive *in contextu* capitis, sive *in circumstantiis,* in quibus sunt prolata, continent promissionem de vera manducatione corporis Christi et de vero potu sanguinis ejus: atqui, negata reali præsentia Christi in Eucharistia, illa promissio evacuatur: ergo. **Minor** est manifesta, nam repugnat Christum promissis non stetisse, vel christianos oblivioni dedisse præceptum sub damnationis pœna omnibus impositum; si autem Christus non adest sub speciebus eucharisticis, christiani carnem ejus non manducant et sanguinem ejus non bibunt. **Major probatur** *per partes.* — *a*) EX VERBIS IN SE INSPECTIS. α) Nam verba Scripturæ in sensu proprio maxime sunt sumenda, cum, sic accepta, exhibent mysterium fidei vel sacramentum [5]: atqui prædicta verba in sensu proprio exhibent altissimam doctrinam ordinis supernaturalis, seu mysterium fidei et sacramentum, ut per se patet: ergo. β) Nam cum quorumdam dictorum sensus metaphoricus est firmatus usu, non licet eadem dicta alio metaphorico sensu usurpare: atqui in Scripturis *manducare carnem* [6] sensu metaphorico est aliquem calumniis odioque proscindere, *bibere sanguinem* [7] est bibere aquam cum periculo vitæ haustam,

---

[2] CONC. TRID. Sess. 13 cn. 1.

[3] Primam partem sermonis (v. 35-47) KNAB. in *h. l.* et FRANZ. *th. 3* explicant de manducatione fidei; sed cum CORLUY *Spicil.;* DE AUGUST. a. 2; BILLOT *th. 28;* TEPE IV n. 203 sqq. integrum caput intelligimus de Eucharistia. Vers. 35-47 agitur quidem de *fide* in Christum, sed prouti est necessaria dispositio ad Eucharistiam, cujus intuitu ab exordio sermonis (cum effertur *propositio* demonstranda) Christus vocatus *panis.*

[4] Joan. **6**. 56-7.

[5] Supra n. 27 not. 25.

[6] Job **19**. 22; Ps. **26**. 2.

[7] 2 Reg. **23**. 17; 1 Paral. **11**. 19.

sanguine vero *inebriare* et *cibare carnibus*[8] dicitur de cruenta in hostes ultione[9]: ergo si Christus metaphorice locutus esset de manducatione suæ carnis et de potu sui sanguinis, non præcepisset memoriam sui, sed sui occisionem vel profanationem, quod profecto repugnat. γ) Nam in testimonio allato *manducatio carnis* distinguitur a *potu sanguinis*, siquidem uniuntur part. *et:* atqui si verba intelliguntur metaphorice de commemoratione Christi, *manducare carnem* et *bibere sanguinem* idem omnino dicunt, scil. commemorationem Christi[10]: ergo. δ) Nam part. *vere* proprietatem locutionis signat: atqui proprietas locutionis metaphoram excludit[11]: ergo. — *b*) Ex CONTEXTU. Nam α) Christus non veluti *incidenter* loquitur de manducatione sui corporis et de potu sui sanguinis, sed *nominibus* et *verbis* multoties *repetitis*[12]: atqui repetitio proprietatem locutionis subaudit, ut constat ex communi usu: ergo. β) Nam sui manducationem Christus fecit *præceptum*, imo *medium salutis*[13]: atqui nemo verbis ambiguis et obscuris metaphoris enuntiat præceptum, cujus sanctio est vita vel mors:

---

[8] Isai. **49**. 26.

[9] KNAB. in *Joan.* p. 235.

[10] Scil. sub alterutra specie excitaretur fides in *Salvatorem*. — **NB.** Hoc argumentum specialem confirmationem habet ex Apostolo 1 Corinth. **11**. 27, qui reum *corporis* ET *sanguinis* Domini dicit indigne manducantem corpus *vel* bibentem sanguinem ejus; « etenim corporis *et* sanguinis Domini violati aut indigne tractati reus dici non potest is, qui solam figuram aut merum symbolum corporis et sanguinis Domini indigne tractat. Num forte is, qui imaginem imperatoris indigne tractat, in corpus et sanguinem imperatoris peccare dicitur, aut *ejusdem* criminis reus et *eadem* pœna dignus habetur, ac si ipsi personæ imperatoris eamdem injuriam intulisset? Aut si *duæ* sunt statuæ, una imperatoris, altera imperatricis, num contra utramque peccat qui unam solam lædit? » CORNELY in 1 *Corinth.* p. 347.

[11] Meliores codices græci repetunt ἀληθής ut sensus sit: « *vere* est manducanda caro, cum sit *verus* cibus, non opinatus, non imaginarius, non fictus, neque qui solum improprie ita vocetur, sed qui revera et proprie id sit quod nomine panditur ». KNAB. in *h. l.* p. 235. — **NB.** Verum equidem est adv. vel adject. *veritatis* aliquando non excludere sensum metaphoricum, ut cum Christus ad removendam notionem *labruscæ* se dixit *vitim veram;* sed hoc tantummodo licet cum sensus metaphoricus tam est manifestus, ut de proprio suspicari nequeat.

[12] Revera Christus septies (v. 48, 50, 51, 52, 59) se vocat *panem*, et septies (50, 52, 54, 55, 57, 58, 59) rem *manducandam*, sæpe vero ingeminat promissiones et comminationes (50-9).

[13] *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* v. 54. — Quo sensu Eucharistia sit de necessitate *medii* infra dicetur.

ergo. γ) Nam suam carnem Christus proponit uti *victimam sacrificii* [14]: atqui victima revocat epulas sacrificales in quibus caro vere manducatur: ergo. δ) Nam Christus assumit et confirmat verba Judæorum [15] qui de reali manducatione loquebantur: atqui vetitum est in responsione ad propositam quæstionem sensum verborum mutare: ergo. ε) Tandem Christus manducationem mannæ, in exemplum Eucharistiæ adducit [16]: atqui in deserto hebræi non metaphorice sed vere manducaverunt manna: ergo christiani vere manducare debent Christum. — *c*) EX CIRCUMSTANTIIS. Nam *Salvator* mundi apostasiam discipulorum et maxime Apostolorum ex præpostera intellectione verborum suorum nullatenus tolerare poterat; *Magister* vero Apostolis, quibus datum erat *nosse mysteria regni cælorum* [17], parabolæ sensum, si de metaphora actum esset, aperuisset: atqui Christus *apostasiam* actualem discipulorum [18], et hypotheticam Apostolorum [19] sustinuit, potius quam *metaphoricum sensum* verborum suorum pandere, et *possibilitatem* atque *utilitatem* manducationis suæ carnis docens [20], veritatem hujus manducationis confirmavit: ergo.

---

[14] *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (v. 52), « i. e. caro mea, quæ pro mundi vita datur, vel danda est (cf. **11**. 51-2); proin jam carnem suam iri oblatam in sacrificium insinuat (nam *dare pro aliquo,* ut videbimus, est *sacrificare)* et hanc carnem, quæ datur pro mundi vita, se daturum nobis in cibum promittit ». KNAB. p. 232.

[15] Revera quia « litigabant Judæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis *carnem suam dare ad manducandum?* Dixit *ergo* Jesus... nisi *manducaveritis carnem* Filii hominis...: qui *manducat meam carnem...*: caro mea vere est cibus.., *qui manducat meam carnem* ». v. 53-7.

[16] *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* v. 59. Cf. 49-50.

[17] Matth. **13**. 11. Attendas etiam quomodo Joan. falsas interpretationes verborum Dei solicite removeat **2**. 19-21; **3**. 3-5; **4**. 32: **7**. 39; **8**. 57; **11**. 11; **21**. 22-3; Matth. **16**. 6.

[18] *Ex hoc multi discipulorum ejus abjerunt retro: et jam non cum illo ambulabant* v. 67. Derelictionis causam fuisse manducationem suæ carnis, non solum constat ex quæstione exorta hac de re (v. 53), sed ex verbis *durus est hic sermo* (v. 61); « i. e. asper laboriosus... captu difficilis, infirmitatem illorum superans, terrore plenus » (CHRYS. in *Joan.* hom. 47). Si verba intellexisset de manducatione *fidei*, seu de confessione suæ divinitatis, Christum non dereliquissent, sed vel credidissent in eum (Joan. **8**. 28-30; **9**. 35-8), vel, uti in blasphemum (Matth. **26**. 63-5; Luc. **5**. 18; Joan. **10**. 33-6), insurrexissent lapidantes (Joan. **7**. 30; **10**. 33-9).

[19] *Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire?* v, 68.

[20] *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam: verba, quæ ego locutus*

THES. 25. *Christi vera præsentia in Ss. Sacramento evincitur verbis institutionis, quæ prostant in Matth.* **26**, *Marc.* **14**, *Luc.* **22**, 1. *Corinth.* **11.**

151. **Argumentum.** Si verba *hoc est corpus meum* et *hic est sanguis meus,* sumuntur in sensu obvio et proprio, aperte docent sub speciebus panis et vini esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem Domini: atqui sensus iste est omnino retinendus *a*) ex subjecta materia, *b*) ex textu et *c*) contextu, necnon *d*) ex repugnantia sensus metaphorici: ergo. **Prob. major.** Nam verbum *est* identitatem manifestat (in propositione speculativa) vel facit (in practica) inter subjectum et prædicatum: ergo si propositio est vera, cum est prolata, illud debet inveniri in subjecto quod enuntiatur in prædicato: atqui prædicatum *(corpus meum)* enuntiat substantiam corporis Christi: ergo, prolatis verbis, in subjecto *(hoc),* seu sub speciebus [21], continetur substantia corporis Christi. **Prob. minor.** *a*) EX SUBJECTA MATERIA; siquidem verba in sensu proprio exhibent sacramentum N. L., et vidimus in materia fidei sensum proprium et obvium esse retinendum. — *b*) EX TEXTU. Nam α) sensus improprius et metaphoricus habet locum quando verba metaphorice *solent* adhiberi [22], vel cum loquens hujusmodi sensum *declarat* explicando similitudinem [23]: atqui verba nostri testimonii metaphorice

---

sum vobis, spiritus et vita sunt. v. 64. Scil. vos non videtis nisi *hominem* cujus manducatio certe non juvat *(caro non prodest quidquam),* imo nec licet; at caro mea non est sola caro, sed est caro conjuncta *Spiritui* (h. e. divinitati), ex quo habet ut operetur et vivificet. CYRIL., AUG., THOM., BED., RUP. apud *Knab.* in h. l.

21 « Pronomen *hoc* neque determinat *terminum ad quem* transsubtantiationis determinate, quia jam significatio locutionis præsupponeret entitatem rei significatæ, et non esset causa ejus; neque iterum demonstrat *terminum a quo* determinate, quia ejus significatio impediret veritatem significationis totius locutionis, cum terminus a quo non remaneat in ultimo instanti locutionis. *Relinquitur ergo quod demonstret hoc quod est commune utrique termino indeterminate.* Sicut autem in formalibus mutationibus commune utrique termino est subjectum vel materia; distinguuntur autem termini per formas accidentales vel substantiales; ita in transsubstantiatione communia sunt accidentia sensibilia, quæ remanent; diversitas autem est subjecti. Unde sensus est: *Hoc contentum sub his speciebus, est corpus meum* ». S. THOM. *IV Dist.* 8 q. 2 a. 1 q. 4 ad 1; 3 p. q. 78 a. 5.

22 Sic notâ synecdoche *calix* dicitur de vino in eo contento.

23 Sic cum Christus dixerit se *vitem,* sensum metaphoricum vocis pandit vocando Patrem *agricolam* et nos *palmites,* applicationem vero similitudinis inducit particula *sicut.*

non solent adhiberi, et Christus de similitudine penitus siluit: ergo. β) Nam cum res assumitur in figuram alterius, non accipitur in *individuo*, sed in *genere*[24]: unde Petrus non dicitur *hic leo*, vel Christus *hæc vitis*, sed Petrus dicitur *leo* et Christus *vitis*: atqui in nostro testimonio non minus subjectum propositionis *(hoc)* quam prædicatum *(corpus meum)* sunt maxime determitata et individua: ergo. γ) Nam repetitio articulorum, cum instantiam loquentis exhibeant, sunt signa proprietatis locutionis: atqui Christus juxta tex. græc. articulos repetit, ut sensus sit: « Hoc quod do manducandum est *ipsum* corpus meum, *ipsum* quod pro vobis datur: id quod porrigo bibendum est *ipse* sanguis meus, *ipse* N. T., *ipse* qui pro vobis effunditur »[25]: ergo. — *c*) EX CONTEXTU. α) *Ex solemnitate præparationis et institutionis.* Nam Christus, intuitu Ss. Eucharistiæ instituendæ, voluit cœnaculum magnum stratum[26], lavit pedes discipulorum[27], eorumque fidem excitavit[28]; cum vero ad actum institutionis venerit, *gratias egit* et panem ac vinum *benedixit*[29], sicut facere solebat ante magna miracula[30], *mortem* insuper suam et *N. T.* commemoravit[31], *præcipiens* ut, quod ipse facerat, Apostoli renovarent in sui memoriam usque *in finem mundi*[32]. Si post hæc Omnipotens non dedisset nisi signum obscurum sui corporis, certe repetendum foret illud Horatii: « Parturient montes et nascetur ridiculus mus ». β) *Ex circumstantia temporis:* nam Christus instituit Eucharistiam *in qua nocte tradebatur*[33], *sciens quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*[34]: ergo Eucharistia est testamentum Salvatoris, maximum donum quod dives in omnes qui invocant illum, morti proximus reliquit suis amicis in dilectionis signum[35]: atqui in testamentum vel instrumentum donationis obs-

---

[24] *In individuo* aliquid sumitur figuraliter (cf. Dan. **4**. 17; Gen. **41**. 26) tantum « in interpretatione allegoriarum, vel visionum, vel factorum quæ scimus fuisse a Deo disposita ut essent umbræ futurorum; nam alias locutio foret omnino innaturalis, et præter communes humani sermonis regulas ». BILLOT *l. c.* p. 346.

[25] BOSSUET apud *Billot* p. 347,

[26] Luc. **22**. 12.

[27] Revoca Christum humilitatis actu baptismi materiam in Jordane consecrasse.

[28] Joan. **13**. 1-31.

[29] Matth. **26**. 26-8.

[30] Joan. **6**. 11; **11**. 41.

[31] Luc. **22**. 19-20.

[32] 1 Corinth. **11**. 26.

[33] 1 Corinth. **11**. 23.

[34] Joan. **13**. 1.

[35] *Cum dilexisset suos..., in finem dilexit eos.* Joan. *l. c.*

curæ metaphoræ non cadunt, nec ambiguis verbis ludit morti proximus : ergo. γ) *Ex circumstantia personarum.* Non enim alloquens superbos pharisæos vel turbas Christus dixit *h. e. c. m.*, sed coram Apostolis, quibus datum erat nosse mysteria Regni cœlorum[36]; quosque ideo vocabat amicos, quia omnia quæcumque audierat a Patre nota eis fecerat[37]; quibus tam clare et aperte in illa nocte exponebat mysteria fidei, ut responderent ei: *Ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis*[38]; qui, simplices et tardi ingenii[39], post innumera miracula quæ propriis oculis conspexerant, post prophetias quas tunc audiebant, ut cum facta essent crederent[40], post confessionem divinitatis Christi prius elicitam[41] et tunc expresse ab eis requisitam[42], certe in suspicionem metaphoræ venire non poterant. Si coram his auditoribus, in supra enumeratis circumstantiis, Christus obscurissimas metaphoras protulisset, in necessarium errorem eos induxisset, quos aliorum magistros constituebat; quod absit. — *d*) EX REPUGNANTIA SENSUS METAPHORICI, qui in nostro testimonio neque in *subjecto,* neque in *verbo,* neque in *prædicato* locum habere potest. α) *Non in subjecto,* quia si panis et vinum essent figura corporis et sanguinis Christi pronomen *hoc* supponeret[43] pro substantia panis, cum qua in genere conveniret, dum e contra in latino, non minus quam in græco, non concordat, siquidem τοῦτο *(hoc)* est generis neutri, panis vero masculini. *Hoc* itaque non significat *panem*, sed *contentum sub speciebus panis;* res autem confuse expressa et invisibilis non potest assumi pro imagine vel figura rei sensibilis, cujusmodi est corpus et sanguis Christi. β) *Non in verbo,* quia verbum *esse* « nullo modo ita detorquere licet ut *præfigurandi* sensus ei attribuatur »[44], sed si quæ adest improprietas locutionis in subjecto, vel in prædicato est quærenda. γ) *Non in prædicato,* quia prædicatum distinguit inter *corpus* et *sanguinem* quod in apprehensionem fidei non cadit[45], et quia prædicatum exhibet notionem sacrificii præsentis[46]

---

36 Matth. **13**. 11.
37 Joan. **15**. 15.
38 Joan. **16**. 29.
39 Matth. **15**. 26.
40 Joan. **14**. 29.
41 Matth. **16**. 16.
42 Joan. **14**. 8-12.
43 H. e. locum tenere seu directe respicere.
44 CORNELY in 1 *Corinth.* p. 275 et 339
45 Cf. supra notam 10.
46 Apud Luc. **22**. 19-20 legimus: *corpus quod pro vobis datur calix... in sanguine meo, qui effunditur.*

quod extra sacramentum non contingebat in corpore et sanguine Christi.

THES. 26. *Realem Christi præsentiam sub speciebus* — 1 *multimode testantur Patres* — 2 *etiam antiquissimi.*

152. **Prima pars.** *Patres realem Christi præsentiam testati sunt* a) *apertis verbis,* b) *rationibus et* c) *exemplis adductis,* d) *inde hæreses impugnando, et* — e) *metaphoricum sensum excludendo.* — *a*) APERTIS VERBIS, nam dicunt sacerdotes conficere *corpus quod de Virgine natum est*[47], et « in calice sanguinem esse *qui de latere fluxit* »[48]; « *non simile* aut æquale, sed proprie et *vere ipsum* esse divinum *corpus,* quod in divina mensa sacrificatur »[49]: unde concludunt quod Christus suam « *ipsam carnem nobis manducandam* ad salutem dedit »[50], « non solum per dilectionem, sed etiam *secundum rem ipsam* »[51]. — *b*) RATIONIBUS ADDUCTIS, nam Christi præsentiam explicant *veritate affirmationis Christi, transsubstantiatione* et *virtute Spiritus S.,* quæ quidem rationes omnino independentes sunt a sensu figurali qui, fundatus in analogia rerum, ab auctoritate vel virtute utentium præscindit. Porro ad *auctoritatem Christi,* ut ejus præsentiam sub speciebus evincat, recurrit CYRIL. Hier. dicens: « Cum ipse (Christus) pronuntiaverit et dixerit de pane *h. e. c. m.*, quis audebit deinceps ambigere?... Sunt corpus et sanguis Christi secundum Domini asseverationem »[52]. *Transsubstantiationem* affirmant Patres quos infra dabimus[53]. *Ex virtute Spiritus S.* Christi præsentiam probat EPHREM: « De pane facere

---

[47] BASIL. *Epist.* 63.

[48] HILAR. *De Trinit.* VIII n. 13; AUG. apud *Caillau* serm. 3 n. 9.

[49] CÆS. Arel. *Gal.* Bibl. VI p. 126; EPIPH. *Anc.* n. 57; AMBR. *De Myst.* c. 8 et 9; *De Sacram.* IV c. 4 n. 14; AUG. *C. Faust.* XII c. 10; in *Ps.* **33**. n. 10; in *Joan.* tr. 47 n. 2; ISAAC MAGNUS Bibl. orient. *Assem.* I p. 120; JACOB. Sarug. *De Passione* serm. 66. etc.

[50] AUG. in *Ps.* **98**. n. 9; **125**. n. 9; in *Joan.* tr. 26 n. 13 sqq.; EPHREM *Bibl. Assem.* I p. 97; M. MAGNES *Galland* Bibl. III p. 541: HIL. *De Trinit.* VIII n. 13-7; CYRIL. Hier. *Catech.* 4 n. 4; CYRIL. Alex. in *Joan.* III c. 6; LEO M. *epist.* 59 c. 2; *serm.* 91 c. 3.

[51] CHRYS. in *Joan.* hom. 45 n. 3. « Ne judices, inquit CYRIL. Hier. *Catech.* IV n. 5, rem ex gusto, sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto et corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse ».

[52] CYRIL. Hier. *Catech.* IV n. 4; GAUDENT. in *Exod.* serm. 2; JACOB Sarug. *De Pass.* serm. 66.

[53] Cf. thes. 28.

corpus non potest sacerdos, sed alius, qui est Spiritus S. »[54]: et DAMASC.: « Interrogas quomodo panis fit corpus Christi, atque vinum et aqua sanguis Christi?... Spiritus S. supervenit et efficit hæc, quæ rationem et mentis conceptum superant »[55]. — *c*) EXEMPLIS, nam comparant *serpenti* in quem virga Moysis est conversa[56], *vino* quod ex aqua ad nuptias in Cana factum est[57], *pani* qui de terra producitur[58], *mundo* qui verbo Domini est creatus[59]: atqui hæc non symbolice sed vere facta sunt: ergo. — *d*) Ex eucharistica præsentia Christi Patres IMPUGNASSE HÆRESES vidimus in historia dogmatis; agere vero de *reali præsentia*, non solum inde constat quod meris analogiis dogmata non probantur, sed quia argumenta sumebant ab *efficacia* Eucharistiæ, et a *virtute* ejus qui transsubstantiationem operatur. — *e*) METAPHORICUM tandem SENSUM expresse respuunt MACAR. MAGNES et MARUTHA: ille enim ait: « Dixit Christus h. e. c. m., *non* enim *figura corporis* est, neque *figura sanguinis*, ut quidam stupida mente nugati sunt, sed *secundum veritatem* sanguis et corpus Christi »[60]; hic vero: « Christus illud (quod manibus gestabat) *non* appellavit *typum* aut *figuram*, sed *vere* h. e. c. m. »[61]. **Confirmatur** ex antiquis Liturgiis quæ fidem explicitam in realem Christi præsentiam sub speciebus requirebant a fidelibus. In Liturg. *S. Marci* sacerdos ter dicit: « Corpus et sanguis Emmanuelis nostri *hoc est vere*, amen », atque subjungit: « credo, credo, credo, et confiteor usque ad ultimum spiritum, quod sit *ipsa caro vivifica Unigeniti Filii tui*, Domini Dei et S. N. J. C. »[62]. Similia habent liturgiæ *S. Jacobi* (qua utuntur *Monophysitæ*), *Mozarabica*, *Chrysostomi*, *Æthiopum*, *Basilii* et *Dionysii*, necnon sacramentarium *Gelasii* et perantiqua missalia *Ambrosianum* et *Gothicum*[63].

153. **Secunda pars.** *Etiam Patres priorum trium sæculorum*

---

[54] EPHREM in *Ezech.* c. 10.

[55] DAMASC. *De fide orthod.* IV c. 13; CHRYS. Hom. *De cœn.* n. 3; ISID. Pelus. epist. 109 ad *Marathonem.*

[56] AMBR. *De Myst.* c. 9, ubi adducit etiam exemplum Eliæ, qui sermone ignem de cœlo deposuit.

[57] CYRIL. Hier. *Catech.* IV n. 4.

[58] GAUD. Brix. in *Exod.* serm. 2.

[59] AMBR. *De Myst.* c. 8-9; DAMASC. *De fide orth.* IV c. 13.

[60] MAC. MAGNES apud *Pitra* Spicil. II p. 548.

[61] MARUTHA in *Bibl. Assem.* I p. 179; CYRIL. Alex. in *Matth.* **26**. 27; HIER. in Tit. **1**. 8; ANAST. Sinaita in *Hogedo* c. 23; DAMASC. *De fide orth.* IV c. 13.

[62] Cf. BIBL. ASSEM. *Cod. lit.* t. 4 p. 4 p. 78 et 128.

[63] Cf. FRANZ. p. 119 sqq.; DE AUGUST. p. 514-18; BILLOT th. 38 p. 352-6.

realem Christi præsentiam in Eucharistia agnoverunt. Prætermisso testimonio S. Andreæ [64], de cujus authentia dubitatur [65], sub initio sæc. 2 IGNAT. M. († 107), Philadelphenos sic exhortatur ad unitatem fidei: « Studeatis una Eucharistia uti; una enim est *caro* D. N. J. C. et unus calix in unitatem *sanguinis* ipsius, unum altare, sicut unus episcopus, etc. » [66]; damnat autem Docetas quia « ab Eucharistia abstinent... eo quod non confiteantur Eucharistiam *carnem esse* S. N. J. C. » [67]. JUST. M. († 165) ait: « Quemadmodum per verbum Dei caro factus est J. C. S. N..., ita etiam illam alimoniam... edocti sumus *esse incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem,* postquam ea per preces, verba ejus continentes, facta est Eucharistia » [68]. ABERCIUS ep. Hierop. (sæc. 2) in celebri stela testatur quod in itineribus sibi « fides... præbuit ubique cibum *piscem e fonte (Christum)* ingentem, purum quem prehendit virgo illibata (B. V. M.) deditque amicis *perpetuo* edendum, *vinum* optimum habens, ministrans mixtum (vinum aqua mixtum) cum *pane* » [69]. IREN. († 202), impugnans Gnosticos negantes creationem materiæ et resurrectionem, ait: « Quomodo constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt (h. e. consecratum), *corpus esse Domini* sui, et calicem *sanguinis ejus,* si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant?... Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quæ *corpore Domini* et *sanguine* alitur? » [70]. HIPPOL. († 230) explicans verba *Sapientia ædificavit sibi domum,* scribit: « Paravit mensam promissam Ss. Trinitatis cognitionem *necnon* venerandum sanctumque ejus corpus et sanguinem, quæ in arcana mensa quotidie perficiuntur et sacrificantur » [71]. TERTUL. († 245) docet quod « caro *corpore Christi* et *sanguine vescitur,* ut anima Deo saginetur » [72]. ORIG. († 254) distinguit inter spiritualem manducationem Christi per receptionem sermonum

---

[64] Reperitur in actibus martyrii, quæ narrant eum respondisse tyranno: « Immaculatum agnum (Christum) quotidie in altari omnipotenti Deo offero, *cujus carnes* postquam fidelis populus *comedit* et *sanguinem ejus bibit,* immaculatus agnus integer manet et vivus ».

[65] G. RAUSCHEN *Manuale di patrologia* § 4 p. 24, forte nimis rigide, tribuit sæc. 5.

[66] IGNAT. M. Epist. ad *Philad.* n. 4.

[67] IGNAT. M. Epist. ad *Smyr.* n. 7.

[68] JUST. M. *Apol.* I n 66.

[69] De hoc celebri testimonio vide P. SYXT. *Arch.* II p. 2 p. 197 sqq.

[70] IREN. *Adv. hær.* IV c. 18; I c. 13; V c. 2.

[71] HIPPOL. *Migne* P. G. X c. 627.

[72] TERTUL. *De resur. carn.* c. 8; *De Idolol.* c. 7; *C. Marc.* IV c. 40.

ejus, et aliam quæ sacramento peragitur [73], sicut inter *enigma* seu figuram Christi, quæ fuit manna, et Eucharistiam qua « nunc in specie [74] *caro Verbi Dei* est *verus cibus* » [75], docetque panes oblatos « propter orationem *fieri corpus* quoddam sanctum, quod sano proposito manducantibus sanctitatem largitur » [76]. CYPR. († 258) sacrilegos sic objurgat: « *Domini corpus invadunt...* vim inferunt corpori ejus et sanguini, et plus modo *in Deum manibus atque ore* delinquunt, quam cum Dominum negaverunt » [77]. DIONYS. Alex. († 264) laudat senem lapsum qui morti proximus enixis præcibus eucharistiam obtinuit [78]. **Confirmatur** documentis *archæologiæ*, et testimonio *hæreticorum* atque *ethnicorum*. Nam, ut vidimus, in CATACUMBIS realis præsentiæ Christi sub speciebus adsunt plura symbola inter quæ celeberrimum est canistrum superpositum magno pisci continensque panem et vinum [79]. ANTIQUOS HÆRETICOS realem præsentiam Christi sub speciebus credidisse, constat ex omnium sectarum perpetuo consensu [80], siquidem e sectis quædam sæc. 5 ab Ecclesia sunt separatæ: item ex modo quo Patres eos insectati sunt, non enim poterant ex reali præsentia quoslibet hæreticos ad fidem revocare [81], si hæc doctrina ab eis non esset recepta. Accedit tandem testimonium ETHNICORUM qui christianos non accu-

---

[73] ORIG. in *Num.* hom. 16.

[74] Dicitur in *specie*, quia Christi præsentia occultatur speciebus panis et vini.

[75] ORIG. In *Num.* hom. 7.

[76] ORIG. *C. Celsum* VIII n. 33: in *Exod.* hom. 13; in *Lev.* hom. 10 n. 10.

[77] CYPR. *De Lapsis* n. 15.

[78] HERGENR. I 273-4. **NB.** Relatos Patres sic chronologice ordinantur. **Sæc. 2** *Ignat. M., Just. M., Abercius* Hierop., *Iren.;* **Sæc. 3** *Hipp., Clem.* Alex., *Firmic.* Mater., *Tertul., Orig., Cypr., Macar.* Magn., *Dionys.* Alex.; **Sæc. 4** *Isaac* Magn., *Hilar., Basil., Cyril.* Hier., *Ambros., Ephrem:* **Sæc. 5** *Epiph., Greg.* Nyss., *Gaud.* Brix., *Chrys., Hier., Aug., Isid.* Pelus., *Cyril.* Alex., *Theod., Leo M., Marutha;* **Sæc. 6** *Cæs.* Arelat., *Joan.* Sarug., *Anast.* Sinaita; **Sæc. 7** *Isid.* Hisp.; **Sæc. 8** *Damasc.* Adde etiam EUSEB. Emis. adducendum cum de transsubstantiatione agemus.

[79] Vide append. et supra n. 147.

[80] E *Monophysitis* FRANZ. p. 118-9 citat XENAJAM Mabugensem (sæc. 6) et JOAN. Darensem (sæc. 8); PESCH vero n. 648 refert testimonium ELIÆ DAMASCENI pro *Nestorianis*, JEREMIÆ patriar. Cp., GABR. Philadelph., GREG. Hier. pro *Græcis schismaticis*, et cujusdam patriarcæ armeni pro *Armenis*. Ceterum LANFRANC. *(De corp. et sang. Dom.* c. 22) sic Berengarium interpellabat: « Interroga universos, qui *Latinæ* linguæ nostrarumve litterarum notitiam perceperunt: interroga *Græcos, Armenos,* seu cujuslibet nationis *christianos quoscumque homines;* uno ore hanc fidem se testantur habere ».

[81] Supra n. 148.

sassent quod in secretis conventibus pueros occiderent ad eorum carnem manducandam et sanguinem bibendum, si doctrina de reali præsentia calumniandi occasionem non præbuisset.

THES. 27. *Realis præsentia Christi in Ss. Sacramento* — 1 *miraculis quoque probatur, et* — 2 *suadetur congruentiis rationis.*

154. **Prima pars.** *Christi præsentia probatur miraculis.* Nam Christus pluries in Eucharistia apparuit sub specie infantis; sæpe de speciebus panis effluxit sanguis, quem Urbeveteri effigiem capitis Christi spinis coronati assumpsisse hodiedum conspicitur [82]; alias, vividis emissis radiis, salutaris hostia lumen solis vicit: aquam, ignem, plantas, pisces, quadrupeda et volatilia, uno verbo integram naturam proprio auctori, sub speciebus abscondito, dedisse testimonium omnes audivimus: Apostolus infirmitates ac præmaturas mortes pœnas esse indignæ sumptionis corporis et sanguinis Domini docuit [83], atque sanitatem aliquando Eucharistia obtineri, miracula, quæ Lapurdii patrantur, cum Ss. Sacramentum solemniter circumfertur et populus benedicitur, evincunt. Jamvero veritatem *historicam* horum miraculorum testes non suspecti [84] comprobant; *philosophicam* præternaturalitas factorum, quæ contra

---

[82] In eucharisticis apparitionibus Christi distingue veritatem *miraculi* a veritate *facti:* sicut enim Raphaël *vere* comitatus est Tobiam, quamvis *videretur tantum* manducare et bibere (Tob. **12**. 19); ita *vera* est apparitio Christi, licet *æquivalenter tantum videatur* et non in propria specie. Christum *saltem ordinarie* non apparere in propria specie, vel inde constat quod nec infans est, nec patiens, nec sanguinem effundens, quemadmodum solet videri. « Dicendum, inquit S. THOM. *IV Dist.* 10 q. 1 a. 4 s. 2 ad 2, quod (his apparitionibus) ædificatur fides et excitatur devotio; quia illa accidentia sunt *similia omnino accidentibus carnis Christi veræ,* quod non erat de accidentibus panis; quamvis non sint ipsamet accidentia corporis Christi ». — Quod vero attinet ad apparitionis *modum* distingue inter apparitiones quæ a quibusdam tantum conspiciuntur, et alias quæ omnibus patent: in illis apparitio est *subjectiva* et explicatur immutatione sensuum eorum qui vident, in altera, maxime si permanens, est *objectiva* et explicatur vera immutatione specierum sacramentalium, quæ tamen ad corruptionem *quantitatis* panis et vini non pervenit; si enim quantitas cessaret, ut notat S. THOM. IV Dist. *l. c.* s. 2; 3 p. q. 76 a. 8., evacuaretur realis præsentia.

[83] 1 Corinth. **11**. 27-30.

[84] Ex antiquis videbis CYPR. *De Lapsis;* AMPHIL. in vita *S. Basilii;* J. DIACONUM in vita *S. Greg. Magni* II c. 41; P. DAMIAN. in epist. *ad Desiderium* apud DE AUGUST. *De sacramentis* I p. 518 sqq.

omnes naturæ leges evenerunt, abunde demonstrat: *relativam,* qua ad ostendendam Christi præsentiam ordinantur, plura patefaciunt, siquidem *a*) multa evenerunt catholicorum prece ad hæreticos convincendos de hac ipsa veritate, alia vero sunt patrata *b*) ad cultum Ss. Eucharistiæ promovendum, vel *c*) ad reverentiam et devotionem erga illam urgendam.

155. **Secunda pars.** *Realis Christi præsentia in Eucharistia congruit rationi.* Nam « *a*) Ad divinam *bonitatem* pertinet, ut omnibus modis se communicet. Ergo sicut conveniens fuit, ut Verbum divinitatem communicaret cum humanitate, ita conveniens est, ut totum se cum singulis hominibus reali aliquo modo communicet. *b*) Divinâ *sapientiâ* dignum fuit, velut summam donorum omnium in unum sacramentum colligere. *c*) Divina *potentia* glorificatur per summa miracula, quæ in hoc sacramento interveniunt, quod est quædam consummatio omnium operationum divinarum. *d*) Idem valet de aliis *attributis* liberalitatis, misericordiæ, imo et justitiæ, quia homo, sicut per cibum mortuus est, ita per dignum hujus cibi usum ad vitam immortalem redire debet. *e*) *Sanctitas* hominis maxime eo promovetur, quod ipsa sanctitas substantialis iis unitur. *f*) Augetur *fides* credendo hoc difficillimum mysterium. *g*) Crescit *spes,* quia Deus, postquam tantum dedit, minora non denegabit. *h*) Maxime inflammatur *caritas* tanto amore Christi proposito. *i*) Firmatur *unitas* cum proximis, quia omnes eidem mensæ cœlesti accumbimus. *j*) Extollitur *religio* christianorum, cui medium suppetit tam perfecte Deum colendi, et in qua omnes figuræ et typi veteris cultus implentur. *l*) Omnibus *necessitatibus* animæ hoc sacramentum satisfacit, quia post generationem et virile robur nil requiritur nisi alimentum, quod tam excellens hic datur! *m*) Christus est in Eucharistia humilitatis, patientiæ, omniumque virtutum exemplar » [85].

156. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Ex verbis promissionis nil evincitur, quia *manducare* et *bibere* sumi possunt metaphorice ut patet ex Eccli. [86] et ex prima parte sermonis [87]. **Resp.** Non est quæstio de verborum significatione, sed de *sensu* testimonii quem non deduximus ex verbis *manducare* et *bibere* absolute inspectis, sed ex *manducare carnem*

---

[85] PESCH n. 647 ex *Suarez.*
[86] Eccli. **24.** 29.
[87] Joan. **6.** 35.

et *bibere sanguinem,* ex adv. *vere,* ex vocum *repetitione* et maxime ex *contextu.* Quod vero attinet ad primam partem sermonis Christi, nego suppositum et paritatem. *Nego suppositum* quia Christus dixit de « Eulogia... quæ est in partecipatione sanctæ carnis ac sanguinis, quæ integrum hominem ad incorruptionem revocat, ita ut nullo eorum indigeat quæ mortem arcent a corpore, cibo nimirum et potu »[88]. *Nego paritatem,* quia in prima parte sermonis non agitur de carne et sanguine Christi, sed de ejus *origine* cœlesti, de qua etiam movetur difficultas Judæorum[89], et de *fide* in eum, ad quem nemo venit nisi Pater traxerit[90].

157. **Objic. 2.** Præposteram intellectionem verborum suorum sæpe toleravit Christus[91], nec semper Apostolorum ignorantiam illuminavit[92], manducationis vero modum, de quo maxime quærebant Capharnaitæ, non aperuit; nil ergo ex sermonis contextu et discipulorum derelictione pro reali præsentia evincitur. **Resp.** Non diximus Christum debuisse *semper* exponere verborum sensum *turbis* Judæorum, sed *Apostolis* cum agebatur de *rebus fidei* et sensus nullo rerum eventu esset explicandus. Porro sensum objectorum testimoniorum Christus Apostolis aperuit; si enim eos non docuisset, nec ipsi aliorum interpretationem improbare potuissent. Valde autem differunt manducationis *factum* et *modus;* illud enim respicit substantiam dogmatis, hic accidentalem circumstantiam; nec Christus, qui solebat paullatim cœlestia pandere[93], omnia, quæ ad Eucharistiam pertinebant, debuit ab initio explicare.

158. **Objic. 3.** Patres plurimi[94] et theologi bonæ notæ[95] de spirituali manducatione explicant testimonium Joan.: non ergo pro certo argumento potest adduci. **Resp.** « Agi de sacramento in hoc sermone utique non est de fide definita; at CONC. TRID. satis clare docet eo sensu verba partis alterius esse accipienda; nam sess. 13 cp. 2 et sess. 21 cp. 1 pro doctrina de sacramento allegantur v. 58, 54, 52, 55 »[96]: pro sententia certa ergo est habenda, et contraria, maxime si spectentur testimonia Patrum[97], temeraria æstimanda[98]. Cum Patres loquuntur de figurali

---

[88] CYRIL. Alex. in *h. l.*

[89] Joan. **6**. 41-2.

[90] Joan. **6**. 44.

[91] Matth. **15**. 11; Joan. **2**. 19-21; **21**. 22-3.

[92] Luc. **18**. 34.

[93] Sic Christus prius se manifestabat *Messiam,* dein *Deum,* Patri consubstantialem.

[94] Citari solent CLEM. Alex. *Pedag.* 1 c. 6; ORIG. in *Num.* hom. 16; BASIL. *epist.* 8 n. 4; HIER. in *h. l.*: AUG. in *Joan.* tr. 25, 26, 27; *De doct. christ.* III c. 16.

[95] CAJET., NICOL. Cusanus, JANS. Gand., TAPPER apud *Tepe* n. 203.

[96] KNAB. in *Joan.* p. 239.

[97] Fere omnes, iis non exceptis qui ab adversariis citantur. Cf. CLEM. Alex. *Pedag.* 1 c. 6; ORIG. in *Num.* hom. 7 et 16; BASIL. *epist.* 93 (alias 289); AUG. in *Joan.* tr. 26 n. 13 sqq.; tr. 27 n. 11; CYRIL. Alex. in *Joan.* IV c. 2; X n. 2; CHRYS. in *Joan.* hom. 46 n. 2-3; FULG. Epist. 12 ad *Ferrant.* n. 26; THEOPH. in *h. l.*

[98] MALDONAT. in *Joan.* **6**. 53.

manducatione, non excludunt sacramentalem, sed eidem superædificant, ut infra melius dicetur.

159. **Objic. 4.** Ex verbis *Synopticorum* et *Pauli* nil evincitur quia, uti patet ex differenti modo quo referuntur, non fuerunt a Christo prolata, sed transformatione fidei a fidelibus inventa et serius in Evangeliis introducta [99]. **Resp.** Quæ MODERNISTÆ obtrudunt de Evangeliorum origine et trasfiguratione fidei, solvimus in tr. *de Religione* [100].

160. **Objic. 5.** Non constat an Apostolus 1 Corinth. **11** loquatur de præsentia veritatis vel figuræ [101], siquidem verbum *est* in eodem Apostolo valet *significat,* secundum illud: *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus* [102]: ergo. **Resp.** Nego *paritatem, assertum* et *suppositum.* Nego PARITATEM quia verba *petra erat Christus* sunt explicativa præcedentis asserti *bibebant de spiritali petra,* unde ex contextu metaphoricum sensum prodere possunt, dum verba *h. e. c. m.* sunt absoluta, nullius testimonii explicativa. Nego ASSERTUM quia neque apud profanos, neque apud sacros scriptores verbum *est* valet *significat,* sed semper tenet officium conjungendi subjectum cum prædicato [103]. Nego SUPPOSITUM quia sensus objecti testimonii non est: « petra a a Moyse percussa *significabat* Christum »; sed: « Deus aquam miraculosam tribuens hebræis *erat* Christus », qui sicut tunc, ut Deus, dabat cibum et potum populo suo, ita nunc, ut Salvator, nutrit christianos suo corpore et sanguine [104]. Profecto *petra,* de qua loquitur Apostolus, non est saxum a Moyse percussum, sed Deus in petra materiali præsens [105], cui Moyses loquebatur [106], et qui sæpe dicitur *petra* [107].

161. **Objic. 6.** Calice consecrato, Christus dixit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illud, cum bibam vobiscum novum in regno Patris mei* [108]: atqui sanguis non est *genimen vitis:* ergo. **Resp.** Duæ sunt

---

[99] LOISY *Autour* etc. p. 237-41.

[100] Cf. Vol. 1 n. 142.

[101] Protestantibus e nostris accessit BATIFFOL *L'Eucharistie* etc.

[102] 1 Corinth. **10**. 4. ZWINGLIUS (apud *Hergenr.* VI p. 88) innitebatur Exod. **12**. 11: *Est Phase i. e. transitus Domini*: at ibi agnus non dicitur *Phase,* quia *significat* transitum Domini, sed quia hujus transitus *est sacrificium* (v. 21-2).

[103] CORNELY in *1 Corinth.* p. 275. Protestantibus objicientibus linguam aramaicam, qua locutus est Christus, non habere verbum *significare,* respondit DRACH *(Inscrip. hebraïque)* notionem metaphoræ multipliciter posse lingua aramaica reddi.

[104] « Natura petræ, aquam non emittebat, alioquin etiam antea scaturiisset; verum alia quædam petra spiritualis hoc totum faciebat, i. e. Christus, qui semper ei præsens aderat et omnia mirabiliter operabatur ». CHRYS. in *h. l.* hom. 23.

[105] Exod. **26**. 6.

[106] Num. **20**. 8.

[107] Deut. **32**. ', 15, 18; Ps. **17**. 3; **41**. 10; Isai. **17**. 20 lect. heb.

[108] Matth. **26**. 29; Marc. **14**. 25.

catholicæ sententiæ de sensu objecti tesmonii. ORIG., CYPR., CHRYS., EPIPH., HIER., AUG., BEDA, EUTYM. et THEOPH.[109] verba intelligunt de *sanguine;* recentiores interpretes post BELLAR.[110] explicant vel de *alio calice,* vel, si de eodem, *ante consecrationem,* scil. de vino quod in fine cœnæ distribuebatur a patrefamilias[111]. Argumentum recentiorum huc redit: Matth. et Marc. loquuntur de calice de quo Luc. **22.** 18: atqui Lucas juxta HIER., BEDA et THEOD. loquitur de calice non consecrato: ergo. Revera verba objecta Lucas effert de calice[112] quem Christus distribuit ante consecrationem[113], non est autem probabile quod de duobus calicibus diversis eadem dixerit[114]; quæ ergo Matth. et Marc. metathesi referunt *post* consecrationem calicis, Christus de alio calice *ante* dixerat, siquidem « probabilius est Matth. et Marc. non narrasse suo loco rem parvi momenti, quam Luc. [115] non narrasse recto ordine summum mysterium »[116]. Ceterum etiam dato quod calicem consecratum Christus dixerit *genimen vitis,* realis præsentia non periclitatur; sícut enim ex specie panis synecdoche corpus Christi dicitur *panis,* sic sanguis potest vocari vinum seu *genimen vitis.*

162. **Objic. 7.** Christus, Eucharistiam tradens, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*[117]; atqui commemoratio fit de re absenti ergo. **Resp.** In Eucharistia non commemoratur corpus et sanguis Christi, sed ejus mors[118]; annuntiatur autem *mors* reali præsentia, quia, ut videbimus in tr. de Missa, vi verborum mystice separatur sanguinis a corpore.

163. **Objic. 8.** Primi Patres nil dicunt de reali præsentia Christi sub speciebus, plures vero manducationem metaphoricam affirmant, secundum illud AUG.: « Ut quid paras dentes et ventrem? Crede, et

---

[109] ORIG. in *Matth.* tr. 30; CYPR. epist. 68 ad *Cæcil.;* EPIPH. *Hær.* 47; CHRYS. in *Matth.* hom. 83: HIER. in *Matth.* **26**.29; AUG. *Quæst. Evang.* I c. 42; BEDA, EUTYM. et THEOPH. in *h. l.*

[110] BELLARM. *De Euch.* I c. 11.

[111] LUC. Brugens. in *h. l.* Migne 22. col. 1319.

[112] *Et accepto calice gratias egit, et dixit: Accipite et dividite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Luc. **22**. 17-8.

[113] Calicem consecravit *postquam cœnavit.* v. 19-20.

[114] « Ex ultimo sententiæ membro, recte concludit *Mald.* Christum eo in versu non loqui de calice consecrato; in cœlo enim non erat bibiturus sanguinem suum, non vere, non metaphorice; vinum autem methaporice bibiturus erat, uti indicatur a Luc. **22**. 30. ». KNAB. in *Matth.* II p. 436.

[115] Attende etiam Lucam (**1**. 3) *ex ordine* voluisse evangelium scribere.

[116] BELLARM. *De Euch.* I c. 11.

[117] Luc. **22**. 19.

[118] *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis:* MORTEM *Domini annutiabitis* (gr. *annuntietis).* 1 Corinth. **11**. 26.

manducasti » [119], ergo progressui fidei debetur dogma realis præsentiæ. **Resp.** « Ad explicandas obscuriores quasdam locutiones *Patrum* imprimis *generatim* advertimus, quod Patres ex una parte ad loquendi modum ita obscurum, vel etiam ad plenum silentium tenebantur propter rigorem *disciplinæ arcani* [120]; et quod ex altera parte nullum inde pertimescebant in fidelibus oriturum periculum *(ex securitate fidei);* quia sciebant mysterium jam secretius fuisse explicatum initiatis et, nulla adhuc hæresi oborta, firmissime ab omnibus credi [121]. Quo posito, quinque *speciatim* distinctiones præ oculis haberi debent in alicujus Patrum obscurioris vel ambigui effati interpretatione. Prima est, ut in ipsa Ecclesia duo distinguantur Christi corpora: *reale* in Sacramento et *mysticum,* quod est fidelium cum Christo congregatio. Secunda est, ut in reali Christi corpore distinguatur *status* et *modus* existendi *connaturalis* uti in cœlo, a statu *sacramentali* sub speciebus sacramenti. Tertia est, ut in Sacramento *pars sensibilis* specierum distinguatur a *parte invisibili,* quæ est ipsum corpus Christi sub illis. Quarta est, ut ipsa manducatio duplex distinguatur, altera *capharnaitica* seu communis et altera *sacramentalis,* quæ iterum accipi potest *mera sine effectu,* vel *cum gratiæ effectu.* Quinta demum est ut in ipso suscipiente duplex de Jesu Christo *fruitio* distinguatur vel *præsens* in cibo eucharistico, vel *futura,* remotis eucharisticis umbris, in cœlo. Jamvero Patres, etiam ob disciplinam arcani, una vel altera supposita distinctione, facilius hinc inde in dicendo transeunt ita, ut eorum dicta obscura et contraria videantur, nisi ad eas distinctiones exigantur » [122].

ART. 3 – DE TRANSSUBSTANTIATIONE.
(CONTRA HÆRETICOS)

164. **Quid transsubstantiatio.** Significatio vocum ordinarie deducitur ex etymologia, respectu habito ad nomina similia, si quæ sunt: atqui *transsubstantiatio* est vox composita ex particula *trans* et nomine *substantia,* cujus finalis *tio* sensum particulæ refert ad notionem verbi *transferre:* ergo *transsubstantiatio* secundum

---

119 AUG. in *Joan.* tr. 25 n. 12 tr. 26 n. 12.

120 Supra n. 13 not. 23.

121 Addi potest *usus polemicus,* necnon *relatio* ad *V. T.* et ad *futuram* gloriam: ex *primo* enim est quod Patres, supposita reali præsentia, secundarios respectus aliquando in Eucharistia considerent, ex *altero* quod per catacresin Eucharistia mutuetur nomen figurarum V. T., ex *tertio* vero quod Eucharistia possit vocari typus æterni convivii.

122 SALA *Præl. theol.* De Euch. p. 1 c. 1 th. 3. corol.

etymologiam est *translatio substantiæ,* scil. actus quo una substantia transit seu mutatur in aliam; non secus ac *translocatio* est mutatio loci, *transfiguratio* mutatio figuræ, *transformatio* mutatio formæ accidentalis vel substantialis et *transentatio* foret mutatio totius entis in aliud ens. Cum itaque substantia dicatur de toto ente, exceptis tantum accidentibus, *transsubstantiatio* est « conversio totius substantiæ [1] panis in substantiam corporis C. D. N., et totius substantiæ vini in substantíam sanguinis ejus », « manentibus dumtaxat speciebus panis et vini » [2].

165. **Transsubstantiatio est conversio singularis et mirabilis** [3]. Dicitur SINGULARIS, quia omnino differt ab aliis conversionibus. Revera *a*) in aliis conversionibus est aliquod subjectum [4] quod immutatum manet in utroque termino [5], in transsubstantiatione nullum subjectum manet immutatum, sed totus terminus *a quo* transit in terminum *ad quem* [6]. *b*) In aliis mutationibus terminus *a quo* corrumpitur et terminus *ad quem* generatur; in transsubstantiatione terminus *a quo* non corrumpitur, siquidem neque materia, neque forma cessant ab esse, sed « in meliorem substantiam commutantur » [7]; terminus vero *ad quem* non generatur, quia præexistit et immutatus manet [8]. *d*) Mutationes naturales fiunt *alteratione* ac proinde successione temporis; transsubstantiatio fit *in instanti. e*) In mutationibus naturalibus prima mutatio fit in accidentibus; in transsubstantiatione accidentia manent immutata. — Hanc singularitatem sequitur ADMIRABILITAS; miramur enim quæ contingunt *præter* naturæ cursum, et transsubstantiatio est miraculum proprie dictum, siquidem « naturalis mutatio non potest pertingere usque ad variationem

---

[1] Scil. materiæ et formæ atque omnium partium integrantium.

[2] CONC. TRID. sess. 13 cp. 4; cn. 2.

[3] CONC. TRID. sess. 13 cn. 2.

[4] Scil. *natura* in mutationibus accidentalibus, et *materia prima* in substantialibus.

[5] In omni mutatione duo considerantur: illud *quod* mutatur, et illud *in quod* mutatur; primum dicitur *terminus a quo,* alterum *terminus ad quem.*

[6] « In qualibet conversione naturali, inquit S. THOM. *Cg. IV* c. 63, manet subjectum, in quo succedunt sibi diversæ formæ vel accidentales, sicut cum album in nigrum convertitur, vel substantiales, sicut quum aër in ignem; unde conversiones *formales* nominantur. Sed in conversione prædicta subjectum transit in subjectum et accidentia manent; unde hæc conversio *substantialis* nominatur ».

[7] BONAV. *IV Dist.* 11 p. 1 q. 3.

[8] « In naturalibus conversionibus, inquit S. THOM. *IV Dist.* 11 q. 1 a. 3 transmutatur et id *quod* convertitur et id *in quod* convertitur... Sed hic, illud *in quod* fit conversio erat præexistens, et non ei additur, quia, ut dictum est, illud *quod* convertitur, convertitur in ipsum, et secundum totum et secundum omnes partes ejus ».

materiæ, quia operatur ex supposita materia »[9]. Nec solum transsubstantiatio est miraculum *præter,* sed etiam *contra* naturæ cursum; est enim mutatio quæ « fit ex existente in existens præter modum aliarum mutationum, quæ fiunt etiam ex existentibus in existentia, ex quarum inspectione intellectus noster sibi suas conceptiones formavit; et ideo, hæc conversio *videtur esse contra conceptiones intellectus,* et propter hoc difficilius ei assentitur quam creationi, quæ est ex omnino non existente, cujusmodi mutationem non vidit »[10].

166. **Errores - Veritas.** Post BERENGARIUM transsubstantiationem negarunt illi REFORMATORES qui realem præsentiam fassi sunt, alii enim (LUTHERANI) exposuerunt *companatione,* qua duæ substantiæ essent consociatæ sub iisdem speciebus; alii (OSIANDER) hypostatica assumptione panis seu *impanatione;* alii (ILLYRICUS et KEMNITIUS) *communicatione divinæ præsentiæ* quæ hypostatica unione, data est corpori Christi[11]. His quadantenus accedunt qui dixerunt manere *formam* panis desinente ejus materia[12], vel manere *materiam* desinente forma[13], vel manere *naturam* desinente substantia[14], vel substantiam panis et vini conjungi Christo[15], vel denique *sine substantiarum conversione* cessare substantiam panis et vini ejusque loco præsentem fieri corpus Christi[16]. **Veritas** definita est in CONC. TRID.: « S. q. d. in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine D. N. J. C.; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem *totius substantiæ panis* in corpus, et *totius substantiæ vini* in sanguinem, manentibus *dumtaxat* speciebus panis et vini...; a. s. »[17].

THES. 28. *Sub speciebus panis et vini Christus fit præsens* TRANSSUBSTANTIATIONE *seu conversione totius substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Domini.*

---

9 S. THOM. *IV Dist.* 11 q. 1 a 3 s. 1.
10 S. THOM. *l. c.* s. 3 ad 1.
11 Supra n. 148.
12 Apud *S. Thom.* 3 p. q. 75 a. 6.
13 DURANDUS in *IV Dist.* 11 q. 1 n. 16-7.
14 RUPERT. Tuit. apud *Pesch* n. 683.
15 DECR. *Post obitum* pr. 29.
16 JANSENISTÆ apud *Denzing.* n. 1392.
17 CONC. TRID. Sess. 13 cn. 2. **NB.** PIUS VI damnavit pr. 29 *Syn. Pist.* qua suadebatur ut parochi populum *tantum* docerent: « 1 Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2 tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus ».

167. **Ex Scripturis.** Nam propositio *hoc est corpus meum* est practico-demonstrativa: atqui propositio practico-demonstrativa immutat subjectum propositionis juxta notionem prædicati: ergo consecratione substantia panis [18] mutatur secundum notionem expressam a prædicato *corpus meum:* atqui hoc prædicatum notionem exhibet substantiæ individuæ et præexistentis: ergo substantia panis secundum materiam, formam, et existentiam [19], ac proinde secundum totam substantiam [20] convertitur in corpus Christi; conversio autem totius substantiæ in aliam præexistentem nomine proprio dicitur transsubstantiatio. PROB. MAJOR. Propositionem H. E. C. M. esse *practicam,* constat ex generica notione sacramenti [21], et ex prædictis de reali præsentia, quæ hac propositione efficitur [22]; esse autem *demonstrativam* constat ex subjecto propositionis, siquidem *hoc* et pronomen demonstrativum. PROB. MINOR. Nam in propositione practica subjectum debet manere juxta sensum formalem et non juxta materialem [23]; res ergo, quæ respondet subjecto propositionis practicæ demonstrativæ, nec totaliter debet perire, ut in

---

[18] Nam initio propositionis *contentum sub speciebus panis* est substantia panis.

[19] Substantia ex forma habet *speciem,* ex materia *individuationem* (S. THOM. *De Verit.* q. 10 a. 5), ex existentia *subsistentiam* (Vol. 3 n. 85-6).

[20] Cum existentia pertineat ad rationem substantiæ, profecto est necessarium quod existentia panis, non secus ac ejus materia et forma, convertatur in Christum, sed quia transsubstantiatio non attingit partes substantiæ sub propria formali ratione, sed prout totum integrant, ideo non requiritur quod existentia panis convertatur in existentiam Christi quæ, ut diximus in trac. de *Verbo Incarnato* n. 85, probabiliter non est creata.

[21] Supra n. 4 et 27.

[22] Supra th. 25.

[23] *Sensus formalis* vocum, ut alias diximus (Vol. 3 n. 83), est ratio seu conceptus a voce expressus; *materialis,* id quod a parte rei tali conceptui respondet. Jamvero in propositione practica, non minus quam in speculativa, *sensus formalis* vocum mutari nequit; siquidem voces primo et per se sunt signa conceptuum, unde his mutatis, illæ consistere nequeunt. Quod ergo in propositione practica mutatur est tantum *sensus materialis,* seu id quod a parte rei verificat mentis conceptum. Sic v. g. in propositione *Tu es minister meus,* qua rex constituit Petrum suum ministrum, sensus formalis pron. *tu* est ratio *Petri præsentis,* quæ æque salvatur in principio et in fine propositionis; sensus materialis ejusdem pron. *tu* ab initio erat *homo vulgaris,* in fine vero est *minister,* et hic sensus materialis vi propositionis est mutatus.

annihilatione [24], nec totaliter incipere, ut in *creatione* [25], sed aliter se habere prius et posterius, quod est *mutari* [26]. Porro mutationem faciendam esse *secundum notionem prædicati,* constat ex ipsa natura prædicati, cujus est enuntiare de subjecto aliquid manifestandum vel producendum, secundum quod agitur de propositione speculativa vel practica. MINOR SUBSUMPTA vix eget declaratione, nam *corpus* non est accidens sed *substantia,* substantia vero individua, quia pron. possessivum *(meum)* signat objectum dominii, quod manifeste est res concreta, operationi agentis præexistens. — **Patres** transsubstantiationem docuerunt *a*) *præpositionibus, b*) *verbis* et *c*) *exemplis.* — *a*) Profecto si quæ sunt PRÆPOSITIONES aptæ ad transsubstantiationem indicandam, sunt particulæ *de* et *in,* quibus indicare solemus materiam *de qua* aliquid fit, et illud *in quod* aliquid conconvertitur: atqui AMBR. ait quod « *de pane fit caro Christi* » [27]; GAUDENT. quod « creator... *de pane efficit proprium corpus* » [28]; EUSEB. Emis. quod « ex nihilo... conditum *in melius* commutatur » [29] — *b*) Si VERBA inspicimus, Patres docent quod consecratione « de pane *fit* corpus Christi » [30], quod creator « de pane rursus *efficit* proprium corpus » [31], quod « Deum exoramus *ut faciat* panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem ejus » [32], quod « nutu potentiæ, præsentiâ majestatis *in* dominici corporis *transire* potest substantiam » [33], « quod panis *ipse* et vinum *transmutentur* in corpus et sanguinem Domini » [34], quod « arcana aliqua ratione *transformantur* ab omnipotente Deo *in* corpus et sanguinem Christi

---

[24] Nam notio formalis, quantumcumque abstracta et generica, a ratione entis non potest exulare; si ergo res ab ea signata annihilaretur; ipsa nullatenus consisteret, et sic propositio foret falsa.

[25] Nam pronomen demonstrativum significat *rem præsentem,* id vero quod creatur, nulla ratione aderat.

[26] « De ratione mutationis est quod aliquid idem se habeat aliter nunc et prius » S. THOM. 1 p. q. 45 a. 2 ad 2. — Si quæris de formali ratione pron. *hoc* quæ in transsubstantiatione manet immutata, respondet S. THOM. quod est *contentum sub his speciebus,* seu notio *substantiæ præsentis sub speciebus,* quæ quidem juxta sensum materialem initio propositionis erat *panis,* in fine vero *corpus Christi.* Cf. n. 151 not. 21.

[27] AMBR. *De Sacr.* IV c. 4 n. 14.

[28] GAUD. Brix. *De Exod.* serm. 2.

[29] EUSEB. Emis. apud *Alger.* I c. 7.

[30] AMBR. *De Sacr.* IV c. 4 n. 14.

[31] GAUD. Brix *l. c.*

[32] CYRIL. Hier. *Catech.* 5.

[33] EUSEB. Emis. *l. c.*

[34] DAMASC. *De fide orth.* IV. 13; GREG. Nyss. *De Euch.* or. 37; CYRIL. Hier. *l. c.*

in veritate, quæ oblata sunt » [35], quod (Verbum) « virtute benedictionis *in illud* (corpus suum) *transelementat* eorum, quæ apparent, *naturam* » [36]: atqui nullus theologus, qui transsubstantiationem vellet suis verbis exprimere, aliter mentem aperiret, quam dicendo Deum *facere* panem corpus suum, vel panem *converti, mutari, transmutari, transformari, transelementari* in corpus Christi: ergo. *c*) Si SIMILITUDINES attendimus, Patres, seposito « quod in cœlos assumptum *corpus descendat de cœlo* » [37], consecrationis effectum comparant *generationi* qua panis de terra producitur [38], *augmentationi* qua cibus per esum transit in substantiam manducantis [39], *perfectioni* qua res *condita* in melius mutatur [40], *transformationibus* miraculosis quibus Moyses virgam in serpentem convertit [41], et Christus aquam in vinum transmutavit [42]: atqui hæc non innuunt substitutionem novæ substantiæ in locum præcedentis destructæ, sed transitum prioris de uno statu in alium: ergo panis et vinum non manent, nec annihilantur, sed convertuntur in substantiam corporis et sanguinis Christi, quod est transsubstantiari.

THES. 29. *Facta transsubstantiatione* — 1 *nihil manet de substantia panis,* — 2 *non* materia, *non* forma, *non* natura, quæ companatione, *vel* impanatione, *vel* ubiquitatis titulo, *vel aliquo alio modo uniantur corpori et sanguini Christi.*

---

[35] CYRIL. Alex. in *Matth.* **26**. 27; CHRYS. *De prob. Judæ* hom. 1 n. 6.

[36] GREG. Nyss. *De Euch.* or. 37.

[37] DAMASC. *De fide orth.* IV c. 13.

[38] « Naturarum Creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus efficit proprium corpus ». GAUD. Brix. *De Exod.* serm. 2.

[39] « Panis, ut loquitur Apostolus, sanctificatur verbo Dei et oratione, non per esum et potum transiens in corpus Verbi, sed uno momento in corpus Verbi transmutatur ». GREG. Nyss. *De Euch.* c. 37.

[40] « Quid mirum est si ea, quæ potuit (Deus) creare, verbo possit creata convertere? Imo jam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo condidisse agnoscitur, jam conditum in melius valeat mutare ». EUSEB. Emis. apud *Algher.* I c. 7; AMBR. *De myst.* c. 8-9; DAMASC. *De fide orth.* IV c. 13.

[41] « Si tantum valuit humana benedictio (Moysis), ut naturam (virgæ) converteret; quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? ». AMBR. *De Myst.* c. 9.

[42] « Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, trasmutavit, et eum parum dignum existimabimus cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit »? CYRIL. Hier. *Catech.* IV n. 4.

168. **Prima pars.** *Facta transsubstantiatione nihil de substantia panis manet.* ARGUM. 1. Nam quod in aliud convertitur, conversione facta, cessat a pristino statu: atqui ostendimus totam substantiam panis secundum materiam, formam et existentiam converti in corpus Christi: ergo, transsubstantiatione facta, nihil manet de substantia panis. ARGUM. 2. Nam ex communi usu loquendi pronomen demonstrativum non designat substantiam quomodocumque præsentem, sed illam ad quam accidentia per prius pertinent[43]: si ergo, facta transsubstantiatione, maneret substantia panis et vini, quorum accidentia eucharistica sunt propria, consecratione peracta, pron. *hoc* significaret substantiam panis et vini; unde dici non posset *h. e. c. m.*

169. **Secunda pars.** *Facta transsubstantiatione non manet* materia, *neque* forma, *neque* natura, *neque aliquid aliud quod companatione, impanatione ubiquitatis titulo, vel aliquo alio modo uniatur corpori et sanguini Christi.* Hæc pars in prima continetur, ut tamen quædam contra singulos errores adnotemus; DURANDO observamus *materiam* primam non posse per se subsistere; si ergo maneret, addi deberet corpori Christi, quod in dies suam quantitatem augeret. Ab iis vero, qui docent permanentiam *formæ,* quærimus an forma hæc inhæreat materiæ, vel non: si primum, manet substantia panis et vini; si alterum, forma rei materialis fit subsistens, atque ideo spiritualis, quo nil absurdius. Contra permanentiam *naturæ* panis et vini notamus naturam ratione tantum distingui a substantia, quare, si illa manet, hæc quoque consistit. Theoria ROSMINI de pane et vino constitutis *terminis sensationis* Christi, non solum evertit notionem transsubstantiationis, sed pantheismum inducit: LUTHERANORUM *companatio* supponit permanentiam panis, quod verbis consecrationis contradicit: OSIANDRI *impanatio* non explicat absentiam panis, siquidem unio hypostatica naturam assumptam in propria specie relinquit: UBIQUISTARUM *compræsentia,* dum confundit communicationem idiomatum cum communione attributorum, conversionem substantiæ panis et vini nullatenus explicat.

---

43 Quis ostendens pomum, in quo inclusit nummum, diceret: *hoc est nummus?* **NB.** Ab hac prædicationis lege excipitur *artefactum* ordinatum ad receptionem substantiæ, ut si, proferens lagenam vini, dicam: *Hoc est vinum;* sed exceptio in casu locum non habet, siquidem panis non est artefactum constitutum ad recipiendum corpus Christi.

ART. 4 - DE TRANSSUBSTANTIATIONIS MODO

(CATHOLICORUM DISPUTATIO)

170. **Veterum scholasticorum sententia.** In transsubstantiatione tria sunt consideranda: *cessatio* substantiæ panis et vini, *præsentia* corporis et sanguinis Christi, et *nexus* quo illa duo vinciuntur. Antiqui scholastici *nexum* inter cessationem substantiæ panis et vini et præsentiam corporis et sanguinis Christi habebant *intimum* et *necessarium,* siquidem « si panis non converteretur in corpus Christi, non esset intelligere quomodo corpus Christi inciperet esse in altari sine sui mutatione »[1]: *præsentiam* Christi intelligebant sine ulla mutatione suæ substantiæ; nam « illud in quod fit conversio erat præexistens, et *non ei additur;* unde hoc in quod terminatur conversio, *nullo modo trasmutatur,* scil. corpus Christi, sed solum panis qui convertitur »[2]: *Cessationem* tandem *substantiæ panis et vini* explicabant per operationem ordinatam in terminum positivum, dicebant nempe quod panis « *in meliorem substantiam commutatur* »[3]; siquidem transsubstantiatio « non est mutatio opposita creationi, sed quodammodo perficiens ipsam inquantum panis nobilius esse per hanc conversionem consequitur »[4]; scil. transsubstantiatione « subjectum *transit* in subjectum »[5], ita ut hæc « conversio tolleretur posita annihilatione substantiæ panis, vel resolutione in præjacentem materiam »[6].

171. **Sententia recentiorum scholasticorum.** A *sæc. 17* aliter est intellecta transsubstantiatio; nam quod attinet ad *nexum* inter cessationem panis et præsentiam Christi theologi explicare cœperunt ab *extrinseco,* h. e. vel ex libera Dei dispositione[7], vel ex sensu verborum exigentium præsentiam Christi sub speciebus a propria substantia separatis[8]. Quod vero attinet ad *efficientiæ modum* posuerunt duas operationes[9] terminative saltem[10] distinctas, quarum prima respicit substantiam panis et vini,

---

[1] BONAV. *IV Dist.* 11 p. 1 q. 3; S. THOM. 3 p. q. 75 a. 3.

[2] S. THOM. *IV Dist.* 11 q. 1 a. 3 sol. 1; BONAV. in *IV Dist.* 10 p. 1 a. 1 q. 1; p. 2 a. 1 q. 1; ALB. MAG. in *IV Dist.* 11 a. 1 ad 5 et 6; AEGID. Rom. *De corp. Chr.* theor. 1 etc. apud *Billot* p. 315-6.

[3] BONAV. *IV Dist.* 11 p. 1 q. 3.

[4] S. THOM. *IV. Dist.* 11 q. 1 a. 2 ad 2.

[5] S. THOM. *Cg.* IV c. 63.

[6] S. THOM. 3 p. q. 75 a. 3.

[7] Apud *Billot* p. 313.

[8] VASQUEZ *De Euch.* Disp. 181 c. 12.

[9] LESSIUS *De div. perf.* XII c. 16 n. 109. — FRANZ. *De Euch.* th. 13, 14 p. 236, dicit *unam* finaliter, quia scil. cessatio panis et vini ordinatur ad constituendum sub speciebus corpus Christi.

[10] PESCH n. 686 in nota.

quam Deus « *cessat conservare* »[11], ita ut « ad rem quod attinet... totum ita funditus pereat, ac si prorsus in nihilum redactum esset, nullo positivo succedente »[12]; altera respicit corpus Christi constituendum sub speciebus[13]; quod quidem juxta aliquos fit *reproductione* cujus tanta est virtus, ut de novo crearet corpus et sanguinem Christi[14],si jam non existerent; juxta alios *adductione,* prout consecratione Christus acquirit novum *ubi* præsentiæ sacramentalis[15].

THES. 30. *Transsubstantiatio non explicatur — 1 productione vel — 2 adductione corporis Christi, sed — 3 vera et proprie dicta conversione ipsius substantiæ panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Domini.*

172. **Prima pars.** *Repugnat reproductio corporis et sanguinis Christi.* « Nam productio ista *active sumpta,* vel de facto ponit terminum suum, vel illud non ponit sed solum esset sufficiens ad ponendum, si corpus Christi aliunde jam non præexisteret. Si de facto non ponit, ergo nihil de novo habetur a parte rei, ubi omnia perseverant immota. Si de facto ponit, ergo substantia, quæ nunc incipit sub speciebus contineri, est substantia noviter existens; omnis enim productio est eductio rei e nihilo sui, et ideo... essendi novitas est evidentissime de ratione termini actionis productivæ inquantum hujusmodi. Jam age, contradictionem implicat, quod substantia nunc de novo existens, sit illa quæ non de novo existit, sed ab antiquo in esse perseverat. Ego impossibile omnino est, ut terminus actionis productivæ in celebratione sacramenti sit ipsum Christi corpus de Virgine natum »[16]. Hinc CATECH. ROM.: « Creari corpus Christi minus credibile est, et ne in cogitatione quidem cadere hoc potest »[17].

173. **Secunda pars.** *Repugnat etiam adductio corporis et sanguinis Christi.* Moderni theologi, ut vitarent contradictiones, quæ sequuntur *adductionem* explicatam locali descensu Christi a regalibus sedibus, excogitarunt adductionem independentem a motu locali, per infusionem accidentis *ubi;* sed neque hoc effugium eos a contradictionibus salvat. Nam *a*) *locatio corporis* resultat ex coëxtensione partium corporis locati ad corpus locans; si ergo Christus, qui est in cœlo, novo *ubi* constitueretur sub speciebus, etiam ibi coëxtenderet partes sui corporis, et sic una extensio plura spatia repleret, quod repugnat legibus matheseos,

---

11 PESCH *l. c.*

12 LESSIUS *l. c.*

13 SUAREZ *De Euch. Disp.* 50 sect. 4.

14 SUAREZ, LESSIUS, CONINCK, BILLUART apud *Billot* p. 312; ARRIAGA, P. HURTAD., TANNER, FRANZ. apud *Pesch* n. 693.

15 SCOTUS et LUGO apud *Billot;* TOLET., BELLARM., GREG. de Valent., VASQUEZ, OVIEDO, BECANUS apud *Pesch,* qui eis adhæret.

16 BILLOT *De Sacr.* I p. 376-7.

17 CATECH. ROM. *De Euch.* n. 37.

quæ *unum* æqualem non facit *pluribus*. Sed insuper *b*) « ubicumque aliquid est, ibi ex naturali concomitantia oportet esse omnia quæ sunt ei realiter conjuncta, eique realiter inhærent », uti patet ex lege concomitantiæ; « si ergo corpori Christi tot inhærent *modi ubicationis,* quot habet præsentias, oportebit ut in singulis locis, quibus adest, adsint etiam ex naturali et necessaria concomitantia omnes illæ ubicationes simul, americanæ, africanæ, europeæ, asiaticæ, etc.; ex quo sequeretur, Christum Romæ esse in America, et in America esse Romæ: quæ omnia profecto non sunt nisi congeries contradictionum »[18]. Bene ergo CATECH. ROM. « Fieri non posse constat, ut corpus Christi in sacramento sit, quod ex uno in alium locum venerit (scil. adducatur): ita enim fieret, ut a cœli sedibus abesset »[19].

174. **Tertia pars.** *Transsubstantiatio fit vera et propria conversione ipsius substantiæ panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi.* Nam in **Scriptura** transsubstantiatio effertur propositione practico-demonstrativa *h. e. c. m.:* atqui, ut vidimus, propositio practico-demonstrativa non exprimit destructionem subjecti et productionem vel adductionem prædicati, sed transmutationem subjecti juxta notionem prædicati[20]: ergo. Ceterum una propositio nonnisi unam operationem potest exprimere et consequenter operari, si est practica: atqui remota transmutatione panis et vini in corpus Christi, Christi præsentia duplici tantum operatione potest intelligi: ergo. — **Patres** nihil dicunt de destructione corporis Christi, et affirmant quod « non oratur ut *in ea* corpus *lateat,* aut *in eam* corpus *adveniat,* sed ut *ipsa* corpus *fiat* »[21]; *præpositionibus* autem, *verbis* et *exemplis* docent panem et vinum *transmutari, converti, transelementari.* — **Ratio** sumitur ex possibilitate conversionis proprie dictæ, qui enim ad productionem vel ad adductionem Christi confugiunt, hoc faciunt, quia repugnare æstimant transmutationem unius substantiæ in aliam: at, cum de Deo agitur, prædicta repugnantia non est. Profecto, ut ratiocinatur S. THOM., virtus creata, cum sit constituta in uno determinato genere perfectionis, non potest operari nisi ad unum modum determinatum; ac proinde sua operatione potest tantum attingere illud ex quo ens habet determinationem; et quia determinatio entis est a forma, virtus creata potest operari tantum ad productionem formæ seu ad *transformationem.* At virtus divina non est determinata ad unum; ejus virtus ergo non tantum potest attingere illud ex quo res habet determinationem seu formam, sed materiam quoque seu totam naturam entis; unde Deus sicut potest de nihilo creare, ita valet unum ens secundum totam suam substantiam in aliud convertere; quod est *transsubstantiare*[22].

---

[18] BILLOT *De Sacr.* I p. 378.

[19] CATECH. ROM. *De Euch.* n. 37.

[20] Supra n. 167.

[21] GUITMUNDUS *De corp. et sang. Dom.* III.

[22] S. THOM. 3 p. q. 75 a. 4: *IV Dist.* 11 q. 1 a. 3 sol. 1; *Cg.* IV c. 63.

Art. 5 – De realitate specierum

seu

De ipso sacramemto.

175. **Materia remota.** Materia remota Eucharistiæ, præfigurata in sacrificio Melchisedech [1], et expressa in testimonio institutionis [2], definita est a Conc. Flor.: « Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est *panis triticeus,* et *vinum de vite* »[3]. Porro quilibet panis triticeus et quodlibet vinum de vite est materia valida, sed de præcepto in Ecclesia Latina consecratur in pane azymo et in Græca in fermentato; in utraque vero parum aquæ vino admiscetur [4]. Convenientia hujus materiæ desumitur ex effectu Eucharistiæ, qui est spiritualis *refectio* et *unio* fidelium; spiritualis refectio exprimitur pane et vino, quia illis solent homines corporaliter uniri; eisdem vero exprimitur unio fidelium, quia panis conficitur ex diversis granis frumenti, et vinum ex pluribus acinis uvæ fluit [5].

176. **Forma.** Cum Christus voluerit Apostolos usque ad finem mundi [6] *opus suum* renovare [7], verba formæ sunt illa quæ Christus protulit [8]: atqui « cœnantibns eis (Apostolis), accepit Jesus panem et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis et ait: *accipite et dividite inter vos: hoc est corpus meum.* Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: *bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* [9]: ergo.

---

1 Melchisedech sacrificium obtulit in pane et vino Gen. **14**. 15.

2 Nam *panis* expresse nominatur, quid autem fuerit in calice patet ex verbis *non bibam de hoc genimine,* quæ si intelliguntur de calice consecrato expresse signant species vini; si intelliguntur de alio (supra n. 161), sensum vocis *calicis* exhibent.

3 Conc. Flor. Decr. pro *Armen.*

4 « Appositio aquæ ad vinum refertur ad significandam participationem hujus sacramenti a fidelibus, quantum ad hoc quod per aquam mixtam vino significatur populus adunatus Christo ». S. Thom. 3 p. q. 74 a. 7.

5 S. Thom. 3 p. q. 74 a. 1.

6 *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniam.* 1 Corint. **11**. 26.

7 *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. **22**. 19; 1 Corinth. **11**. 24-5.

8 « Antequam consecretur, panis est; ubi autem *verba Christi* acceperint, corpus est Christi... Ante verba Christi calix est vino et aqua plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur ». Ambr. *De Sacr.* IV c. 5 n. 22–3.

9 Matth. **26**. 26–8.

— Non omnia tamen, quæ Christus protulit, sunt de essentia sacramenti; verba enim *accipite et dividite inter vos — bibite ex hoc omnes,* respiciunt *usum* Eucharistiæ, alia vero *N. T., qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* sunt appositio nominis *sanguinis mei,* cujus mysticæ effusionis *finem* sacrificalem exprimunt: ergo forma essentialis Eucharistiæ est: *h. e. c. m. — h. e. s. m.* [10].

177. **Materia proxima.** « Cetera sacramenta, inquit CATECH. ROM., materiæ usu perficiuntur, dum scil. alicui administrari ea contingit: baptismus enim sacramenti naturam tunc adipiscitur, cum re ipsa homo aqua abluitur. At vero ad Eucharistiæ perfectionem satis est ipsius materiæ consecratio: utrumque (species panis et vini) enim sacramentum esse non desinit, quamvis in pyxide asservetur » [11]. Quia ergo Eucharistia est sacramentum permanens, ejus materia proxima esse nequit *usus* materiæ remotæ, sed est quid permanens [12], scil. sunt *species,* quibus *verba* consecrationis adhærere permanenter intelliguntur « prout semel prolata denominant species consecratas, *eisque manent intentionaliter affixa,* fere eo ipso modo quo ritus consecrationis permanenter afficit ecclesiam sacratam, et verba benedictionis aquam benedictam » [13]. Quidam de ratione *sacramenti tantum* dicunt etiam corpus et sanguinem Christi; sed sive species ponuntur in recto et Christus in obliquo [14], sive Christus efferatur in recto et species in obliquo [15], sive Christus et species pari ratione dicantur pertinere ad esse sacramenti [16], non est concedendum, quia Inn. III nil dicit de Christo, sed affirmat quod « *species* sunt sacramentum tantum » [17]; et quia sacramentum tantum est res per se visibilis, dum Christus in hoc sacramento directe non percipitur.

178. **Quid species.** Secundum nomen *species* (ab εἴδω = *conspicio)* dicit *apparentiam,* quapropter nonnumquam sumitur ad objectivam realitatem excludendam, ut si dicam Raphaëlem apparuisse sub *specie* juvenis, sæpius tamen significat realitatem a substantia distinctam eique inhærentem, quæ dicitur *accidens* per ordi-

---

[10] SCOTUS verba *Qui pridie quam pateretur* etc., dixit conditionem *sine qua non,* ut sacerdos loquatur in nomine Christi; sed respondetur sacerdotem fieri instrumentum Christi *intentione,* non *verbis.*

[11] CATECH. Rom. *De Euch.* n. 9.

[12] Intimam rationem hujus rei S. THOM. 3 p. q. 73 a. 1 ad 3, inde desumit quod in aliis sacramentis *res sacra* est *relativa,* seu in ordine ad alios, in Eucharistia est *absoluta,* scil. est Christus, qui in se ipso est res sacra.

[13] BILLOT *De Sacr.* I *th. 40* p. 291.

[14] *Species continentes Christum.* D. SOTO et GONET apud *Pesch* n. 766.

[15] *Christus sub speciebus.* THOM. Wald., VASQUEZ, LUGO, ESTIUS, etc. apud *Pesch* l. c.

[16] *Christus cum speciebus.* SUAREZ *De Euch.* Disp. 42 sect. 2 n. 2.

[17] INNOC. II *Decret.* II tit. 41 c. 6; CATECH. Rom. *De Euch.* n. 8.

nem ad subjectum cui inest, et *species* per ordinem ad cognoscentes, eo quod corporum tantum accidentia *conspiciuntur.*

179. **Dualitas specierum non constituit duplex sacramentum sed unum formaliter, multiplex materialiter.** « Dicendum, inquit S. THOM., quod *unum* dicitur, non solum quod est indivisibile, vel quod est continuum (plura potentia), sed etiam quod est *perfectum,* sicut dicitur una domus et unus homo. Est autem unum perfectione, ad cujus integritatem concurrunt omnia quæ requiruntur ad finem ejusdem; sicut domus integratur ex omnibus partibus quæ sunt necessariæ ad inhabitandum. Et sic hoc sacramentum dicitur unum: ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scil. cibus, qui est alimentum siccum, et potus, qui est alimentum humidum... Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter et perfective » [18]. Cave tamen ne reputes duas species esse partes integrantes unius sacramenti, sicut in naturalibus solidum et liquidum sunt de necessitate unius refectionis; spiritualis quippe refectio sola gratia sanctificante perficitur, unde et alterutra specie sufficienter exprimitur. Ceterum, ut notat BILLOT, « postquam in consecratione materiæ perfectum est sacramentum, quæcumque pars vel portio sumatur, semper accipitur *secundum quod communicat in indivisibili significatione totius*... Quin imo, etiamsi per accidens contingeret non consecrari alteram speciem, adhuc tamen, vi institutionis Christi, esset in specie consecrata ordo et respectus ad illam, quod plane sufficeret ad sacramentalem significationem atque efficaciam » [19].

180. **Errores - Veritas.** *Realitatem accidentum* panis et vini in Eucharistia negant ATHOMISTÆ, ea non distinguentes a substantia conversa in corpus et sanguinem Domini [20]. **Veritas** continetur in definitione CONC. TRID.: « S. q. negaverit conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat accidentibus panis et vini...; a. s. » [21].

THES. 31. *Facta transsubstantiatione species panis et vini immutatæ manet.*

181. **Ex Scripturis.** ARGUM. I. Probavimus sensum formalem pron. *hoc* immutatum manere etiam post transsubstantiationem [22]: atqui sensus formalis pronominis *hoc* exprimit notionem rei *præsentis* [23]: ergo aliquid quod ante transsubstantiationem erat præsens,

---

18 S. THOM. 3 p. q. 73 a. 2.
19 BILLOT *th. 36* p. 295–6.
20 Supra n. 148.
21 CONC. TRID. sess. 13 cn. 2.
22 Supra n. 167.
23 Nam pronomen demostrativum

manere debet transsubstantiatione facta: « quia (ergo) substantia panis non manet, nec aliqua prior materia, necesse est dicere quod maneat id quod est præter substantiam panis. Hujusmodi autem est accidens panis. Remanent igitur accidentia panis etiam post conversionem prædictam » [24]. ARGUM. 2. Nam effectus propositionis practicæ regulatur significatione prædicati; nihil ergo in subjecto debet mutari quod in prædicato non exprimitur: atqui prædicatum *corpus meum* exprimit substantiam individuam et existentem, sed non exprimit accidentia [25]; ergo subjectum propositionis *h. e. c. m.* debet mutari secundum totam substantiam sed non secundum accidentia, quæ proinde in priori statu debent manere. — **Patres** in Eucharistia rem *terrenam, visibilem* et *sensibilem,* quæ non recedit a *sua natura* et dicitur *panis* ac *figura* ejus quod *continet,* distinguunt a re *cœlesti, intelligibili* et sola *fide* percepta, quæ est corpus et sanguis Christi: ergo in Eucharistia præter corpus et sanguinem Christi agnoscunt accidentia panis et vini. Ut testimonia quædam [26] promamus, sic IREN.: « Quemadmodum... est Eucharistia *ex duabus* rebus constans, *terrena* et *cœlesti;* sic corpora nostra, percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, (sed) spem resurrectionis habentia (scil. terrena simul et cœlestia) » [27]. CYRIL. Hier.: « Ne tamquam *nudis* pani et vino attendas; sunt enim corpus et sanguis Christi... etiamsi *illud tibi suggerat sensus,* fides tamen te certum et firmum efficiat » [28]. CHRYS.: « Nihil sensibus percipiendum Christus nobis tradidit, sed *in rebus quidem sensibilibus,* omnia vero intelligibilia » [29]. THEOD.: « Neque post sanctificationem *mystica symbola recedunt a sua natura;* manent enim in prioris essentiæ figura et forma adspectabili... *qualia erant prius* » [30]. AUG.: « Quod videtis, panis est et calix; quod vobis *etiam oculi* vestri renuntiant; quod autem *fides* vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi » [31]. — **Ex ratione.** ARGUM. 1 *ex testimonio sensuum.* Nam sensus non errant circa sensibile proprium, quando non est

---

rem significatam quodammodo indigitat, unde præsentem et visibilem *formali* suo *sensu* exprimit.

[24] S. THOM. *Cg.* IV c. 63.

[25] Supra n. 164.

[26] Plura testimonia dedimus n. 152.

[27] IREN. *Adv. Hær.* IV c. 18.

[28] CYRIL. Hier. *Catech.* IV De Euch. n. 4.

[29] CHRYS. in *Matth.* hom. 82.

[30] THEOD. Dial. 2 *Inconf.*

[31] AUG. *Serm.* 272 n. 1.

impedimentum in organo vel in medio: atqui sensibile proprium sensuum sunt accidentia, quæ directe in illos agunt: ergo in perceptione accidentium sensus non errant, nisi sit impedimentum in organo vel in medio: atqui in Eucharistia accidentia panis et vini percipimus etiam quando sensus nostri sunt sani et non est impedimentum in medio: ergo. ARGUM. 2 *ex reali præsentia* cujus accidentia sunt fundamentum. Nam « Si substantia panis in corpus Christi converteretur et panis accidentia transirent, ex tali conversione non sequeretur quod corpus Christi secundum suam substantiam esset ubi prius fuit panis; nulla enim relinqueretur habitudo corporis Christi ad locum prædictum. Sed, quum quantitas dimensiva panis remanet post conversionem, per quam panis hunc locum sortiebatur, substantiâ panis in corpus Christi mutatâ, fit corpus Christi sub quantitate dimensiva panis, et per consequens locum panis quodammodo sortitur, manentibus tamen dimensionibus panis » [32].

182. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Patres species dicunt *apparentias, figuram* et *symbolum* [33]*:* atqui *apparentia* opponitur realitati, *figuram* et *symbolum* veritati: ergo species objectiva realitate carent. **Resp.** Patres species eucharisticas vocant *apparentias,* quia non continent substantiam panis et vini, quam ostendere videntur; vocant *symbolum* et *figuram,* quia α) significant Christum præsentem, β) exhibent spiritualem refectionem, et γ) revocant manna et oblationem Melchisedech, quæ fuerunt figuræ Eucharistiæ.

183. **Objic. 2.** Quæstio de distinctione et consequenti separabilitate accidentium a substantia ad metaphysicam pertinet; non debet ergo demonstrari ex fide, nec dogmatis fundamentum constitui. **Resp.** Accidentium realitas et eorum distinctio a substantia, ethnicis notæ [34], probantur *experientia* quæ identitatem nostræ substantiæ testatur accedente vel recedente sanitate, colore, scientia, virtute, etc., et *limitatione naturæ creatæ* quæ suâ substantiâ agere nequit [35]. Quod autem veritas meta-

---

[32] S. THOM. *Cg.* IV c. 63.

[33] CYRIL. Hieros. *Catech.* IV *Myst.* n. 4; AUG. *C. Adim. Manich.*

[34] ARISTOLES non solum distinxit substantiam ab accidente, sed accidens in novem categorias subdivisit.

[35] De distinctione substantiæ ab accidentibus vide SCHIFFINI *Princ. Philos.* n. 526; TIL. PESCH *Inst. Log.* n. 1479 sqq.; 1488 sqq.; BILLOT p. 404; S. THOM. *II Dist.* 3 q. 1 a. 4; *De Anim.* a. 7; *De Spirit. Creat.* a. 8; *Cg.* VI c. 65. Tam evidens erat S. THOM. distinctio aliquorum accidentium a substantia, ut *De Spir. Creat.* a. 11 ad 1 scripserit: « Quidquid dicatur de

physica illustretur doctrinis fidei, nullo modo repugnat, siquidem etiam veritates naturales possunt a Deo revelari [36]. Porro sola calumnia nos dicimur dogma fidei philosophiæ placitis superstruere: nostra enim argumenta non sunt petita ex metaphysica, sed ex verbis consecrationis directe deducta: nobis philosophia manet ancilla, non domina [37].

ART. 6 - DE MODO QUO ACCIDENTIA EUCHARISTICA CONSISTUNT.

184. **Accidentia separata a propria substantia, retinent pristinam activitatem et possunt corrumpi.** *Factum* constat experientia: *ratio* vero non debet sumi ex speciali divino interventu, sed ex primo miraculo quo species sine subjecto in proprio esse conservantur: conservantur enim ut a substantia effluxerunt [1]; unde retinent « energiam illam quasi instrumentalem quæ a natura ipsorum est indistincta. Quapropter non oportet ut effectus proportionentur accidentibus separatis, præcise inquantum sunt accidentia, sed magis inquantum sunt et manent vires substantiæ a qua emanarunt » [2]. Sicut autem retinent pristinam potentiam activam, ita servant potentiam passivam; *qualitates* enim per se sunt alterabiles et *quantitas* divisibilis: quare si alteratio et divisio usque adeo protrahatur ut mutationes inductæ non sint amplius possibiles in accidentibus panis et vini, hæc naturæ cursu debent corrumpi.

185. **Cum accidentia corrumpuntur, generatur substantia, quæ produceretur si substantia panis et vini non fuisset transsubstantiata.** *Factum* iterum constat experientia; videmus enim ex speciebus consecratis hominem nutriri: quoad *modum* respondet S. THOM, quod « quia non rationabiliter videtur dici quod materia *creetur* vel *redeat*, melius videtur dicendum quod in ipsa consecratione datur quantitati dimensivæ panis et vini, quod sit primum subjectum subsequentium formarum » [3]. Verum nimis durum videtur quantitatem munere materiæ fungi et sic forma substantiali informari et esse subjectum quantitatis novi corporis: et ideo dicendum cum BILLOT quod in momento, quo species corrumpuntur, producitur a Deo nova materia prima, respondens illi quæ conversa est in corpus Christi. Sicut enim debite præparata per parentes materia nostri corporis, anima intellectiva *naturaliter* creatur a Deo; ita per agenita chymica corruptis accidentibus panis et vini, et inductis dispo-

---

potentiis animæ, tamen nullus umquam opinatur, *nisi insanus*, quod habitus et actus animæ sint ipsa ejus essentia ».

[36] Vol. 3 n. 490.

[37] Cf. S. THOM. *Super Boët. de Trinit.* q. 2 a. 3; Vol. 1 n. 5.

[1] « Sicut et cæcus miraculose illuminatus, naturaliter videt ». S. THOM. 3 p. q. 77 a. 4 ad 3.

[2] BILLOT *De Sacr.* I. th. 47 p. 473-4.

[3] S. THOM. 3 p. q. 77 a. 4.

sitionibus ad determinatam formam, si deest materia, hæc *naturaliter* creari debet a Deo, ne virtutes causarum secundarum proprio frustrentur effectu [4]. Hinc S. THOM. postquam dixit quantitatem fieri subjectum formæ substantialis, addit: « et tunc vel *ex consequenti adveniet etiam materia propter concomitantiam naturalem* formæ ad materiam... vel ipsi dimensioni virtute divina dabitur *natura materiæ* propter propinquitatem ad ipsam, ut sic illud generatum sit compositum *ex materia* et forma » [5].

186. **Errores – Veritas.** Qui expresse negavit accidentia in Eucharistia *manere sine subjecto* est WICLEFFUS [6]. **Veritas** est proposita in CONC. CONST. damnante prop.: « Accidentia panis *non manent sine subjecto* in eodem sacramento » [7].

THES. 32. *Facta transsubstantiatione, accidentia panis et vini — 1 manent sine subjecto, et quidem ita ut — 2 cetera quantitati inhæreant.*

187. **Prima pars.** *In Eucharistia accidentia manent sine subjecto.* Nam subjectum cui inessent foret substantia panis et vini, vel corporis et sanguinis Christi: atqui non prima, quia, conversa in corpus et sanguinem Christi, non manet: non altera, quia « substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici; neque etiam est possibile quod corpus Christi, gloriosum et impassibile exsistens, alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates » [8]: ergo manent sine subjecto. Et si quæras de modo, respondeo fieri *divina virtute* quæ *existentiam accidentalem* eis respondentem præter rerum ordinem conservat [9]. Ut autem hoc probe intelligas, nota cum BILLOT « quod causalitas substantiæ respectu accidentis est duplex: substantia enim causat ut *causa materialis* inquantum subjectat accidentia, causat etiam *quasi efficienter* inquantum accidentia ab ea dimanant per quamdam resultantiam, et jugiter conservantur per continuum influxum. Porro cum in sacramento Deus dicitur supplere causalitatem substantiæ, non sic intelligas quasi ipse suppleret causalitatem materialem gerendo vices subjecti, quod absit; sed, sublato substantiæ influxu, quicumque ille est, conservat accidentis essentiam sub proprio actu essendi » [10].

---

4 BILLOT *l. c.* I th. 48 p. 479.

5 S. THOM. *IV Dist.* 12 q. 1 a. 2 sol. 4.

6 Supra n. 148.

7 CONC. CONST. Dam. *Wiclef.* pr. 2.

8 S. THOM. 3 p. q. 77 a. 1.

9 « Speciebus sacramentalibus datum est divina virtute ut remaneant in *suo esse* quod habebant, substantia panis et vini existente ». S. THOM. 3 p. q. 77 a. 3; ad 1 et 2.

10 BILLOT *De Sacr.* th. 46 p. 468.

188. **Secunda pars.** *Cetera accidentia quantitati inhærent.* ARGUM. 1 *ex experientia.* Nam videmus colorem, saporem, odorem, etc. non consistere in puncto, sed retinere pristinam extensionem: atqui extensio est formalis effectus quantitatis: ergo. ARGUM. 2 *ex principio individuationis.* Nam « sola quantitas dimensiva de sui ratione habet unde multiplicatio individuorum in eadem specie possit accidere... Et sic relinquitur quod cum in sacramento ponamus dimensiones per se subsistere, et alia accidentia in eis, sicut in subjecto fundari, non oportet nos dicere quod accidentia hujusmodi non sint; remanet enim in ipsis dimensionibus individuationis radix » [11]. ARGUM. 3 *ex notione subsitentis.* Nam quod in se subsistit habet rationem absoluti; atqui alia accidentia, ut *situs, locus, figura,* nullo modo habent rationem absoluti [12]: ergo nisi quantitati insint, subsistere nequeunt.

189. **SOLVITUR DIFFICULTAS. Objic.** « Accidentis esse est *inesse* » [13]: ergo cessat natura accidentis cum primo est *in se* et non *in alio:* atqui accidens sine subjecto est *in se:* ergo. **Resp.** « Cum ens non sit genus, hoc ipsum quod est *esse,* non potest esse essentia substantiæ vel accidentis. Non est ergo definitio substantiæ; *ens per se sine subjecto,* nec definitio accidentis *ens in subjecto;* sed quidditati seu essentiæ substantiæ *competit habere esse non in subjecto;* quidditati autem, sive essentiæ accidentis *competit habere esse in subjecto.* In hoc autem sacramento non datur accidentibus quod ex vi suæ essentiæ non sint in subjecto, sed ex divina virtute sustentante, et ideo non desunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quæ est *aptitudo ad subjectum,* quæ semper manet in iis..., nec competit eis definitio substantiæ » [14].

---

[11] S. THOM. *Cg.* IV c. 65; *Quodl.* VII a. 10.

[12] Profecto *dispositio partium* sine partibus, *superficies* ambiens sine extensione, et *figura* sine re efformata sunt contradictiones in terminis. Hinc S. THOM. *IV Dist.* 12 q. 1 a. 1 s. 3: « Omnia alia accidentia mediante quantitate in substantia fundantur, et quantitas est prior eis naturaliter, et ideo non claudit materiam sensibilem in ratione sua, quamvis claudat materiam intelligibilem... Unde ex hoc quidam decepti fuerunt, ut crederent dimensiones esse substantiam rerum sensibilium, quia remotis qualitatibus, nihil remanere videbant nisi quantitatem ».

[13] BOËT. apud *S. Thom.* 1–2 q. 110 a. 2 ad 3. Scil. accidens non exhibet absolutam rationem *entis* et ideo non est *aliquid,* sed *quo* aliquid est *tali modo,* quare nec dicitur *ens,* sed *entis* (ARIST. *Metaph.* VII tex. 2).

[14] S. THOM. 3 p. q. 77 a. 1 ad 2.

Art. 7 – De Christi præsentia sub speciebus seu De Eucharistiæ re et sacramento

190. **De præsentia vi verborum et vi concomitantiæ.** « Aliquid dicitur præsens in quantum subjacet ejus conspectui [1] »; quia ergo Christus conspicitur ratione specierum, quæ ipsum continent, modus præsentiæ Christi resolvitur in quæstionem de ejus continentia sub speciebus. Jamvero Conc. Trid. distinguit id quod sub speciebus continetur vi verborum ab iis quæ continentur *vi concomitantiæ* [2]. Primo modo ea adesse intelliguntur quæ verba per se significant, quæque proinde primo et per se efficiuntur instrumentali virtute formæ sacramentalis: altero adsunt ea quæ a verbis non exprimuntur; quæque indirecte tantum et consequenter a forma attinguntur, prout scil. comitantur prima.

191. **Multiplex concomitantiæ modus.** Diversa ratione aliquid potest conjugi ei quod in sacramento est *per se* seu *vi verborum;* scil. ex materiali *identitate* et ex *unione* sive *naturali* sive *hypostatica:* primo modo vi concomitantiæ adest sub utraque specie anima intellectiva; altero adsunt sanguis sub specie panis et corpus sub specie vini, necnon sub utrisque accidentia propria et intrinseca animæ et corporis [3]; tertio adest divinitas. Jamvero ex diverso modo quo aliquid connectitur cum iis quæ in Eucharistia sunt *vi verborum*, sequitur quod *vi concomitantiæ* aliquid ibidem inveniatur *absolute* et quasi essentialiter, vel ex *conditione corporis gloriosi,* vel *per accidens* et removibiliter. Juxta primum adest *divinitas* Christi quæ numquam separata est, nec separari potest a natura assumpta [4]; juxta alterum *anima* quæ tempore mortis, ne ut forma quidem corporis, conjungebatur ei [5]; juxta tertium adsunt *quædam accidentia,* quæ etiam nunc mutantur in corpore Christi glorioso, ut v. g. actiones et passiones, situs, etc. [6]. Hinc Conc. Trid. docebat « existere... ipsum

---

1 S. Thom. 1 p. q. 8 n. 3 ad 2.

2 Conc. Trid. sess. 13 cp. 3.

3 Sic v. g. sunt accidentia *intrinseca* animæ *intellectus, voluntas, scientia,* etc., corporis vero *quantitas, situs, color,* etc.

4 Si separaretur divinitas ab humanitate; hæc privaretur *existentia,* unde in nihilum rediret, nisi Deus creatam existentiam eidem infunderet.

5 Si in triduo mortis facta esset consecratio, sub speciebus panis non fuisset sanguis, nec anima Christi.

6 Juxta mutationem cœlestem Christus mutatur in Eucharistia.

corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi *naturalis* illius *connexionis,* et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro *propter* admirabilem illam ejus cum corpore et anima *hypostaticam unionem* » [7].

192. **Errores - Veritas.** *Integrum* Christum esse sub alterutra specie negavit sæc. 5 NESTORIUS: *concomitantiæ legem* sæc. 12 non agnovit FOLCMARUS et 16 CALVINUS: *quantitatem* corporis Christi sub speciebus sæc. 19 ex quantitate panis et vini consecrati metiri voluit ROSMINI [8]: **Veritas.** *Legem concomitatiæ* docuit CONC. TRID. distinguens inter ea quæ adsunt *vi verborum,* et ea quæ adsunt *vi naturalis connexionis* et *hypostaticæ unionis* [9], atque definiens: « S. q. negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; a. s. » [10].

THES. 33. 1 VI VERBORUM *sub specie panis est corpus Christi, et sub specie vini sanguis ejus;* — 2 VI *autem* CONCOMITANTIÆ *sub utraque specie totus Christus cum corpore, sanguine, anima et divinitate,* — 3 *imo cum suis dimensionibus et debita partium dispositione;* — 4 *facta autem specierum separatione, sub singulis partibus totus Christus consistit.*

193. **Prima pars.** VI VERBORUM *sub specie panis est tantum corpus Christi, et sub specie vini est tantum sanguis ejus.* Nam sacramenta significando causant [11]: quod ergo primo et per se sub speciebus vi verborum constituitur, est illud quod verba propria significatione dicunt: atqui propositio *h. e. c. m.* dicit sub speciebus panis esse *corpus* Christi, quod profecto distinguitur ab ejus sanguine, anima et divinitate: ergo sub speciebus panis *vi verborum* est tantum corpus Christi, et eâdem ratione solus sanguis sub speciebus vini.

194. **Secunda pars.** VI CONCOMITANTIÆ *totus Christus cum suo corpore, sanguine, anima et divinitate est sub utraque specie.* **Ex Scripturis.** Nam scribit Apostolus: *Quicumque manducaverit*

---

[7] CONC. TRID. sess. 13 cp. 3.
[8] Supra n. 148.
[9] CONC. TRID. sess. 13 cp. 3.
[10] COND. TRID. sess. 13 cn. 3; FLOR. Decr. *pro Armen.*
[11] S. THOM. *De Verit.* q. 27 a. 4 ad 13. Supra n. 41.

panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini [12]: atqui part. *vel* disjunguit, et part. *et* conjungit: ergo qui Eucharistiam sumit sub sola specie panis est reus *corporis* et *sanguinis*, quod non esset si corpori non uniretur et sanguis. Invenitur etiam *divinitas*, quia Apostolus dicit reum corporis et sanguinis *Domini* qui indigne sumit Eucharistiam; atqui si sub speciebus non esset divinitas, polluens Eucharistiam injuriam inferret homini et non Deo: ergo. Præsentia *animæ* expresse non indicatur ab Apostolo, sequitur tamen unionem corporis ad sanguinem, siquidem *anima omnis carnis in sanguine est* [13]. Ceterum Christus vitam promisit sumentibus se [14]: atqui *vita* non consequitur unionem cum mortuo [15]: ergo Eucharistia incorporamur viventi: vivens vero anima vivit. — **Patres** dicunt cum Cyril. Hier. quod Eucharistia efficimur *Christiferi* [16]; cum Cyril. Alex. quod recipimus corpus vivum habens *in se uniti Verbi* virtutem [17]; cum Hier. quod Christus in ultima cœna fuit « conviva et *convivium*, ipse comedens et qui comeditur » [18]; cum Aug. quod « ferebatur *Christus* in manibus suis » [19]; cum Cæsar. Arel. « quod cum Ecclesia fidelium sumit (Christum), sicut plenum in universum, ita *integrum* esse probatur in singulis » [20]; cum Damasc. quod sub speciebus, non erat figura corporis Christi « sed ipsum corpus *divinitate donatum* » [21]. Accedunt Liturgiæ quæ Christum sub speciebus alloquuntur, atque docent ibi esse agnum *integrum*, *Filium Dei vivi*, qui *cum Patre sedet*, etc. [22]; hæc enim de corpore sine anima et divinitate intelligi nequeunt. — **Ex ratione.** Nam vi verborum corpus et sanguis Christi non sunt quomodocumque sub speciebus, sed *continentur* sub illis, ut patet ex *sensu formali* pronominis *hoc*,

---

12 1 Corinth. **11**. 27.

13 Lev. **17**. 14.

14 *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Joan. **6**. 55.

15 Nam « propter quod unumquodque tale, et illud magis »; scil. causæ deesse nequit perfectio effectus.

16 Cyril. Hier. *Catech. IV myst.* n. 3.

17 Cyril. Alex. in *Matth.* **26**. 27.

18 Hier. epist. 120 ad *Hedibiam* q. 2.

19 Aug. in *Ps.* **33** enar. 1 n. 10.

20 Cæs. Arelat. *De Pascha* hom. 5. Similia habet Ephrem *De nat. Dei* etc. c. 5.

21 Damasc.. *De fide orth.* IV n. 13.

22 Apud *Billot* th. 42 p. 433; *Pesch* n. 734. **NB.** Vis argumenti in eo est quod Patres dicunt esse sub speciebus corpus *divinum*, vel corpus *integrum*, vel *Christum*; non est autem corpus *divinum* quod a divinitate sejungitur, vel *integrum* quod sanguine privatur, nec *Christus* vocari possunt ejus partes.

et ex *natura corporis* quod in locis dissitis inveniri nequit: atqui contineri, seu claudi in aliquo, est esse ibi *totaliter* seu cum omnibus, quæ sunt ei unita: ergo omnia, quæ hic et nunc sunt unita realiter corpori Christi, vi concomitantiæ adsunt sub speciebus panis; atqui corpori Christi conjuguntur sanguis, anima et divinitas: ergo. Fac, quæso, ut sub speciebus panis sit tantum corpus Christi sine *anima;* habebisne corpus Christi? Minime gentium: nam corpus Christi nunc constituitur in esse corporis anima intellectiva, et est corpus vivum; repugnat autem realia et absoluta prædicata contradictoria de eodem enuntiari. Idem dic de *divinitate;* si enim in Eucharistia corpus Christi, non uniretur hypostatice divinitati, corpus eucharisticum *supposito* non esset idem cum cœlesti, ac proide *re* ab eo distingueretur. Idem vatet de *sanguine,* qui, etsi forte anima non informetur [23], est tamen de necessitate vitæ, ac proinde conjungi debet corpori vivo Christi [24].

195. **Tertia pars.** *Sub speciebus panis et vini adest Christus cum sua quantitate actu extensa et debita partium dispositione.* Nam quantitas est accidens reale et intrinsecum corpori, quod proinde ab illo vel absolute [25], vel saltem sine ejus mutatione nequit separari. — Porro quantitas corporis Christi esse debet in Eucharistia ita, ut actu partes extra partes extendat; ut enim præscindamus a quæstione de possibilitate quantitatis, quæ habeat solam aptitudinalem extensionem [26]; sub speciebus non est quantitas quæcumque, sed corporis Christi; hæc autem non sola aptitudine, sed actu partes extra partes extendit. — Partium actualem extensionem sequitur *situs,* seu membrorum dispositio plane necessaria ut corpus vivum, quod diversis organis instruitur, vivat. « Quamvis (ergo) non sit accipere ordinem partium corporis Christi secundum comparationem ad partes hostiæ, tamen est accipere ordinem partium ad invicem in corpore Christi secundum propriam quantitatem » [27]; etenim « quantitas dimensiva corporis alicujus non

---

[23] BILLOT *th.* 42 p. 437 cum S. THOM. *IV Dist.* 44 q. 1 a. 2 q. 2 ad 3 tenet sanguinem animam informari.

[24] Quæ diximus de sanguine, anima et divinitate sub speciebus *panis*, profecto valent de corpore, anima et divinitate sub speciebus *vini.*

[25] Nam corpus sine quantitate forte repugnat.

[26] Extensionem partium *essentialem* esse quantitati tenet BILLOT in q. 76 § 2 p. 411-2.

[27] S. THOM. *IV Dist.* 10 q. 1 a. 3 sol. 2 ad 2.

separatur secundum *esse* a substantia ejus »[28]; unde ubicumque est *esse* substantiæ, ibi quoque est quantitas ejus. Unde Ecclesia canit: « Nulla rei fit scissura, — signi tantum fit fractura, — qua *nec status, nec statura* — signati *minuitur* »[29],

196. **Quarta pars.** *Facta separatione partium specierum, sub singulis totus Christus invenitur.* **Ex Scripturis.** Nam Christus consecravit *unum panem* quem, frangens, distribuit Apostolis ut comederent, et *unum calicem* quem divisit inter eos ut omnes biberent[30]: atqui singuli Apostoli acceperunt corpus et sanguinem Christi[31]: ergo sub singulis specierum partibus est corpus et sanguis Christi; ubi autem est corpus et sanguis Christi, ibi vi concomitantiæ est totus Christus. — **Ex Patribus.** EUSEB. Emiss. super Exod. **16.** 18: *Nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus paraverat, reperit minus,* ait: « Corpus (Christi), sacerdote dispensante, *tantum est in exiguo quantum esse constat in toto;* quod dum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis »[32]. Similia habent ISIDOR. Hisp.[33] et AMBR., qui super idem testimonium inquit: « Plenius de sanguine Christi intelligitur, cujus ad gratiam nihil minuitur, nihil adjungitur. Et si parum sumas et si plurimum haurias, eadem perfecta est omnibus mensura redemptionis »[34]. CONFIRMATUR *ex praxi Ecclesiæ* quæ certe non divideret panem consecratum, nec calicem pluribus distribueret, si divisione cessaret præsentia Christi, vel ejus corpus scinderetur[35]. — **Ex ratione.** Nam quæcumque sententia teneatur de modo quo Christus con-

---

[28] S. THOM. 3 p. q. 76 a. 4.

[29] SEQUENT. Missæ *Corp. Chr.*

[30] Matth. **26.** 26-7.

[31] Apostolos sumpsisse corpus et sanguinem Domini, docet part. *enim* quæ Christi præsentia facit rationem sumptionis specierum.

[32] EUSEB. Emiss. apud GUITMUNDUM *De corp. et sang. Dom. I.*

[33] ISID. Hisp. Hom. *De corp. et sang. Dom.*

[34] AMBR. epist. 7 ad *Just.* n. 8.

[35] Antiquitatem hujus praxis constat ex picturis catacumbarum, quæ exhibent calicem cum ansis ad gestandum, et ex symbolico sensu *fractionis panis,* qua Eucharistiæ celebratio in *Act. Apost.* et primis operibus Patrum exprimitur. (Supra n. 147). — GUITM. *l. c.* hanc praxim illustrat antiqua *præfatione* in qua legebatur: « Singuli accipiunt C. D. et in *singulis* portionibus *totus* est, nec per singulos minuitur, sed *integrum* se præbet in singulis ». In SEQUENT. *Corp. Chr.* Ecclesia canit: « Fracto demum sacramento, — ne vacilles sed memento, — *tantum* esse sub fragmento, — *quantum* toto tegitur ».

stituitur sub speciebus, mera specierum divisio non destruit ejus præsentiam. Profecto, si ratio præsentiæ petitur a divina dispositione vel ab operatione terminante in corpus Christi, fractio specierum non removet præsentiam Christi, quia non mutat divinam voluntatem, et non exercetur in corpus Christi: si petitur a peculiari et intimo nexu corporis Christi ad species, fractione specierum præsentia Christi debet multiplicari, quia divisione species non corrumpuntur sed multiplicantur. Quod si, divisis speciebus, sub singula parte manet *Christus*, manet etiam *totus*, quia *vi concomitantiæ*, ubi est aliquid Christi, ibi est totus Christus.

197. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** *Vi verborum* in Eucharistia non est corpus quodcumque, sed *corpus Christi existens:* atqui corpus Christi constituitur in esse corporis *anima* intellectiva, et existit *persona* Verbi supplente defectum existentiæ creatæ: ergo anima et divinitas sunt in Eucharistia vi verborum. **Resp.** Anima intellectiva non est forma corporis prout est intelligens, sed prout forma superior continet inferiores; unde *vi verborum* est quidem anima, qua forma corporis, sed non qua est principium vitæ, et multo minus qua est principium intellectionis. Quod ergo etiam secundum hanc rationem inveniatur sub speciebus, non est vi verborum, sed *vi* illius *naturalis concomitantiæ* quæ in reali identitate fundatur [36]. Quod vero attinet ad divinitatem, nota corpus Christi existere quidem existentia Verbi [37], sed tali existentia non constitui in sua physica realitate corporis, quæ prædicato *corpus meum* exprimitur; et ideo divinitas adest sub speciebus *vi* illius *concomitantiæ* quæ fundatur in hypostatica unione, et non *vi verborum.*

198. **Objic. 2.** Si vi concomitantiæ essent sub speciebus omnia accidentia realia corporis Christi, in Eucharistia Christus haberet *locum cœleste:* atqui hoc repugnat: ergo. **Resp.** Ad præsentiam ex vi concomitantiæ non sufficit quod accidens sit reale, sed requiritur quod sit *intrinsecum;* si enim contingat « ut aliquid ab aliis rebus omnino sit sejunctum » [38] concomitantiæ legem non tenet: atqui « esse in loco est accidens per comparationem ad extrinsecum continens » [39], ac proinde est *accidens extrinsecum* corpori locato, et ab eo realiter separatum [40]: ergo.

---

[36] Cum *resurgens ex mortuis... mors illi* (Christo) *non dominabitur* (Rom. 6. 9), de facto repugnat animam intellectivam Christi cum ejus sanguine et divinitate non inveniri sub speciebus panis.

[37] Christi humanitatem non existere creatâ existentiâ sed existentiâ Verbi, explicavimus in tr. *De Verbo Incar.* n. 105 sqq.

[38] CATECH. ROM. *De Euch.* n. 34.

[39] S. THOM. 3 p. q. 76 a. 5 ad 3.

[40] Jam vidimus n. 205 *locum* esse in locante potiusquam in locato.

199. **Objic. 3.** Christus est præsens in Eucharia *vi consecrationis:* atqui verba operantur tantum quod significant: ergo quod non est *vi verborum* nullo modo adest. **Resp.** Ut aliquid fiat virtute formæ non est necesse quod a forma exprimatur directe et per se, sed sufficit quod exprimatur indirecte et per accidens [41]; quæ autem adsunt in Eucharistia *vi concomitantiæ* exprimuntur a verbis *indirecte,* prout scil. ea quæ propria significatione dicunt, sine istis adesse nequeunt.

ART. 8 - DE EUCHARISTICÆ PRÆSENTIÆ MODO (CATHOLICORUM DISPUTATIO).

200. **Quid locus.** Definitur ab Aristotele *terminus continentis immobilis primus* [1]. Dicitur *terminus* seu superficies corporis *continentis,* quia locus non provenit locato ex realitate recepta in se, sed ex habitudine ad corpus continens, sicut vestitum dicimus hominem per ordinem ad indumentum. Porro formalitas *continentis* ad contentum non pertinet ad corpus ratione substantiæ, sed quantitatis; nec cujusvis, sed illius quæ est in parte extrema: hinc locus dicitur *terminus* seu superficies; et quia superficies corporis potest aliquid continere proxime seu immediate, vel remote tantum seu mediantibus aliis corporibus, ut *locus* secernatur a spatio, dicitur *terminus primus.* Verum corpus, quod immediate sua superficie adhæret locato, esse potest mobile, ut aqua fluens; ne ergo locus concipiatur tamquam aliquid labile, dicitur terminus *immobilis.* — Ex his sequitur *a*) *locum* esse *accidens extrinsecum* locato; « non enim est locus corporis continentis, in quo est ut in subjecto, sed corporis contenti » [2]; et *b*) valde differre a *situ* qui importat « determinatam relationem partium ad invicem » [3], et est accidens intrinsecum [4].

201. **Quotuplici modo aliquid esse possit in loco.** Quadruplex distinctio attenditur in præsentia locali: prima respicit ipsam *naturam* præsentiæ, altera præsentiæ *causam,* tertia præsentiæ *radicem,* quarta præsentiæ *limites:* secundum primum aliquid esse potest in loco *localiter* vel *non localiter;* secundum alterum contactu *quantitatis* vel *virtutis;* secundum tertium ratione *sui* vel ratione *alterius;* secundum quartum

---

41 Supra n. 167 not. 23.

1 ARIST. *IV Phys.* c. 4, 212 a. 8 et 20.

2 S. THOM. *II Dist.* 12 a. 5 ad 2; *Metaphys.* XI lect. 9 in fine; 3 p. q. 76 a. 5 ad 3.

3 S. THOM. *Metaphys.* XI lect. 12; *IV Dist.* 10 q. 1 a. 3 sol. 4 ad 3.

4 Vocatur etiam *positio.* S. THOM. *IV Dist.* 10 q. 1 a. 3 sol. 1 ad 2. **NB.** Aliquando *situs* sumitur per ordinem ad locum, et tunc est accidens extrinsecum. S. THOM. *Physic.* III lect. 5; *Quodl.* III a. 7.

definitive vel *non definitive*. In loco *localiter* esse dicitur quod ibi invenitur juxta naturam loci, ac proinde primo et per se: et quia locus resultat ex coëxtensione partium locati ad partes locantis, in loco *ad modum loci* seu *localiter* est tantum illud quod sua quantitate adhæret corpori locanti: *non localiter* est in loco quod vel non habet partes coëxtendendas corpori locanti, vel, si habet, non ex illis mutuatur præsentiam, siquidem suis dimensionibus non tangit *extrema* corporis locantis. — Contactu *quantitatis* sunt in loco corpora quæ propriam quantitatem coëxtendunt quantitati corporis locantis [5]; contactu *virtutis* sunt in loco substantiæ spirituales [6], quæ, partium expertes, non possunt coëxtendi partibus corporis locantis, sed possunt agere in corpus locatum, et per eum adesse corpori locanti [7]. — In loco *ratione sui* esse dicitur quod sive immediate sive mediate, contactu quantitatis vel virtutis, titulo tamen sibi intrinseco, adest; *ratione alterius* illud adest quod invenitur titulo sibi extrinseco, v. g. ratione substantiæ conversæ in ipsum. — In loco *definitive*, ut ipsa etymologia vocis docet, est id cujus præsentiæ modus exhauritur a loco in quo est, quodque proinde eodem titulo quantitatis vel virtutis alibi esse nequit; *non definitive* adest quod pari ratione alibi esse potest [8].

---

[5] Non tantum corpora sunt in loco contactu quantitativo; sed ipso solo possunt propriam activitatem exerere. Ratio est quia « oportet omne agens *conjungi ei* in quod immediate agit et sua virtute illud *contingere* » (1 p. q. 8 a. 1): atqui corpus non potest sua substantia immediate alicui conjungi, siquidem proximum principium operationis creaturarum est accidens (S. THOM. I p. q. 54 a. 1 et 2; 77 a. 1; *Quodl.* X q. 3 a. 5), et omnia accidentia corporis inhærent quantitati, cujus contractus profecto est quantitativus: ergo.

[6] *Contactus virtutis,* inquit S. THOM. « est quidam modus contactus quo substantia intellectualis corpori misceri potest... Hic *tactus* differt a tactu corporeo in tribus: *Primo* quidem, quia hoc tactu id quod est indivisibile petest tangere divisibile; quod in tactu corporeo non potest accidere... *Secundo* quia tactus quantitatis est solum secundum ultima; tactus autem virtutis est ad totum quod tangitur.... *Tertio* quia in tactu quantitatis,... oportet esse tangens extrinsecum ei quod tangitur... tactus autem virtutis,... cum sit ad intima, facit substantiam tangentem esse intra id quod tangitur, et incedentem per ipsum absque impedimento ». *Cg.* II c. 56.

[7] S. THOM. I p. q. 8 a. 2 ad 1 et 2; qq. 52–3; *I Dist.* 38 q. 3 a. 1 ad 2.

[8] « Ad hoc, inquit S. THOM. *IV Dist.* 10 q. 1 a. 3 s. 2, quod aliquid sit in loco *definitive* duo requiruntur. Primum est ut competat *ibi esse* ei, quia quod non est in aliquo loco, non potest illo loco definiri. Secundum est quod sit ibi sicut in *loco commensurato* aliquo modo suæ quantitati vel virtuti. Corpus enim bicubitale non definitur loco unius cubiti, quamvis aliquo modo sit ibi; neque anima est definitive in manu, quia est in aliis partibus, eo quod non est in manu secundum totam virtutem suam ».

202. **Quomodo corpus sit in loco.** Corpus est in loco *localiter, definitive* et *circumscriptive.* Est in loco *localiter* quia « omnis actio corporalis requirit contactum; tactus autem corporalium consequitur quantitatem, quia nihil aliud est quam conjunctio terminorum duarum quantitatum »[9],in quo tandem formalis ratio loci consistit: est *definitive,* quia quantitas finita respondenti spatio exhauritur; unde « omne quod habet quantitatem finitam, oportet quod sit *definitive* in loco in quo est »[10]: est *circumscriptive,* quia quantitas unius corporis est continua, et ideo nequit simul inveniri in duobus locis dissitis; si autem tota simul invenitur in uno loco, ibidem circumscribitur[11]; « locus (enim) dicitur *circumscribere* locatum ex eo quod in circuitu describit figuram locati: quia loci proprii et locati oportet esse unam figuram »[12].

203. **Quomodo substantia corporalis sit in loco.** Non eodem modo est in loco *corpus* et *substantia corporalis;* corpus enim, utpote quantitate extensum, invenitur in loco primo et per se; at substantia corporalis a quantitate contradistinguitur[13], et hac mediante in loco constituitur. Jamvero sub quantitate substantia ita est, ut *a*) sit tota in tota quantitate et tota in singulis ejus partibus, *b*) unitatem et multiplicitatem mutuetur ex unione vel divisione suæ quantitatis, et *c*) per se nec videri, nec ponderari, nec moveri possit. — *a*) *Substantia est tota in tota quantitate et tota in singulis ejus partibus;* quia partes competunt substantiæ ratione quantitatis; unde « manifestum est quod natura substantiæ tota

---

9 S. THOM. *IV Dist.* 10 q. 1 a. 4 sol. 1.

10 S. THOM. *IV Dist.* 10 q. 1 a. 3 s. 2.

11 « Dicendum quod aliquod corpus esse localiter in aliquo loco, nihil est aliud quam corpus circumscribi et comprehendi a loco secundum commensurationem propriarum dimensionum. Quod autem comprehenditur a loco aliquo, ita est in ipso loco, quod nihil ejus est extra locum illum: unde ponere quod sit localiter in hoc loco, et tamen sit in alio loco, est ponere *contradictoria esse simul.* Unde secundum præmissa, *hoc a Deo fieri non potest* ». S. THOM. *Quodl.* III a. 3; 1 p. q. 8 a. 2 ad 3.

12 S. THOM. *IV Dist.* 10 q. 1 a. 3 s. 1. — **NB.** Cum repugnet vera replicatio secundum locum, dicendum quod *apparitiones* sanctorum sunt *æquivalentes* tantum, prout angeli effigiem apparentis efformant (S. THOM. *IV Dist.* 10 a. 4 q. 2 a. 2; 3 p. q. q. 76 a. 8). Hoc certe sufficit ad veritatem miraculi, quia nonnisi speciali Dei providentia id fieri potest (BENED. XIV *De Serv. Dei Beat.* IV p. 1 c. 32; cf. S. THOM. *IV Dist.* l. c. ad 2). Quod si apparitio est vera etiam materialiter, ut cum Paulo (1 Corinth. **9**. 1; **15**. 8) apparuit Christus, qui etiam in majestate veniet ad judicandum mundum (Matth. **25**. 31 sqq.), explicanda non est per *replicationem,* sed per *translationem* apparentis qui, relicto pristino loco, novum suscipit (S. THOM. 3 p. q. 57 a. 6 ad 3).

13 Cf. supra n. 183.

est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur; sicut sub qualibet parte panis est tota natura panis »[14]. *b) Unitatem et multiplicitatem mutuatur ex unione vel divisione suæ quantitatis,* quia « unitas rei consequitur *esse* ipsius: partes autem alicujus homogenei continui[15] ante divisionem non habent esse in actu, sed potentia tantum; et ideo nulla illarum habet unitatem propriam in actu; unde actu non est accipere ipsarum numerum, sed potentia tantum. Et propter hoc forma, quæ est tota in singulis partibus ejus, non dicitur ante divisionem esse ibi pluries actu, sed solum potentia; sed post divisionem multiplicatur secundum actum, sicut patet de anima in animalibus anulosis »[16]. *c) Non videtur,* quia visio determinatur a coloribus, qui in quantitate subjectantur: *non ponderatur,* quia pondus, ut scimus ex mathesi, sequitur quantitatem seu numerum partium, quibus gravitas inhæret: *non movetur,* quia « moveri in loco includit esse in loco »[17], unde substantia, quæ independenter a quantitate non est in loco, ex sese moveri non potest[18].

204. **De modo quo Christus est sub speciebus opiniones plurimæ.** Licet omnes theologi fateantur sub singulis speciebus esse integrum Christum cum sua quantitate, non tamen conveniunt de titulo et modo hujus præsentiæ. SUAREZ præsentiam sub speciebus petit ab extrinseco seu *ex pacto et libera institutione Dei*[19]: e RECENSIORIBUS multi in Eucharistia ponunt solam *radicalem* quantitatem[20] corporis Christi, cujus præsentiam comparant *præsentiæ animæ* in corpore[21], dicunt *multiplicem* imo et *infinitam* sub una specie, etiam ante ejus divisionem[22], Christum vero ita adesse concipiunt sub speciebus, ut sacramentali præsentiâ distet a corporibus circumstantibus et saltem divina virtute localiter possit *moveri*[23]: antiqui SCHOLASTICI quibus accedunt NEO-THOMISTÆ tenent *ex natura rei,* h. e. vi concomitantiæ, integrum Christum cum suis dimensionibus[24], « cum figura propria et sine aliqua contractione »[25] adesse sub speciebus; ibidem autem inveniri ad modum substantiæ, et conse-

---

[14] S. THOM. 3 p. q. 76 a. 3.

[15] S. THOM. exemplum sumit de corpore *homogeneo,* quia ibi unitas partium clarius apparet; idem tamen est dicendum de *organico,* in quo substantia *totalitate substantiæ* est ubique, etsi non sit ubique *totalitate potentiæ*. BILLOT p. 414-5.

[16] S. THOM. *IV Dist.* 10 q. 1 a. 3 sol. 3 ad 1.

[17] S. THOM. *l. c.* sol. 4.

[18] Jam supra *not. 5* ostendimus operationem corporum præsupponere contactum quantitativum.

[19] SUAREZ *De Euch.* Disp. 48 sect. 2.

[20] PESCH n. 741; SUAREZ, LUGO, LESSIUS, PLATEL apud *Billot* p. 426.

[21] PESCH n. 737.

[22] LESSIUS *De div. perf.* XII n. 124.

[23] SUAREZ Disp. 48 sect. 1 et Disp. 53 sect. 1 apud *Billot* p. 426-7.

[24] S. THOM. *Cg. IV* c. 64; BONAV. in *IV Dist.* 10 p. 1 a. 1 q. 4.

[25] ALB. MAG. in *IV Dist.* 13 a. 10 ad 2.

quenter comparari non posse ad corpora circumstantia, nec localiter moveri [26].

THES. 32. *Cum in Eucharistia Christus* – 1 *sit præsens ad modum substantiæ sub alienis speciebus,* — 2 *non adest localiter et circumscriptive sicut corpus in loco,* — 3 *neque definitive sicut angelus in loco adæquato,* – *neque* 4 *non definitive, eo modo quo Deus est ubique,* — *sed* 5 *modo quodam mirabili et singulari, proprio hujus sacramenti, scil. sacramentaliter.*

205. **Prima pars.** *Christus est in Ss. Sacramento ad modum substantiæ.* Nam *modus præsentiæ* ex eo debet metiri quod sub speciebus adest primo et per se, quodque est ratio præsentiæ aliorum: atqui primo et per se sub speciebus adest quod verba exprimunt, scil. substantia corporis et sanguinis Christi præcisive inspecta: ergo cetera omnia, ideoque et accidentia, ad modum substantiæ corporeæ adsunt [27]; unde « contrario ordine sunt ibi dimensiones propriæ corporis Christi et dimensiones locati corporis in loco. Corporis enim locati substantia non habet ordinem ad locum nisi mediantibus dimensionibus...; sed hic est e contrario, substantia corporis Christi per se immediate ordinatur ad hoc quod sit sub sacramento, et dimensiones ejus propriæ *ex consequenti* et *per accidens* » [28].

206. **Secunda pars.** *Christus in Ss. Sacramento non est localiter neque circumscriptive.* Nam « omne corpus locatum est in loco secundum modum quantitatis dimensivæ, inquantum scil. commensuratur loco secundum suam quantitatem dimensivam »: atqui corpus Christi non comparatur ad locum, ubi sunt species, ratione suæ dimensionis, quia non est earum subjectum: ergo « nullo modo corpus Christi est in sacramento localiter » [29]. Et ideo nec *circumscriptive;* loco enim circumscribitur quod suis dimensionibus habet ordinem ad locum; « quia ergo corpus Christi non habet ordinem ad species sub quibus continetur mediante quantitate... ideo neque figura corporis Christi respondet figuræ specierum... *Et ideo non est in Ss. Sacramento circumscriptive* » [30].

207. **Tertia pars.** *Christus in Ss. Sacramento non est definitive.* Nam *definitio* seu coarctatio præsentiæ sequitur limitationem radicis ipsius præsentiæ; ac proinde contingit quando titulus seu radix præsentiæ

---

[26] Cf. BILLOT *th.* 43-5 p. 439-60.

[27] « Cum, inquit S. THOM., nihil convertatur in corpus Christi de pane nisi substantia panis, quia accidentia manent, constat quod conversio illa *terminatur directe ad substantiam,* non autem ad accidentia, quia accidentia panis remanent; *et ideo* quantitas et alia accidentia propria corporis (Christi) non sunt ibi *ex vi sacramenti* ». S. THOM. *IV Dist.* q. 1 a. 2 sol. 3.

[28] S. THOM. *l. c.* ad 2.

[29] S. THOM. 3 p. q. 77 a. 5.

[30] S. THOM. *IV Dist.* 10 q. 1 a. 3 sol. 1.

est quid limitatum et intrinsecum rei præsenti: atqui Christus non est præsens sub speciebus ratione *suæ* quantitatis, neque ratione *suæ* virtutis, sed ratione conversionis substantiæ panis et vini in ipsum: ergo non est ibidem *definitive*[31].

208. **Quarta pars.** *Christus in Ss. Sacramento non est præsens non definitive eo modo quo Deus est ubique.* Nam Deus est ubique ratione *suæ* virtutis, Christus autem ratione conversionis substantiæ in ipsum: unde Deus, ex modo suæ præsentiæ habet ut semper ac necessario omnibus adsit; at Christus non est ubique, sed sub speciebus substantiæ in ipsum conversæ, nec semper, sed quousque species integræ manent.

209. **Quinta pars.** *Christus igitur est præsens modo quodam* MIRABILI *et* SINGULARI *hujus sacramenti proprio, ideoque* SACRAMENTALITER. Nam modus præsentiæ debet suæ causæ proportionari; si ergo Christus fit præsens sub speciebus transsubstantiatione, quæ est *conversio mirabilis et singularis*[32], etiam modus præsentiæ esse debet mirabilis et singularis « neque sensu, neque imaginatione perceptibilis »[33], omnino diversus a modo quo corpus et spiritus esse in loco intelliguntur. Quod si modus hujus præsentiæ quem, deficiente alia voce, dicimus *sacramentalem,* analogice explicandus foret, dicerem Christum esse sub speciebus ad *modum substantiæ,* ac proinde totum sub tota specie et totum sub singula ejus parte[34], et quia ibidem invenitur sub specie *aliena,* quæ ejus substantiam non afficit, secundum præsentiam sacramentalem non posse moveri localiter[35], nec videri, nec ponderari[36], sicut neque corrumpi[37], nec quidquam corporaliter agere[38]; hæc enim substantiæ con-

---

[31] « Corpus Christi, ait S. THOM., quamvis secundum veritatem sit sub speciebus, *non tamen competit ei ratione sui:* quia neque ratione suæ quantitatis, ut dictum est, neque ratione suæ virtutis, sed ratione illius quod in ipsum conversum est ibi præexistens, cujus dimensiones adhuc manent, quibus ad locum illum determinabatur; *et ideo non definitur loco illo,* sed simili modo potest esse alibi, ubicumque fuerint panis dimensiones conversi in ipsum ». S. THOM. *l. c.* sol. 2.

[32] Supra 165.

[33] S. THOM. 3 p. q. 76 a. 7.

[34] S. THOM. *IV Dist.* 10 q. 1 a. 3 sol. 3; 3 p. q. 76 a. 3.

[35] S. THOM. *IV Dist.* l. c. sol. 4; 3 p. q. 76 a. 4.

[36] S. THOM. *IV Dist.* l. c. a. 4 sol. 1; 3 p. q. 76 a. 7.

[37] « Cum Christus habeat de se esse indeficiens et incorruptibile, non desinit esse sub hoc sacramento, neque per hoc quod ipsum *desinat esse,* neque etiam per *motum localem* sui; sed solum per hoc quod species hujus sacramenti desinunt esse ». 3 p. q. 76 a. 6.

[38] Nam « omnis actio corporalis requirit contactum; tactus autem corporalium consequitur quantitatem... et ideo corpus Christi non tangit aërem circumstantem » (S. THOM. *IV Dist.* 1 q. 1 a. 4 sol. 1); unde non potest sua humanitate quidquam agere in corpora circumstantia.

veniunt prout ex sua quantitate partes, extensionem, activitatem et consequentem passibilitatem mutuatur [39].

210. **SCHOLION. De mirabilium Eucharistiæ unitate.** Nemo profecto ignorat multa in Eucharistia haberi, quæ naturæ cursui opponuntur, nec desunt theologi qui multitudinem miraculorum enumerant. Verum undenam probari poterit miraculorum multitudo, cum sacerdos instrumentali sua operatione unam practicam proferat propositionem? In sententia, quam defendimus, omnia ad unitatem revocantur. Revera si effectus verborum consecrationis est *transsubstantiatio* proprie dicta, seu transmutatio substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi, transsubstantiatione habebitur: 1 *cessatio substantiæ* panis et vini; quod enim in aliud convertitur a pristino statu cessat; — 2 *Christi præsentia* sub speciebus, siquidem substantia conversa in Christum erat sub speciebus panis et vini, et substantia, in quam alia convertitur, relationem ad accidentia hujus acquirit; — 3 *permanentia accidentium,* quia transsubstantiatio dicit conversionem *totius* et *solius* substantiæ in substantiam, et accidentia sunt præter rationem substantiæ. Posito autem quod conversâ substantiâ maneant accidentia, jam sequitur quod — 4 hæc sunt sine subjecto; quia vero retinent pristinam naturam, — 5 subjiciuntur *corruptioni,* et consequenter — 6 etiam *generationi* substantiæ quæ de pane et vino esset producta, siquidem, ut fert commune adagium, « corruptio unius est generatio alterius ». Porro modus præsentiæ procedit ex ejus radice: quia ergo Christus est præsens transsubstantiatione, cujus terminus formalis est substantia, Christus sub speciebus inveniri debet ad modum substantiæ sub aliena specie, ac proinde — 7 esse debet totus sub tota specie et totus sub singula ejus parte, ita ut — 8 specierum divisione multiplicetur ejus præsentia, et — 9 earum corruptione sine sui mutatione ejus eucharistica præsentia cesset.

Art. 9 - De Eucharistiæ fine et ministro.

211. **Errores - Veritas.** Eucharistiam ordinari ad *Communionem* omnes fassi sunt, sed esse objectum *cultus latriæ,* negatâ lege

---

39 Cave ne ex *modo* præsentiæ Christi reprobes piorum *allocutionem ad Eucharistiam.* Primo quidem quia Ecclesiæ praxis prævalet opinionibus theologorum, et secundo quia *cognitione intellectuali* Christus omnia audit et intelligit; voluit autem sub speciebus permanenter nobis adesse ut foveret nostram amicitiam, cujus signum et effectus est studiosa locutio ad amicum præsentem. Ex modo præsentiæ sub speciebus non sequitur inutilitas *orationum vocalium,* quæ pertinent ad cultum externum; sed potius Christum posse alloqui etiam *internis cogitationibus.*

concomitantiæ, impugnavit FOLCMARUS, et, præsentiâ Christi coarctatâ ad tempus sumptionis, respuerunt NOVATORES [1] qui insuper *potestatem conficiendi* hoc sacramentum post ALBIGENSES laicis quoque tribuerunt [2]. **Veritas** est definita in CONC. TRID. quod de *permanenti præsentia* Christi sub speciebus ait: « S. q. d. paracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem D. N. J. C., sed tantum in usu, dum sumitur...; a. s. »: de *adoratione:* « S. q. d. in sancto Eucharistiæ sacramento C. U. D. F., non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum...; a. s. »: de *ministro:* « S. q. d. non esse in N. T. sacerdotium visibile et externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini...; a. s. » [3].

THES. 35. *Cum Christus* — 1 *independenter ab usu seu sumptione permanenter adsit sub speciebus, certum est Eucharistiam non esse institutam* — 2 *pro sola Communione, sed* — 3 *ut latriæ cultu adoretur.*

212. **Prima pars.** *Sub speciebus independenter a sumptione permanenter adest Christus.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. Nam Christi præsentia debetur propositionibus *h. e. c. m. – h. e. s. m.* [4]: atqui hæ prop. sensum habent antecedenter et independenter a sumptione: ergo. ARGUM. 2. Nam Christus communionem non fecit causam vel conditionem suæ præsentiæ, sed corollarium ejus, ut patet ex part. *enim* [5]; Apostolus vero communicaturis præcipit ut judicent corpus Domini [6]: atqui corollarium supponit principium ex quo sequitur, et judicium suum objectum: ergo Christi præsentia communionem præcedit, nec proinde pendet ab ea. — **Patres,** ut vidimus, præsentiam Christi explicant transsubstantiatione quam

---

[1] E SCHOLASTICIS *sæc. 13* quidam opinarunt occasione magnarum profanationum, speciebus nondum corrumptis, Christum sacramentalem præsentiam relinquere; sed antiquata jam sententia reprobanda omnino est. HERGENR. IV p. 450.

[2] Supra n. 148.

[3] CONC. TRID. sess. 13 cn. 4 — cn. 6 — sess. 23 cn. 1.

[4] Supra th. 25.

[5] *Bibite... Hic est enim sanguis meus.* Matth. **26**. 27–8.

[6] *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit: non dijudicans corpus Domini.* 1 Corinth. **11**. 29. Scil. « Qui corpus Domini indigne manducat, judicium sibi manducat, *quia* corpus Domini non dijudicat ». CORNELY in *h. l.* p. 350.

verba consecratoria operantur [7]: atqui verba consecratoria a sumptione non pendent: ergo. Hinc CYRIL. Alex.: « Esse audio qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem juvare dicunt, *si quid ex ea fiat reliqui in aliam diem.* Insaniunt vero, qui hæc asserunt: neque enim alteratur Christus, neque sanctum ejus corpus immutatur, sed benedictionis vis ac facultas *perpetuo in ea existit* » [8]. — Confirmatur **ex praxi** Ecclesiæ, quæ innotescit *a*) ex sollicitudine colligendi fragmenta, quæ primis temporibus dabantur infantibus; *b*) ex conservatione Ss. Eucharistiæ, quæ tempore persecutionum domi ferebatur, *c*) et alias in Ecclesia servabatur; necnon ex *d*) cultu constanter præstito sacris speciebus [9].

213. **Secunda pars.** *Præcipuus Eucharistiæ finis est Ss. Communio.* Nam in **Scripturis** Christus, qui promiserat carnem suam ad *manducandum* et sanguinem suum ad *bibendum,* in ultima cœna panem et calicem consecratum dedit Apostolis ut *sumerent* [10]. **Patres** non solum *a*) loquuntur de Ss. Communione, sed *b*) ejus necessitatem testantur, *c*) frequentiam suadent, *d*) fructus concelebrant, et *e*) prærequisitum statum gratiæ urgent, ut ex infra dicendis apparebit. **Ratio** sumitur ex materia sacramenti; cibus enim et potus ad nutritionem ordinantur.

214. **Tertia pars.** *Christus sub speciebus latriæ cultu est adorandus.* Nam rei sacræ debetur cultus secundum suam naturam: atqui in Eucharistia est Christus, cui titulo hypostaticæ unionis debetur cultus latriæ: ergo. **Ex Patribus** AMBR. clamat: « Per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi, quam *hodieque in mysteriis adoratur* et quam apostoli in Domino Jesu adoraverunt » [11]. Et AUG.: « Converto me ad Christum... et invenio quomodo sine impietate adoretur terra... quia caro de terra est, et de carne Mariæ (Christus) carnem accepit... ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, *nisi prius adoraverit* » [12]. Similiter CYRIL. Hier. fidelem admonet « ut pronus et *adorationis in modum* ad Eucharistiam percipiendam accedat » [13]. CHRYS. nos hortatur ut, Magos imitantes, cum accedimus ad Eucharistiam « *adoraturi Christum,* omnia projiciamus e manibus » [14].

---

[7] Supra th. 28.
[8] CYRIL. Alex. ep. 83 ad *Calosyrium.*
[9] DE AUGUST. *De Euch.* th. 7.
[10] Joan. **6**. 52 sqq.; Matth. **26**. 26-7.
[11] AMBR. *De Spiritu S.* III n. 79.
[12] AUG. in *Ps.* **98** n. 9.
[13] CYRIL. Hier. *Catech.* V.
[14] CHRYS. in *Matth.* hom. 7; THEOD.

THES. 36. *Eucharistiam — 1 conficere solus sacerdos valet, — 2 distribuere autem in casu necessitatis etiam diaconus potest.*

215. **Prima pars.** *Solus sacerdos est minister confectionis Eucharistiæ.* Nam **Christus** solis Apostolis dixit: *hoc facite in meam commemorationem* [15]. **E Patribus** conferri possunt JUST. M., TERTUL., CYPR., ORIG., EPIPH., CHRYS., HIER., GAUD. Brix., ISID. Pelus. [16]. Accedit **praxis Ecclesiæ.** « Constat enim ex ecclesiasticæ historiæ monumentis notissimis sacerdotes, summo cum vitæ periculo, carceres penetrasse, ubi Martyres detinebantur, ut ibi sacra peragerent, et athletas Christi ad extremum certamen roborarent. Constat anachoretas Ægypti et Thebaidis acceptam a sacerdote Eucharistiam, ne ea privarentur, cautissime, diuturno tempore, custodisse. Constat laicos, qui quandoque infideles ad Christi fidem adduxerant, statim, longis quidem itineribus, ad antistites accurrisse, ut ab eis sacerdotes obtinerent, qui neophytis sacramenta conferrent. Demum constat eos, qui sacerdotio initiati non erant, numquam Eucharistiam confecisse. Quæ omnia plane ostendunt penes sacerdotes tantum potestatem esse hoc sacramentum conficiendi » [17]. Præcipua **ratio** sumitur ex notione sacrificii; ut enim mox videbimus, Eucharistia conficitur celebratione sacrificii N. T.: atqui sacrificiorum oblatio spectat ad sacerdotem, qui *ex hominibus assumitur ut offerat dona et sacrificia* [18]: ergo.

Stud. apud *Hurter* n. 481. ANONYM. quidam sæc. 11 apud *Migne* 143 col. 1215 sic redarguit græcos schismaticos, respuentes Eucharistiam in axymis confectam: « Nihil est medium: aut *corpus est Christi,* et *omnibus adorandum:* aut corpus ejus non est et ut idolum contemnendum. Sed unde probas, quod corpus ejus non fiat, cum nullus doctorum hoc sapiat? ».

[15] Luc. **22**. 19. – Apostolos tunc non repræsentasse universalitatem fidelium constat *a) ex natura rei,* siquidem agebatur de Eucharistia *aliis* distribuenda, et de potestate *ministeriali* eorum propria (1 Corinth. **4**. 1), et *b)* quia *Patres* sic semper intellexerunt.

[16] JUST. M. *Apol.* 1 n. 63; TERTUL. *De præsc.* c. 41; CYPR. *epist.* 4; ORIG. in *Num.* hom. 4 n. 3; EPIPH. Hær. 79 n. 4; HIER. *Adv. Lucif.* n. 21; CHRYS. *De Sacerd.* III n. 4; GAUD. Brix. *De Exod.* lect. 2; ISID. Pelus. *epist.* III ep. 75.

[17] DE AUGUST. p. 661-2.

[18] *Ex officio* distribuere communionem pertinet ad pastores animarum qui debent oves suas pascere; *ex privilegio* vero *de consensu parochi* quilibet sacerdos. Imo ex consuetudine hodie vigente, cum licentia celebrandi datur, facultas distribuendi Eucharistiam subintelligitur, nisi agatur de Communione Paschali.

216. **Secunda pars.** *Dispensationis minister ordinarius est sacerdos, extraordinarius diaconus.* Minister *ordinarius* est sacerdos quia confectio connaturaliter ad distributionem ordinatur [19]. Diaconum vero esse ministrum *extraordinarium* constat ex antiqua praxi Ecclesiæ; legimus enim in lib. CONST. APOST.: « Diaconus non benedicit... non baptizat, non offert; ipse vero, cum episcopus vel presbyter obtulit, dat populo, non tamquam sacerdos, sed tamquam ministrans sacerdotibus. Nulli autem ex reliquis clericis licet opus diaconi facere » [19]. **Ratio** patet ex dictis de baptismo; siquidem etiam pro valida administratione hujus sacramenti non requiritur potestas ordinis, et diaconus, ut minister supremus, potest rationabili de causa sacerdotem supplere in his quæ ordinis potestatem non exigunt [20].

ART. 10 - DE EUCHARISTIÆ EFFECTU.

217. **Quomodo Eucharistia suos fructus operetur.** Quidam putantes Christum in Eucharistia physice nobis commisceri [1], ejus fructus habuerunt corollarium consecrationis nostræ carnis [2], vel effectum operationis theandricæ, qua Christus, sua carne tangens [3], eam sanctificat; sed ex prædictis constat nullum esse contactum physicum sumentis Eucharistiam ad corpus Christi, nec ullam possibilem actionem nostri ad illum, vel ejus ad nos [4]. Eucharistia, non minus quam cetera sacramenta, est signum symbolicum practicum gratiæ, quam *significando* causat. Quia vero res significatæ ab hoc sacramento sunt multæ, nec omnes pari ratione expressæ; sequitur aliquos Eucharistiæ fructus a solo fervido obtineri, alios vero indirecte tantum percipi. *Directe* Eucharistia confert gratiam sanctificantem, excitat fervorem caritatis, remittit pœnas temporales, et tribuit jus ad gratias actuales pro tempore opportuno: *indirecte* et consequenter remittit venialia [5], et operatur vitam æternam [6], ac resurrectionem corpo-

---

[19] CONST. APOST. VIII c. 28.

[20] Quando in præsenti disciplina liceat diacono Eucharistiam distribuere, videbis apud moralistas.

[1] Apud SUAREZ *De Euch.* Disp. 44 sect. 3.

[2] PESCH n. 797.

[3] FRANZ. *th.* **18** p. 299 sqq.

[4] Supra n. 209.

[5] S. THOM. 3 p. q. 79 a. 4; opusc. meum *De Nat. Pecc.* p. 293-329.

[6] Scil. Eucharistia non confert donum perseverantiæ finalis, sed « dat virtutem perveniendi ad gloriam, et ideo viaticum (quoque) dicitur in cujus figuram legitur quod Elias comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb ». S. Thom. 3 p. q. 70 a. 2 ad 1.

rum [7]. *Semper* suscipienti in statu gratiæ confert augmentum gratiæ sanctificantis, et jus ad gratias actuales [8], sed pro excitatione fervoris caritatis prærequirit *devotionem* [9], et pro remissione venialium eorum detestationem [10].

218. **Errores - Veritas.** De Eucharistiæ *fructu* errarunt sæc. 16 LUTH., KEMN., CALV., nostris autem temporibus MARIAVITÆ eam dicentes medium pro remissione peccatorum [11]. **Veritas** est definita in CONC. TRID.: « S. q. d. vel præcipuum fructum Ss. Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; a. s. » [12].

THES. 37. *Eucharistiæ fructus — 1 non est remissio mortalium peccatorum, sed — 2 intima unio cum Christo per augmentum gratiæ sanctificantis.*

219. **Prima pars.** *Fructus Eucharistiæ non est remissio mortalium.* Nam in **Scripturis** *a*) Eucharistia proponitur uti medium ad vitam spiritualem conservandam [13]: atqui conservatur quod jam

---

[7] « Resurrectionem gloriosam quod attinet, non est cogitandum cum paucis quibusdam theologis de qualitate aliqua physica, quæ manens in nostris corporibus instar seminis, sit radix futuræ resurrectionis; sed satis est, quod Christus Dominus carnem nostram ex affinitate, quæ per (mysticam) conjunctionem Eucharisticam oritur, specialiter ut carnem suam considerat conformandam ipsi exemplari in gloria resurrectionis, et quod ex Eucharistia, ut a Christo est instituta, oritur in ipso corpore suscipientium peculiaris titulus et congruentia ad eamdem resurrectionem ». FRANZ. *De Euch.* th. 19 p. 305-6. **NB.** Si quis in remissione *pœnæ temporalis,* non considerat modum relaxationis, sed *titulum* ejus, dicendum est pœnas remitti « *ex consequenti* per quamdam concomitantiam ad principalem effectum » S. THOM. 3 p. q. 79 a. 5.

[8] Profecto *sufficientes;* nam *efficaces* a libera Dei voluntate pendent.

[9] « Ratio est quia ad omnem effectum ex opere operato requiritur carentia dispositionis contrariæ... sed divagatio mentis, ex quacumque causa procedat (etiam naturali et non culpabili), est impedimentum ad audiendam vocem Dei actu pulsantis cor, adeoque est obex ad fervidos actus, qui ex auditione consequuntur ». BILLOT *th.* 52 p. 508.

[10] Cum Eucharistia excitet fervorem caritatis, movet ad detestationem venialium; quia tamen fervor caritatis non ex æquo omnibus venialibus contradicit, hæc non semper omnia et simul Eucharistiâ remittuntur. S. THOM. *IV Dist.* 16 q. 2 a. 1 ad 2.

[11] Supra n. 148.

[12] CONC. TRID. sess. 13 cn. 5.

[13] *Ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur* (Joan. 6. 50): *si quis manducaverit... vivet in æternum* (v. 52): *nisi manducaveritis... non habebitis vitam* (v. 54): *qui manducat me, et ipse vivet propter me* (v. 58).

possidetur: ergo. *b*) Apostolus clamat: *Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat, et de calice bibat, qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit non dijudicans corpus Domini* [14]: atqui indignitas, de qua loquitur Apostolus, est conscientia peccati: ergo conscius peccati accedere non debet ad Eucharistiam. PROB. MIN. *Ex natura rei;* nam indignitas [15], quam considerat Apostolus, respicit excellentiam et dignitatem Domini, cui non sola infidelitas opponitur, sed immunditia externa in V. T. [16], interna seu peccati in N. T. [17]: *ex contextu,* nam Apostolus hæc non adducit contra incredulos, sed contra eos qui immoderate et laute epulabantur, contemptis pauperibus [18]: *ex traditione,* nam ad Eucharistiam suscipiendam « ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat » [19]. — **Ex Patribus** CYPR. communicantes in peccato postponit idololatris [20], et TERTUL. crucifixoribus Christi coëquat eos qui, idolorum cultu contaminati, violentas manus corpori Domini audent admovere [21]. CHRYS. ait: « Si humanum vestimentum, nemo ausus fuerit temere tangere, quomodo corpus universorum Dei immaculatum et purum... cum tanta contumelia accipiemus? Ne, quæso, ne nos jugulemus per impudentiam; sed cum horrore et puritate omni ad ipsum accedamus » [22]. Et ISID. PELUS.: « Si (quis) in linteum et vas sordi-

---

[14] 1 Corinth. **11**. 28-9.

[15] Adv. *indigne* plures text. græc. omittunt, sed lect. *Vulg.* esse omnino retinendam docet contextus, qui exigit ut sumens Eucharistiam *probum* se inveniat, ne in condemnationem incidat.

[16] *Mundamini qui fertis vasa Domini* Isai. **52**. 11.

[17] *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate... Quæ autem conventio Christi ad Belial?* 2 Corint. **6**. 14-5.

[18] 1 Corinth. **11**. 20-2. **NB.** Qui cum CORNELY in *h. l.* p. 351, testimonium explicat de peccatis *venialibus,* argumentum non infirmat; licet enim ex « pœnis recensitis, de peccato gravi Corinthiorum, quod pœna æterna sit plectendum, cogitare non cogamur (in textu S. Pauli); recte tamen colligimus, communionem vere indignam (mortali peccato) mereri pœnam multo graviorem eamque æternam, si communio minus digna a justo judice tam graviter jam in hac terra plectitur ».

[19] CONC. TRID. sess. 13 cp. 7.

[20] « Vim inferunt corpori ejus et plus modo in Deum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt ». CYPR. *De Lapsis* n. 15.

[21] « Semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt ». TERTUL. *De idol.* c. 7.

[22] CHRYS. in 1 *Corinth.* hom. 24; ORIG. in *Ps.* **27** hom. 2 n. 6; BASIL. *Regul. brev.* tr. 172; AUG. *Ad Januar.* epist. 54 (alias 118) n. 3.

dum non mittere illud audet, quanto magis in corde polluto! quam immunditiam Deus super omnia execratur, et quæ sola injuria ejus est corpori. Nam et Joseph ille justus propterea sindone *munda* involutum in sepulchro *novo* corpus Domini sepelivit, præfigurans corpus Domini accepturos tam *mundam* mentem debere habere, quam *novam* » [23]. — **Ratio** sumitur ex materia sacramenti; sicut enim in naturalibus nutritio supponit vitam, ita « nemo cibum accipit Christi nisi fuerit ante sanatus. Et illi, qui vocantur ad cœnam, prius vocando sanantur... ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensæ cœlestis exuberet » [24]. Ceterum, ut audivimus ad ISIDORO, sancta sancte sunt tractanda; ergo « Christi sacramenta aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est » [25].

220. **Pars secunda.** *Proprius Eucharistiæ effectus est mystica unio cum Christo, quæ augmento gratiæ sanctificatis perficitur.* Nam in **Scripturis** non solum aperte Christus dicit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo* [26], sed ex hac unione deducit perseverantiam in bono et gloriosam resurrectionem: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me... qui manducat hunc panem, vivet in æternum* [27]. — **Ex Patribus.** CYRIL. Alex. affirmat Eucharistiâ nos Christo uniri sicut duæ ceræ quæ simul funduntur: « Sicut si quis ceram alteri ceræ conjunxerit, et igne simul liquaverit, unum aliquid ex ambabus efficit, ita per corporis Christi et sanguinis participationem *ipse quidem in nobis, nos autem in eo simul unimur* » [28]. CHRYS. docet ita nos Christo Eucharistia uniri, « ut unum aliquid simus, sicut corpus junctum capiti... Unum corpus efficimur, membra ex carne ejus et ex ossibus ejus... Non solum per dilectionem, sed etiam *secundum rem ipsam cum illa carne commiscemur* » [29]. Etiam HILAR. contra Arianos scribit Eucharistiâ nos Christo uniri naturaliter et non sola voluntate [30]. — **Ratio** iterum petitur a sacramenti materia; sacramentorum

---

[23] ISID. Pelus. apud CORNELY in 1 *Corinth.* p. 349.

[24] AMBR. in *Luc.* VI n. 70.

[25] AUG. in *Joan.* tr. 26 n. 19. Et n. 11: « Panem cœlestem spiritaliter manducate, *innocentiam* ad altare apportate ».

[26] Joan. **6**. 56-7.

[27] Joan. **6**. 58-9.

[28] CYRIL. Alex. in *Joan.* X c. 2.

[29] CHRYS. in *Joan.* hom. 45 n. 3.

[30] HILAR. *De Trin.* VIII n. 13-7.

enim effectus significatione regitur: atqui Eucharistia est instituta adinstar cibi et potus, qui manducanti et bibenti intime conjunguntur: ergo vi hujus sacramenti Christus intime conjungitur communicanti. Hanc autem conjunctionem fieri augmento gratiæ sanctificantis, constat ex tr. *de Gratia* [31]. Ut autem percipias quomodo effectus omnis gratiæ, speciali ratione conveniat huic sacramento, nota a gratia communi [32] et ab aliis sacramentis [33] *incorporationem* cum Christo obtineri *indirecte* et *ex consequenti,* ab Eucharistia vero *primo* et *per se;* nam hic Christus « nobis intime unitur ad perficiendam vitam et unionem caritatis cum ipso et inter nos invicem atque ad hanc conservandam, non propter finem alium distinctum, sed ad unionem caritatis propter se ipsam » [34]. — Et « quia omne sacramentum per gratiam sibi propriam alligat vulnus naturæ lapsæ, quod suo proprio fini contrariatur, consequenter dicendum videtur medicinalem Eucharistiæ ligaturam apponi contra illud naturæ corruptæ vulnus, a quo provenit ut tam facile unusquisque ad suam modicam personam omnia referat ut ad finem (scil. contra *superbiam),* cum nihil sit quod magis directe impediat caritatem Dei et proximi » [35].

THES. 38. *Inter Eucharistiæ effectus recenseri debent:* — 1 *fidelium unio ac concordia,* — 2 *spiritualis animæ refectio,* — 3 *præservatio a mortalibus,* — 4 *venialium remissio,* — 5 *gloriosa resurrectio, et* — 6 *spiritualis animæ dulcedo.*

221. **Prima pars.** *Eucharistia producit fidelium unionem ac concordiam.* Nam in **Scripturis** Apostolus ait: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus* [36]: atqui *panis* de quo loquitur Apostolus est Eucharistia: ergo Eucharistiæ effectus est unio fidelium. **Ex Patribus** celebre est testimonium AUG.: « O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum charitatis! Qui vult vivere... non abhorreat a compagine

---

[31] Vol. 3 n. 433.

[32] Effectus *directus* gratiæ *communis* est sanctificatio, ad quam tamquam medium ordinatur conjunctio cum Christo, *qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* 1 Corinth. **1.** 30.

[33] *Baptismo* v. g. incorporamur Christo ut mundemur a peccatis, *confirmatione* et *ordine* ut deputemur ad sacra officia.

[34] FRANZ. *th.* 17 p. 296.

[35] BILLOT in quæst. 79 p. 498.

[36] 1 Corinth. **10.** 17.

membrorum »; Eucharistiâ enim efficitur « societas ipsa sanctorum, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta »[37]. **Ratio** sumitur ex effectu primario et ex materia sacramenti. *Ex effectu primario* siquidem caritas proximi re non distinguitur a caritate Dei[38]: atqui Eucharistia auget caritatem, qua Christo unimur[39]: ergo. *Ex materia,* nam ut repræsentaretur fidelium incorporatio « D. N. J. C. corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confit: aliud in unum ex multis acinis confluit »[40].

222. **Secunda pars.** *Eucharistia spiritualiter animam reficit.* **Ex Scripturis.** Nam Christus dicit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*[41]: atqui *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum*[42]: ergo Eucharistiâ fit illa virium restauratio, quæ in figura contigit Eliæ qui, fugiens a facie Jezabel, cum defatigatus obdormisset in deserto, ab angelo excitatus, *comedit* (panem subcinericium)... *et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb*[43]. **Ex Patribus** TERTUL. ait: « Caro corpore et sanguine Christi vescitur ut et *anima de Deo saginetur* »[44]. CHRYS.: « Qui pastor propriis suis membris nutrit oves? et quid dico pastor? matres sæpe sunt, quæ post partus dolores tradunt infantes aliis nutricibus. Ipse autem hoc non est passus, sed ipse *nos nutrit proprio sanguine,* et per omnia nos sibi ipsi conjungit »[45]. AUG. inducit Christum dicentem: « Cibus sum grandium, cresce et manducabis: nec tu me in te mutabis, sicut cibus carnis tuæ, sed tu mutaberis in me »[46]. **Ratio** iterum sumitur ex materia sacramenti, quæ corporali nutritione exprimit spiritualem. Sicut énim corporalis refectio non perficitur solo virium augmento, sed actuali earum excitatione; ita spiritualis

---

[37] AUG. in *Joan.* tr. 26 n. 13 sqq.; CYPR. ad *Cæcil.* epist. 63, ad *Magnum* epist. 76; GLOS. ORD. in 1 *Corinth.* **10**; S. THOM. 3 p. q. 74 a. 1.

[38] Vol. 3 n. 534.

[39] Supra n. 220.

[40] AUG. in *Joan.* tr. 26 n. 17.

[41] Joan. **6**. 57.

[42] Joan. **15**. 5.

[43] 3 Reg. **19**. 8.

[44] TERTUL. *De resus. car.* c. 8.

[45] CHRYS. in *Matth.* hom. 82.

[46] AUG. *Confes.* VII c. 10; GREG. Nyss. *Or. Catech.* c. 37. Cur Christus nos in se transmutet, et non e converso, ALB. MAGN. IV Dist. 9 a. 4 ad 1 deducit ex superioritate Christi; siquidem quod est *fortius,* mutat in se quod est *debilius.*

non absolvitur augmento gratiæ sanctificantis et acquisitione juris ad gratias actuales pro tempore opportuno, sed, nisi obstet mentis evagatio[47], affert actualem excitationem virtutum per caritatis fervorem [48].

223. **Tertia pars.** *Eucharistia præservat a mortalibus.* Nam in **Scripturis** Christus ait: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me... qui manducat hunc panem, vivet in æternum* [49]: atqui *vita,* de qua loquitur Christus, est præcipue vita gratiæ: ergo Eucharistiæ fructus est perseverantia in gratia. **Patres** hunc fructum illustrant dicendo Eucharistiâ *concupiscentiam* refrenari et *dæmones* compegi. « Christus, inquit CYRIL. Alex., existens in nobis, *sopit sævientem* in membris nostris *carnis legem,* et pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat, delicta (venialia), in quibus sumus, nobis non imputans, sed potius ut ægrotos sanans » [50]. Similiter CHRYS. « Eucharistia *æstum fugat* et adusta omnia refrigerat, non quæ ex solis ardore æstuant, sed quæ *sagittis ignitis* (scil. concupiscentiæ) exusta sunt » [51]. Et FIRMIC. MATER.: « Christi immortalem sanguinem bibimus, nostro sanguini adjunctus est. Hoc est salutare remedium, quod a Dei plebe *mortiferum virus* (concupiscentiam serpentis infectione derivatam) excludit » [52]. De fuga dæmonum loquitur CHRYS.: « Ut leones, inquit, flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo » [53]. Et AMBR.: « Cum hospitium tuum *adversarius* viderit occupatum cœlestis fulgore præsentiæ (Christi), intelligens locum tentamentis suis interclusum esse per Christum, *fuget* ac *recedet,* et tu mediam noctem sine ulla offensione transibis » [54]. **Ratio** est quia cibus et potus ordinantur ad servandam vitam spiritualem quæ peccatis amittitur. « Cum cibo et potu, inquit AUG., id appetant homines ut non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus et potus qui eos, a quibus

---

[47] Supra n. 217.

[48] « Per hoc sacramentum, inquit S. THOM. 3 p. q. 79 a. 1 ad 2, quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiæ et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum... Et inde est quod ex virtute hujus sacramenti... anima spiritualiter delectatur, et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ, secundum illud Cant. **5**. 1: *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi* ».

[49] Joan. **6**. 8-9.

[50] CYRIL. Alex. in *Joan.* IV c. 17.

[51] CHRYS. in *Joan.* hom. 46 n. 4.

[52] FIRM. MATERNUS *De err. prof. relig.* c. 22: BERNARD. supra n. 46.

[53] CHRYS. in *Joan.* hom. 45.

[54] AMBR. in *Ps.* **118** n. 48; CYPR. *epist.* 63 n. 11; CYRIL. Alex. in *Ps.* **22**. 5; P. DAM. II *epist.* 11; etc.

sumitur, immortales et incorruptibiles facit in societate sanctorum, ubi pax erit, et unitas plena atque perfecta »[55].

224. **Quarta pars.** *Eucharistia remittit venialia.* « Nam hoc sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi est necessarium corpori ad restaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ, per peccata venialia, quæ diminuunt fervorem charitatis... Et ideo competit huic sacramento ut remittat peccata venialia »[56], et « ex consequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur *remissionem pœnæ*, non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis et fervoris »[57]. Hinc AMBR. dicit quod « iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis »[58]; et INNOC. III ait quod Eucharistia « venialia delet et cavet mortalia »[59].

225. **Quinta pars.** *Eucharistia operatur gloriosam resurrectionem.* Nam in **Scripturis** Christus manducantibus se promittit *vitam æternam*[60], quæ si *per se* vitam corporis jam includit, in *contextu* adhuc magis exigit, siquidem agitur de vita quæ opponitur morti hebræorum in deserto et possidetur resurrectione[61]. **Patres** sæpe loquuntur de resurrectione, quæ sacram synaxim consequitur. IGNAT. M. hortatur Docetas ut, confessa veritate carnis Christi, hanc in Eucharistia sumant ut resurrectionem gloriosam consequantur[62]. IREN. ait: « Corpora nostra percipientia Eucharistiam jam *non sunt corruptibilia*, spem resurrectionis habentia »[63]. Similiter GREG. Nyss.: « Dispensatione gratiæ se ipsum per carnem inserit omnibus fidelibus, commixtus corporibus fidelium, quibus ex pane et vino substantia est, ut unione cum immortali etiam homo particeps fiat incorruptionis »[64]. Et CYRIL. Alex.: « Habet hæc caro Dei Verbum, quod naturaliter *vita* est, propterea dicit: *Quia ego resuscitabo eum in novissimo die*... Et quemadmodum si quis scintillam ignis in fœno aut palea occultaverit, totum inde ignitum necessario fiet: sic Verbum Dei tamquam scintilla in

---

[55] AUG. in *Joan.* tr. 26 n. 17.
[56] S. THOM. 3 p. q. 79 a. 4.
[57] S. THOM. 3 p. q. 79 a. 5.
[58] AMBR. *De Sacr.* V c. 4.
[59] INNOC. III *De Myst. Miss.* IV c. 44.
[60] Joan. 6. 50, 52, 55, etc.
[61] Joan. 6. 49-50, 55.
[62] IGNAT. M. *Ad Smyr.* c. 7.
[63] IREN. *Adv. hær.* IV c. 18 n. 5.
[64] GREG. Nyss. *Operum* II p. 537.

naturam nostram immissum, totam inde inflammavit atque ad vitam, *interitu destructo*, reduxit » [65]. **Ratio** est quia Eucharistia Christo conjungimur, et ideo proprietates corporis ejus mutuamur: atqui Christus resurrexit: ergo.

226. **Sexta pars.** *Eucharistia affert spiritualem animæ dulcedinem.* Nam cibus non solum vires reficit, sed, debite sumptus, delectat, secundum illud: *vinum lætificat cor hominis* [66]; quia itaque Eucharistia est convivium pinguium medullatorum ac vindemiæ defæcatæ [67], necnon cœna magna a Domino parata [68], etiam gaudium ac spiritualem dulcedinem debet afferre. Hinc in sacra Liturgia Eucharistia vocatur *mel, panis suavissimus, panis omne delectamentum in se habens, adeps frumenti, calix inebrians, vinum quod lætificat cor hominis* [69].

ART. 11 – DE EUCHARISTIÆ NECESSITATE ET SUBJECTO.

227. **Quæ Eucharistiæ necessitas.** Disputant theologi an necessitas Communionis sit *medii*, vel solius *præcepti*. Jamvero si *medium* consideratur in ordine ad consecutionem ultimi finis, negandum est, siquidem Eucharistia non est ordinata ad acquirendam gratiam, qua vita æterna possidetur; sed si agitur de perseverantia in bono, affirmari debet, quia Christus constantiam in justitia dixit effectum manducationis suæ carnis et potus sui sanguinis. Cum vero necessitas medii, quæ positiva institutione est inducta, possit suppleri voto [1], « perceptio Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam (spiritualem vitam), non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam haberi *in voto* » [2]. « Frustra tamen esset votum, nisi impleretur quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini... Ex statuto autem Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum » [3].

228. **Errores – Veritas.** Quoad *necessitatem* Eucharistiæ peccaverunt excessu LUTHERANI, JEREM. Cp., ROSMINI et MARIAVITÆ eam dicentes de necessitate salutis etiam pro parvulis, defectu CALVINISTÆ præceptum de annuali Communione blasphemantes

---

65 CYRIL. Alex. in *Joan.* IV c. 15; c. 18, etc.
66 Ps. **103**. 15.
67 Isai. **25**. 6.
68 Luc. **14**. 16.
69 LITURG. in Off. *Corporis Chr.*; S. THOM. 3 p. q. 81 a. 1 ad 3.
1 Supra n. 119.
2 S. THOM. 3 p. q. 73 a. 3.
3 S. THOM. 3 p. q. 80 a. 11.

diaboli inventum: quoad *modum* sumendi erraverunt HUSSITÆ, LUTH. et CALV. propugnantes necessitatem communionis sub utraque specie: quoad *dispositiones* excessu ruerunt JANSENISTÆ eximiam animi puritatem et intensum fervorem requirentes pro Communione maxime frequenti, defectu vero NOVATORES necessitatem gratiæ non agnoscentes [4]. **Veritas** definita est in CONC. TRID. quod *absolutam necessitatem* Communionis exclusit, docens sufficientiam status gratiæ ad salutem [5] et non necessitatem Eucharistiæ pro parvulis [6]; *relativam* vero firmavit dicens: « S. q. negaverit, omnes, et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ; a. s. » [7]: quoad *sufficientiam* communionis *sub alterutra specie,* decrevit: « S. q. d. ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes, et singulos Christi fideles utramque speciem sacramenti sumere debere; a. s. » [8]: quoad *necessitatem gratiæ;* « S. q. d. solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, a. s. » [9]: pro *communione* autem *frequenti* intensum fervorem non requiri, constat ex silentio CONC. TRID. et ex declaratione S. C. C. exigentis tantum statum gratiæ et rectitudinem mentis [10].

THES. 39. *Ss. Communio — 1 non est de absoluta necessitate salutis; — 2 pro non sacrificantibus vero, sub alterutra tantum specie sufficit.*

229. **Prima pars.** *Simpliciter loquendo* [11] *Eucharistia non est de necessitate salutis.* Eucharistia non est necessaria *in re,* quia

---

[4] Supra n. 148.

[5] CONC. TRID. Sess. 6 cp. 16.

[6] « S. q. d. parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem; a. s. ». CONC. TRID. sess. 21 cn. 4.

[7] CONC. TRID. sess. 13 cn. 9. **NB.** Discretionis annum non *quasi pubertatis* sed *rationis* esse, declaravit S. C. *20 Decem.* 1905; unde ad Card. Aiguirre 5 Junii 1911 PIUS X scribebat: « Intelligitis autem ipsi in pia religiosaque communicatione Sacramenti vivifici esse omnia; ob eamque causam in primis oportere apud christianos, non tantum qui adulta ætate, sed quicumque *rationis sunt compotes,* ut usus Eucharistiæ frequens atque adeo quotidianus invalescat ».

[8] CONC. TRID. sess. 21 cn. 1. Hoc jam definitum fuerat contra *Hussitas* in CONC. CONST. sess. 13.

[9] CONC. TRID. sess. 13 cn. 11; cn. 5.

[10] « Caveant confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in *statu gratiæ* reperitur et *recta mente* accedat ». S. CONG. CONC. 20 Dec. 1905.

[11] *Sipliciter loquendo,* nam *secundum quid* seu *finaliter* et *inchoative* Eucha-

quælibet gratia sanctificans, confert jus ad vitam æternam: atqui ante susceptionem Eucharistiæ, baptismo, pœnitentia, caritate perfecta quis potest justificari: ergo. Non est necessaria *in voto,* quia votum sacramenti requiritur quando ex voluntate Christi gratia sanctificans non obtinetur independenter a sacramento: atqui gratia baptismi et pœnitentiæ est independens ab Eucharistia: ergo ad salutem nec Eucharistiæ votum est necessarium.

230. **Secunda pars.** *Nulla est necessitas pro non sacrificantibus* [12] *communicandi sub utraque specie.* Si quæ esset necessitas communionis sub utraque specie pro non sacrificantibus, *a*) vel esset ex parte rei percipiendæ, *b*) vel ex parte significationis gratiæ, *c*) vel ex positivo præcepto Christi: atqui ex nullo horum: ergo. PROB. MIN. *a*) Non est necessitas *ex parte rei sumendæ,* quia sub singula specie vi concomitantiæ integer Christus adest: *b*) non est necessitas *ex parte significationis,* quia, ut vidimus, *spiritualis refectio* non perficitur duplici elemento, sed manet in indivisibili, et una specie sufficienter proponitur: *c*) non est necessitas *ex præcepto Christi,* quia, verba *hoc facite in meam commemorationem* [13] respiciunt sacerdotes; alia vero, *nisi manducaveritis carnem...* ET *biberitis sanguinem* [14], attentis aliis testimoniis Scripturæ [15], explicari debent de *reali sumptione* totius Christi. CONFIRMATUR *praxi Ecclesiæ* quæ a primis temporibus consuevit infantes communicare sub sola specie vini [16], et adultis solam speciem panis domi deferendam tradere [17]; imo constat aliquando etiam in solemni ritu sub sola specie panis communicasse primos fideles [18], et sacerdotes ipsos in

---

ristia identificatur cum baptismo, quo incipit mystica unio cum Christo, perficienda in Eucharistia, quæ est sacramentorum centrum. BILLOT *th.* 37 p. 298.

[12] *Pro non sacrificantibus,* quia sacerdotes missam celebrantes, sicut ad *valorem* sacrificii debent consecrare panem et vinum, ita ad *integritatem* ejusdem debent communicare sub utraque specie.

[13] Luc. **22**. 19.

[14] Joan. **6**. 54.

[15] Joan. **6**. 58 collato 1 Corinth. **11**. 27. *Quicumque manducaverit panem hunc* VEL *biberit calicem Domini indigne: reus erit corporis* ET *sanguinis Domini.* Cf. CONC. TRID. sess. 21 cp. 1.

[16] CYPR. *De Lapsis* c. 25; HERGENR. I p. 273; ANDRIEUX in *Revue Pratique d'Apolog.* Févr. 1911.

[17] DIONYS. Alex. apud *Euseb.* H. E. VI c. 44; TERTUL. *Ad uxor.* II c. 5; BASIL. epist. 93 ad *Cæs.;* AMBR. *De exces. Satyri* II n. 43; ZENO Veron. I. tr. 14 n. 4; HERGENR. II p. 184; P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 2 c. 5 a. 3 p. 176 nota.

[18] Cf. LEON. M. *Serm.* 42 c. 5.

Missa præsanctificatorum, quæ antiquissimæ est institutionis [19]. Merito autem a sæc. 12, antiquâ disciplinâ [20] mutatâ, est interdicta communio sub utraque specie. « Primum enim maxime cavendum erat ne sanguis Domini in terram funderetur, quod quidem facile vitari non posse videbatur, si in magna multitudine eum ministrare oportuisset. Præterea, quum sacra Eucharistia ægrotis præsto esse debeat, magnopere timendum erat ne, si diutius vini species asservarentur, coacescerent. Permulti præterea sunt qui vini saporem ac ne odorem quidem perferre ullo modo possunt... [21]. Accedit... quod in pluribus provinciis summa vini penuria laboratur... Deinde... convellenda erat eorum hæresis, qui negabant sub utraque specie totum Christum esse... » [22].

THES. 40. *Ss. Communio — 1 est necessaria ad perseverandum in justitia, et ideo — 2 omnes, cum ad discretionis ætatem venerint, sumere tenentur.*

231. **Prima pars.** *Ss. Communio est necessaria ad perseverandum in justitia.* **Ex Scripturis.** Nam Christus ait: *Amen amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* [23]: atqui præp. *nisi... non* in se, et in sensu testimonii Joan. **3.** 5, ad quod Christus allusit [24], omnimodam necessitatem exprimit: ergo Ss. Communio

---

[19] Cf. ORD. ROM. apud *Migne* t. 78 col. 954; RIT. ORIENT. apud *Goar. De Euch.* p. 190-1.

[20] HEDLEY *La Sainte Eucharistie.* Paris 1908 pluribus ostendit Communionem sub utraque specie in primitiva Ecclesia fuisse mere *disciplinarem,* pluribus exceptionibus subjectam.

[21] Quomodo sæviente peste de eodem calice fideles biberent?

[22] CATECH. ROM. *De Euch.* n. 66; S. THOM. 3 p. q. 81 a. 11.

[23] Joan. **6.** 54.

[24] Parallelismus cum Joan. **3.** 2-31 est manifestus; *a*) ibi enim Christus baptismum proponit ex suo effectu uti spiritualem nativitatem (v. 3); hic eucharistiam effert ex effectu uti panem vitæ (v. 48-50): *b*) ibi Nicodemus bis quærit quomodo fieri possit (v. **4**, 9); hic Judæi bis murmurant de difficultate mysterii (v. 53, 61): *c*) ibi Christus materiam sacramenti enuntiat, sed modum collationis tacet (v. 5); hic manducationem suæ carnis docet, sed de modo, quo fiet, nil dicit (v. 50 sqq.): *d*) ibi efficaciam baptismi et possibilitatem novi ortus deducit ex Spiritu S. (v. 5); hic possibilitatem manducationis carnis suæ ejusque utilitatem derivat ex divinitate in ea inhabitante (v. 64): *e*) ibi mysterium reddit credibile enuntiatione aliorum (v. 12): hic Eucharistiam confirmat sua ascensione in cœlum: *f*) ibi cœlestem suam originem (v. 13) et necessitatem gratiæ

est omnimo necessaria ad servandam *vitam* spiritualem. **Ratio** est quia Christus ad instar cibi spiritualis Eucharistiam instituit; voluit ergo eam non minus esse necessariam ad vitam animæ, quam cibus corporalis ad vitam temporalem: atqui cibus corporalis pro conservatione vitæ temporalis est absolutæ necessitatis: ergo « mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit » [25].

232. **Secunda pars.** *Omnes, cum ad discretionis ætatem venerint, Ss. Communionem sumere tenentur.* ANTE RATIONIS USUM non urgere præceptum Ss. Communionis patet *ex fine præcepti*, quod impositum ad assequendam perseverantiam in justitia, eos tantum attingit qui peccare mortaliter possunt: atqui ante usum rationis nemo potest mortaliter peccare: ergo. A PRIMO RATIONIS USU, e contra, omnes teneri ad Communionem patet ex *materia* et *fine* sacramenti. Si enim in naturalibus quisque utitur pane, cum vires ad manducandum suppetunt [26], et corpus diuturna abstinentia debilitatur, profecto etiam in spiritualibus Communionis præceptum urgere debet, cum homo virtutem hujus cibi agnoscit et concupiscentiæ estu ac diaboli incursu spiritualis vita periclitatur: atqui hæc est ætas discretionis: ergo. Quod si semper audiri meruit vox Christi clamantis: *Sinite parvulos venire ad me* [27]; nostris maxime diebus ejus desiderium impleri debet, cum fidei inimici nil intentatum relinquunt ut pueros corrumpant [28].

THES. 41. *Cum pro fructuosa Communione — 1 requiratur status gratiæ et recta intentio, sed — 2 non sit necessaria eximia virtus, — 3 neque peculiaris fervor, — 4 frequens Communio omnibus viribus est promovenda.*

233. **Prima pars.** *Pro fructuosa susceptione Eucharistiæ requiritur status gratiæ et recta intentio.* Necessitas *status gratiæ* constat ex prædictis de fructu hujus sacramenti, quod non ordinatur ad gratiam acquirendam sed augendam [29]: *rectitudo* vero *intentionis*

(v. 8) ad credendum declarat; hic se esse de cœlo (v. 33, 38, 41, 50, 59, 63) et sine Patris vocatione neminem in se credere (v. 37, 44, 45, 66) proclamat.

[25] CYPR. *Epist.* 20.

[26] Primo vitæ tempore non solido cibo sed lacte nutriuntur parvuli. 1 Corinth. **3**. 2; Hebr. **5**. 12.

[27] Matth. **19**. 14.

[28] PIUS X Litt. *ad epis. Laval* 5 Sept. 1910.

[29] Supra n. 219.

constat ex generali regula de moralitate actionum, et ex necessitate intentionis in subjecto sacramentorum; intentio enim suscipiendi sacramentum [30] ex sui natura imbibit voluntatem assequendi finem ejus, in hoc autem rectitudo intentionis resolvitur.

234. **Secunda pars.** *Ad Eucharistiæ fructum non prærequiritur eximia virtus.* Nam Eucharistia non est præmium sanctitatis, sed medium pro ejus consecutione. « Qui vulnus habet, inquit AMBR., medicinam requirit: vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est cœleste et venerabile sacramentum » [31]. Et CYRIL.: « Quando igitur, quicumque tu es qui ista dicis, dignus eris? Quando Christo teipsum offeres? Nam si peccando indignus es, et peccare non desinis... expers omnino eris vivificæ hujus sanctificationis. Quare pias quæso cogitationes suscipias, studiose sancteque vivas, et benedictione participes, quæ, mihi crede, non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, quum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit: nec, in quibus sumus peccatis (venialibus), considerat: sed ægrotos curat, collisos redintegrat: et sicut pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit casu » [32].

235. **Tertia pars.** *Fervor, etsi maxime sit exoptandus, non est necessaria dispositio pro fructuosa Communione.* Certe excellentia hujus sacramenti et copia fructus, qui dispositionibus commensuratur, exigit « ne torpeamus, tanta digni caritate et honore deputati » [33], atque alacritate, qua parvuli papillas capiunt, puritate et caritate angelorum accedamus ad epulas Immaculati Agni, in qua « lingua tremendo nimis sanguine rubescit » [34]; sed tepiditas, maxime si displiceat, a sacra synaxi removere non debet; dum enim in naturalibus fames præcedit, et sequitur tædium, « spirituales deliciæ, cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur in desiderio...: in illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat; in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit » [35]. Nonne frigidus ad ignem accedit ut calefiat? Ergo et tepidus ut incalescat ad Eum

---

[30] Supra n. 86.

[31] AMBR. *De Sacr.* V c. 4 n. 25.

[32] CYRIL. Alex. In *Joan.* IV c. 17. Audi BONAV. *De præp. ad Miss.* c. 4: « Accedere indigne horrendum judicium: *non accedere* ex notabili negligentia vel contemptu *damnabile* est ».

[33] CHRYS. *Ad pop. Anth.* hom. 60.

[34] CHRYS. *l. c.*

[35] GREG. M. In *Evang.* hom. 36.

accedere debet, qui venit ignem mittere in terram ut accendatur [36].

236. **Quarta pars.** *Frequens communio fovenda omnino est.* Nam quotidie nutrimur pane: si ergo Christus animæ nutritionem sub speciebus panis exhibuit, profecto exoptat ut quotidie sumamus. Hinc primi fideles erant *perseverantes in... communicatione fractionis panis* [37]. **Patres** Eucharistiam viderunt in quarta petitione dominicæ orationis, dicentes cum AMBR.: « Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? *Accipe quotidie,* quod quotidie tibi prosit; sic vive, ut quotidie merearis accipere » [38]. Et **Conc. Trid.** præcipiens ut *saltem* semel in anno fideles communicent, declarat quod « optaret sacrosanta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent » [39].

237. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Eâdem locutione Christus proposuit necessitatem baptismi et Eucharistiæ [40]: atqui necessitas baptismi est absoluta et universalis: ergo. **Resp.** Concedimus Christum in sermone de Eucharistia allusisse ad testimonium de baptismo, et innuisse necessitatem medii, supplendam *voto* si Communio *re* evadit impossibilis; sed in sermone de baptismo necessitas respicit *ingressum cœlorum,* in sermone de Eucharistia *perseverantiam in bono;* quare necessitas Eucharistiæ est respectiva, non absoluta.

238. **Objic. 2.** Usque ad sæc. 12 in universa Ecclesia Communio data est infantibus ante usum rationis [41], imo necessaria reputabatur pro eorum salute [42]: atqui tota Ecclesia decipi non potuit tot sæculorum cursu: ergo. **Resp.** Ad praxim Ecclesiæ explicandam non requiritur *necessitas,* sed sufficit *utilitas:* nemo autem negat infantes, sicut alia sacramenta, ita et Eucharistiam posse utiliter suscipere [43]. Quia tamen

---

[36] Luc. **12**. 49.

[37] Act. **2**. 42. « Refertur *fractio panis* ad panem eucharisticum, uti jam ipso contextu suadetur, cum præcedat institutio salutaris animorumque sacra consensio quæ ex ipsa Christi doctrina efficitur, et subsequatur frequens precantium studium ». KNAB. in *h. l.* p. 62. — Versio *Syriaca simplex* explicite effert celebrationem Eucharistiæ.

[38] AMBR. *De Sacr.* V c. 4. — In quarta petitione agi etiam de Eucharistia post CYPR., quem citat, sæpe docet AUG. *De Dono persev.* c. 4 n. 7; in *Matth.* **6**. Serm. 56 n. 10; 57 n. 7; 58 n. 5; etc.

[39] CONC. TRID. sess. 22 c. 6.

[40] Supra n. 231.

[41] HERGENR. IV. 450; ANDRIEUX in *Revue pratique d'apologet.* Févr. 1911.

[42] AUG. *De pecc. mer. et remis* I n. 26-7.

[43] Profecto parvuli non habent obicem ad valorem, neque ad fructum sacramenti; gratiam itaque suscipiunt.

huic utilitati multa incommoda processu temporum occurrerunt, Ecclesia congruentiarum judex, merito vetuit [44]. Quod vero dixit AUG., non magni est faciendum, quia polemice, ut necessitatem baptismi probaret, protulit, et quia, juxta explicationem sui discipuli FULG. potius de *fructu* sacramenti, quam de sacramento ipso, locutus est [45].

239. **Objic. 3.** Christus in Eucharistia dedit suum sanguinem *in remissionem peccatorum* [46]: ergo peccata non obstant fructuosæ communioni [47]. **Resp.** Verba objecta non respiciunt communionem, sed effusionem sanguinis seu sacrificium Missæ: quod si verba aptare velimus sumptioni Eucharistiæ, eam dicemus in remissionem peccatorum, prout operatur ad remissionem venialium et ad solutionem pœnarum temporalium.

240. **Objic. 4.** Apostolus non solum indignæ sumptionis damnat eos qui in mortali accedunt ad sacram synaxim, sed etiam eos qui tepide sumunt, quosque docet puniri a Deo infirmitatibus et morte [48]: atqui usque ad pubertatem pueri tepide et distracte accedunt: ergo sunt removendi a Communione. **Resp.** Qui in statu gratiæ et *recta intentione* accedunt ad sacram synaxim, comparari nequeunt cum illis qui ex consuetudine, contemptis pauperibus et ebriis, id faciebant. Porro animus refugit ut pueros sine devotione dicamus; puritas enim animi involuntarias ætatis evagationes valde supplet [49], et, si bene præparentur, sciunt Deum pro ipsis mortuum, et ex amore eorum cibum factum, simplici sed vivido affectu diligere.

CAPUT IV.

De sacrificio Missæ.

241. **Historia dogmatis et divisio capitis.** Eucharistiæ ratio sacrificalis a Christo expressa verbis consecrationis [1], et ab Apostolo promulgata [2], innumera pene testimonia habet in catacumbarum monu-

---

[44] Una e præcipuis rationibus fuit abrogatio communionis sub specie vini; hac enim Eucharistia dabatur parvulis.

[45] « Arbitror... non esse aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri (scil. Christo incorporari), quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur... etiamsi, antequam panem illum comedat,... de hoc sæculo abscedat ». FULG. *ad Ferr.* cp. 13. Cf. AUG. in *Joan.* tr. 26: *De remis.* III c. 4; S. THOM. 3 p. q. 65 a. 4 ad 2.

[46] Matt. **26**. 28.

[47] KEMN. apud *Bellar.* De Euch. IV c. 18.

[48] CORNELY in *1 Corinth.* 351.

[49] Cf. PIUM X lit. *ad ep Laval.* Sept. 1910.

[1] Nam, ut videbimus in thesi, verbis sacrificalibus usus est.

[2] Quidam Apostolo notitiam sacrificii

mentis [3], in actibus martyrum [4] et in operibus Patrum, e quorum agmine **sæc. 2** citari solent *Doct. 12 Apost., Just. M., Iren.*, **sæc. 3** *Hippol., Tertul., Cypr.*, **sæc. 4** *Euseb., Cyril.* Hier., *Greg.* Naz., *Ambr., Greg.* Nyss., *Chrys.*, **sæc. 5** *Hier., Cyr.* Alex., *Aug.*, etc. [5]. — Prima quæstio de sacrificio Missæ est agitata sub fine **sæc. 4** per AËRIUM et FAUSTUM manichæum, quorum primus utilitatem Missæ pro defunctis negavit [6], alter vero de idololatria damnavit Missas in sanctorum honorem celebratas [7], sed eversi sunt ab *Aug.* qui ex Traditione confutavit Aërium, et Fausto respondit Missas uni Deo offerri, etiam cum in sanctorum memoriam celebrantur [8]. Ab hoc sæculo doctrina de sacrificio Missæ quieta et integra mansit in praxi Ecclesiæ et Liturgia usque ad **sæc. 12**, cum P. BRUYS veritatem sacrificii ab Eucharistia removere conatus est [9]. **Sæc. 15** SCHOLASTICI disputare cœperunt de his quæ ad essentiam Missæ pertinent [10], et **sæc. 16** NOVATORES antiquas hæreses renovantes, et novas effutientes, dogma de natura et efficacia Missæ funditus everterunt. Cum Fausto manichæo quasi idololatriam habuerunt celebrationem Missæ in honorem sanctorum [11], cum Aërio utilitatem Missæ pro defunctis impugnarunt [12], impossibilitatem quoque applicandi aliis e viventibus fructus Missæ blaterantes [13]; imo eo progressi sunt, ut cum LUTHERO Missam dixerint abominationem, et cum KEMNITIO affirmaverint eam evacuare sacrificium Crucis [14]. Damnati sunt in *Conc. Trid.* quod veritatem statuit sacrificii Missæ, ejus efficaciam propitiatoriam defendit, et utilitatem Missæ pro defunctis honestatemque earum, quæ in honorem sanctorum offeruntur,

---

Missæ negarunt, quia in epist. ad *Hebr.* laudans sacerdotium Christi siluit de Missa; sed in celebratione Eucharistiæ agnovisse verum sacrificium inde constat *a*) quod verba sacrificalia *qui pro vobis datur* addit consecrationi panis (1 Corinth. **11**. 24), *b*) quod sacram communionem epulis sacrificalibus comparat (1 Corinth. **10**. 20-1; Hebr. **13**. 10) et *c*) quod sacerdotes N. T. confert cum sacerdotibus V. T. (1 Corinth. **9**. 13) eorum ministerium verbis sacrificalibus exhibens (Act. **13**. 2 coll. Luc. **1**. 25 et Hebr. **9**. 21). Cf. PESCH n. 874.

[3] Ex forma *cryptarum* constat sacra esse oblata supra martyrum corpora; in *picturis* vero sacrificalis ratio consecrationis Eucharistiæ multipliciter apparet. P. SYXT. *Not. Arch.* I p. 1 c. 4 a. 7: II p. 2 c. 5 a. 3.

[4] Apost. ANDR. respondit tyranno: « Immaculatum agnum quotidie in altari omnipotenti Deo offero ». Supra n. 153 *not. 64-65.*

[5] Testimonia dabimus in probatione thesium. **NB.** A sæc. 4 Missæ privatæ a singulis sacerdotibus etiam sine fidelium communione celebrari incipiunt. HERGENR. II p. 183.

[6] AUG. *De cura ger. pro mort.* c. 1 n. 3.

[7] AUG. *C. Faust.* XX c. 21.

[8] AUG. *l. c.*

[9] HERGENR. IV. 233.

[10] Dicemus infra n. 244.

[11] KEMN. apud *Bellar.* De Euch. VI c. 8.

[12] LUTH., CALV., KEMN. apud *Bellar.* l. c. 7.

[13] BELLAR. l. c. 1.

[14] BELLAR. *De Euch.* V c. 2 sqq.

tuitum est [15]. — Eodem sæc. 16 BAJUS excellentiam Missæ aggressus est, eam æquans cuilibet cæremoniæ cultus [16], sed statim proscriptus est a *Pio V* [17]. **Sæc. 17-8** de modo quo in Missa mors Christi contingat inter catholicos disputatum est [18], et **sæc. 19** veram notionem sacrificii quidam e nostris corruperunt [19]. **Sæc. 20** MODERNISTÆ contra sacrificium Missæ directe non pugnarunt, sed historicitatem evangelicarum narrationum institutionis Eucharistiæ non agnoscentes [20], ejus fundamentum infirmarunt, unde proscripti sunt a *Pio X* [21]. — Ut variis quæstionibus sæculorum decursu propositis ordinate respondeamus, sacrificium Missæ considerabimus secundum facti veritatem, secundum modum quo offertur, et secundum finem in quem ordinatur; unde, — 1 *præmissis* quibusdam *notionibus de sacrificio in genere,* dicemus — 2 *de veritate sacrificii Missæ,* deque — 3 ejus *essentia,* et — 4 *efficacia.*

ART. 1 - SACRIFICII NOTIO EXPOLITUR.

242. **Quid sacrificium.** « Sacrificium dicitur ex eo quod homo *facit* aliquid *sacrum* »[1]; etymologice itaque est actus cultus proprie dicti, seu actus « qui non habet ex alio laudem, nisi quia fit propter reverentiam Dei »[2]. Jamvero in honorem Dei multa cedere possunt; cum enim in ipso omnis creaturarum excellentia eminenter existat, omnibus actibus, quibus creaturæ honorantur, Deus colendus est. His tamen actibus divinus cultus non expletur; cum enim cultus externus sit signum et auxilium interni, sicut cultus Dei internus differt a cultu creaturarum, ita in actibus cultus externi aliquis debet inveniri qui soli Deo exhibeatur, utpote institutus ad recognoscendam excellentiam, quæ in ipso solo est. In hoc supremo actu cultus externi consistit *sacrificium,* notissima lege antonomasiæ, qua nomen genericum appropriatur ei, quod notionem a voce expressam nobilissimo modo præfert. « Genuflexiones, inquit S. THOM., prostrationes et alia hujusmodi honoris

---

[15] CONC. TRID. sess. 22.
[16] BAJUS pr. 45.
[17] Apud DENZINGER n. 925.
[18] Dicemus n. 276.
[19] Vide infra n. 244.
[20] DECR. *Lament.* p. 45.
[21] Supra n. 7 *not. 64.*
[1] S. THOM. 2-2 q. 85 a. 3 ad 3.
[2] S. THOM. *l. c.* corp. **NB.** Cum actus cultus (ac proinde sacrificium) dicuntur non habere excellentiam *nisi ex intentione offerentis,* considerantur formaliter seu ex sese; *materialiter* enim habere possunt aliam excellentiam, ut patet de sacrificio Missæ cujus bonitas non provenit ex sola offerentis intentione, sed maxime ex nobilitate victimæ.

indicia etiam hominibus exhiberi possunt, licet alia intentione quam Deo: *sacrificium* autem nullus offerendum censuit alicui, nisi quia eum Deum æstimavit, aut æstimare se finxit. Exterius autem sacrificium repræsentativum est interioris veri sacrificii, secundum quod mens humana seipsam Deo offert; offert autem se mens nostra Deo, quasi suæ *creationis principio,* quasi suæ *operationis auctori,* quasi suæ *beatitudinis fini:* quæ quidem conveniunt *soli* summo rerum *principio*... Soli igitur summo Deo homo sacrificium et latriæ cultum offerre debet »[3].

243. **Sacrificiorum divisio.** Sacrificiorum differentiæ deduci possunt ex parte *offerentis,* ex parte *rei oblatæ* et ex parte *finis:* primo modo distinguuntur sacrificia naturæ *puræ,* naturæ *elevatæ,* et naturæ *lapsæ ac reparatæ;* altero habetur sacrificium *cruentum* et *incruentum;* tertio agnoscitur sacrificium *latreuticum, eucharisticum, propitiatorum* et *impetratorium.* In statu *naturæ puræ* sacrificium exprimere debebat essentialem relationem hominis ad Deum suum auctorem et finem, unde consistere debebat in oblatione rei sensibilis Deo facta ad recognoscendum supremum ejus dominium: in statu *naturæ elevatæ* adumbrare quoque debebat consortium naturæ humanæ cum divina[4] quod exhibitum est *communione* seu epulis sacrificalibus, siquidem, qui edunt hostias, participes sunt altaris[5]: in statu tandem *naturæ lapsæ et reparatæ* prædictis significationibus addenda erat ratio *detestationis* et *reparationis culpæ,* et hoc factum est *occisione animalis,* quod doloribus suæ mortis contritionem nostri cordis et nostram voluntariam susceptionem pœnalitatum præfert. - Sacrificium *latreuticum* seu adorationis Deo exhibetur ad recognoscendum supremum ejus dominium: *eucharisticum* seu gratiarum actionum pro acceptis beneficiis Deo rependitur: *impetratorio* imploramus a Deo bona cujuscumque ordinis et gratiarum copiam pro tempore opportuno: *propitiatorio* Deum offensum placamus remissionemque peccatorum ab eo exoramus[6]. — Sacrificum *cruentum* perficitur reali sanguinis

---

[3] S. THOM. *Cg.* III c. 120; 2-2 q. 84 a. 1 ad 1; 85 ad 2.

[4] 2 Petr. **1**. 4.

[5] 1 Corinth. **10**. 18.

[6] Etiam in V. T. inquit S. THOM., 1-2 q. 102 a. 3 ad 8, « triplex erat sacrificiorum genus. Quoddam erat quod totum comburebatur; et hoc dicebatur *holocaustum,* quasi *totum incensum;* hujusmodi enim sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reverentiam majestatis ipsius et ad amorem bonitatis ejus; et conveniebat *perfectionis* statui in impletione consiliorum... Aliud autem erat sacrificium *pro peccato,* quod offerebatur Deo ex necessitate remissionis peccati; et conveniebat statui *pœnitentium* in satisfactione peccatorum... Tertium vero sacrificium vocabatur *hostia pacifica,* quæ offe-

effusione, *incruentum* oblatione rei inanimatæ vel mystica sanguinis effusione [7].

244. **De constitutivis sacrificii sententiæ plurimæ.** Ut taceamus de REFORMATORIBUS qui sacrificium a generica ratione cæremoniæ non distinxerunt [8], catholici valde inter se de essentialibus constitutivis dissentiunt. BELLORD reponit in convivio rei oblatæ Deo [9], RENZ in reali occisione offerentis, ita ut verum sacrifium non fuerit nisi mors Christi in cruce, per ordinem ad quam cetera rationem sacrificalem mutuantur [10]. Communissime reponitur in oblatione alicujus sensibilis substantiæ, ita tamen ut SUAREZ, ARRIAGA, VIVA, etc. [11] sufficere dicant oblationem quamcumque; BELLAR. vero VASQUEZ, DE LUGO, etc. [12] de essentia sacrificii dicant quod oblatio fiat reali vel mystica destructione rei oblatæ. Hanc ultimam sententiam eligentes, sequentem statuimus thesim.

THES. 42. *Sacrificium, — 1 quod ad jus naturæ pertinet, et — 2 a primis temporibus oblatum est destructione rei sensibilis, et præcipue occisione animalis, — 3 definiri potest: Oblatio rei sensibilis, a sacerdote Deo facta, per realem vel mysticam ejus destructionem, legitime institutam ad recognoscendum supremum Dei dominium et nostram subjectionem.*

---

rebatur Deo vel pro gratiarum actione vel pro salute et prosperitate offerentium (sacrificium *impetratorium)*, ex debito beneficii vel accipiendi vel accepti (sacrificium *eucharisticum)*, et convenit statui *proficientium* in impletione mandatorum ».

[7] In V. T. sacrificium incruentum vocabatur מִנְחָה *(minchah,* in Vulg. *munus)*, quod « dicitur quidem aliquoties sensu generico de sacrificiis generatim vel etiam de sacrificiis cruentis (Gen. **4.** 4; 1 Sam. **2.** 17), dicitur quoque sæpe de *donis* et muneribus, quæ principibus et nobilibus efferuntur (Jud. **3.** 15; 1 Sam. **10.** 27; 1 Reg. **5.** 1; 2 Reg. **17.** 4; Ps. **45.** 13; Os. **10.** 6, etc.); at in usu liturgico vox est solemnis et *terminus technicus* de sacrificio incruento, de *ferto,* de oblatione frumentacea, quæ farina, polenta, libis constabat et cum oleo, sale, thure in igne altaris cremabatur et cui libatio vini quandoque jungebatur (Lev. **2.** 1 sqq.; **6.** 7) ». KNAB. in *Prof. Min.* II p. 432. — HUM. *in Lev.* p. 368 distinguit triplex sacrificium *minchah,* scil. *similæ, operis pistorii* et *primitiarum frugum.*

[8] MELANCHT. in *Conf. Aug.;* CALV. *Inst.* IV c. 18.

[9] J. BELLORD ep. Mil. apud *Pesch* n. 835.

[10] F. S. RENZ apud *Pesch* n. 841.

[11] SUAREZ Disp. 73 sect. 5 n. 5; ARRIAGA Disp. 49; VIVA Disp. 5 q. 1 a. 2; PESCH n. 842 sqq.

[12] BELLARM. *De Euch.* V c. 2; VASQUEZ Disp. 220 c. 2 n. 12; DE LUGO Disp. 19 sect 1 n. 7; FRANZ. *De Euch.* p. 318; BILLOT *De Sacr.* I p. 537 sqq.; TEPE IV n. 349; H. MAZZELLA III n. 250 sqq.

245. **Prima pars.** *Sacrificium generice inspectum est juris naturæ.* Nam « naturalis ratio dictat homini quod alicui superiori subdatur propter defectus quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adjuvari et dirigi; et quidquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, ut ei, quod est supra hominem, subjectionem et honorem exhibeat *secundum suum modum.* Est autem *modus* conveniens homini ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit quod homo *quibusdam sensibilibus rebus utatur* offerens eas Deo *in signum* debitæ subjectionis et honoris, secundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii. Et ideo oblatio sacrificii pertinet ad jus naturale » [13].

246. **Secunda pars.** *Actio sacrificalis a primis temporibus constituta est in destructione rei sensibilis et maxime in occisione animalis.* Licet enim *a*) de primogenitis gregis oblatis ab Abel et de fructibus terræ oblatis a Cain non legamus destructionem, ea tamen innuitur a signo complacentiæ Dei, quod Patres intellexerunt de igne misso de cœlo ad devorandas victimas Abel [14]. *b*) Clarius id constat ex supremo sacrificio Israël quod erat *holocaustum,* quo victima penitus consumebatur in honorem Dei [15]. Nec aliter fuit apud gentes; ethnici enim non solum habuerunt holocausta, sed eo progressi sunt, ut etiam homines, maxime servos et infantes, occiderint ad divinitatem placandam et ad auguria expetenda [16]. *d*) Confirmatur ex nominis etymologia; nam hebraice *sacrificium* est זֶבַח *(zebach)* a radice זָבַח *(zabach)* quod est *mactavit* seu occidit; et græce dicitur θυσία a θύειν = *mactare* [17]; scimus autem etymologiam, maxime si pluribus linguis sit communis, sensum vocis, et primitivum ejus usum illustrare.

---

[13] S. THOM. 2-2 q. 85 a. 1.

[14] Apud A LAPIDE in Gen. **4**. 4.

[15] Gen. **8**. 20; **22**. 13; Exod. **10**. 25; Lev. **6**. 8 sqq.; Jos. **8**. 31; Jud. **6**. 26; **11**. 31; **13**. 16; etc. Cf. CORNELY *Comp. Intr. in S. Sacr.* Diss. 4 § 6 n. 7; VIGOUROUX *Man. bibl.* I n. 363, 387.

[16] Cf. Num. **22**, libros Regum passim, monumenta Ægypti, acta martyrum, et relationes evangelizatorum.

[17] BELLARM. *De Euch.* V c. 2 PORPHYRIUS apud *Euseb.* Præp. Evang. 1

247. **Tertia pars.** *Sacrificium est oblatio rei sensibilis a sacerdote Deo facta per realem vel mysticam ejus destructionem, legitime institutam ad recognoscendum supremum Dei dominium et nostram subjectionem.* Hæc definitio concluditur ex notione *supremi actus cultus divini,* quæ etymologiâ [18] et omnium consensu competit sacrificio, secundum illud AUG.: « Quis sacrificandum censuit *nisi* ei, quem *Deum* aut scivit, aut putavit, aut finxit? » [19]. Ex hac generica ratione statim apparet quod sacrificium *a*) offeratur AD RECOGNOSCENDUM SUPREMUM DEI DOMINIUM ET NOSTRAM SUBJECTIONEM; essentiale enim attributum Dei, in quo tota religio fundatur [20], est ratio nostri principii et ultimi finis [21]: hæc itaque ratio debet attingi nobiliori actu nostri cultus. — *b*) Jamvero recognitio hujus supremæ majestatis Dei costituenda est in OBLATIONE REI SENSIBILIS; cum enim cultus externus sit signum interni, « sacrificium visibile invisibilis sacrificii... signum sacrum est » [22]: atqui signum est « *res* præter speciem *quam ingerit sensibus,* aliud aliquid ex sese faciens in cognitionem venire » [23]: ergo sacrificium consistere debet in aliqua *externa oblatione alicujus rei* Deo facta ad nostram consecrationem sensibiliter exhibendam [24]. — *c*) Merito autem hæc oblatio perficitur DESTRUCTIONE REI oblatæ; prout enim res destructa *a proprio esse cessat,* ostendit nos sic tradi in obsequium Dei, ut simus parati in ejus gloriam mori, secundum quod convenit effectui respectu suæ altissimæ causæ: prout vero res destructa *non cedit in utilitatem* ejus, cui offertur, protestamur innumerabiles divitias

---

c. 6 nomen græcum deducit a θυμίασις *(exhalatio),* sed sensus non mutatur siquidem sacrificium dicitur *exalatio* a fumo victimæ super altare combustæ.

[18] Jam vidimus *sacrificium* latine significare per antonomasiam *sacrum factum.*

[19] AUG. *De Civ. Dei* X c. 4.

[20] Actus cultus tam intime connectuntur virtuti religionis, a qua imperantur (S. THOM. 2-2 q. 81 a 1 ad 1), ut AUG. *De Civ. Dei* X c. 1 religionem definierit *cultum Dei.*

[21] Religio definitur: « Voluntaria hominis dependentia a Deo ». Vol. 1 n. 14, 46.

[22] AUG. *De Civ. Dei* X c. 5.

[23] AUG. *De doct. chr.* II c. 1.

[24] *Substitutio* victimæ in loco offerentium in sacrificiis hebræorum signatur *explicite* in Levit. **17**. 11, et *implicite* in ritu impositionis manus (Exod. **30**. 10, 15; Lev. **1**. 4; **3**. 2; **4**. 4, etc.) quo peccator in victimam sua peccata transmittebat: in sacrificiis vero paganorum ostenditur occisione *infantium* et *virginum* quæ veluti hostiæ diis placentes substituebantur peccatoribus, ut irata numina placarentur. BOUGAUD *Il Crist.* II p. 457; NICOLAS *Studii filosofici* II p. 33-4 apud H. MAZZELLA III n. 251.

Dei, de quo canebat Psalmista: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* [25]. — *d*) Additur per REALEM VEL MYSTICAM destructionem, quia cum sacrificium sit in genere *signi*, illa victimæ destructio requiritur, quæ internum animi sacrificium potest repræsentare: atqui repræsentatio interioris sacrificii præscindit a reali destructione victimæ [26]: ergo, si contingat aliquid in externo tantum habitu destructionis constitui seu mystice mori, etiam absque morte reali sacrificabitur [27]. — *e*) Porro victimæ oblatio pertinet ad SACERDOTEM, quia sacrificium est actus cultus publici qui exercetur nomine totius societatis religiosæ: atqui nomine societatis religiosæ sola persona publica et sacra, i. e. sacerdos [28], potest agere, secundum illud Apostoli: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* [29]: ergo. — *f*) Sacrificium tandem est oblatio LEGITIME INSTITUTA: *instituta* quidem, quia agitur de signo conventionali quod supponit electionem et ordinationem rei assumptæ in signum [30]; *legitime* autem instituta, quia agitur de cultu publico, cujus determinatio non pertinet ad privatas personas, sed ad principem societatis, qui lege [31] determinat ea quæ ad bonum commune pertinent [32].

---

[25] Ps. **15**. 2. — **NB.** *Occisio animalis*, ut diximus n. 243, est signum pœnitentiæ cordis.

[26] Nam, ut sæpius diximus, sacrificium continetur in genere *signi*, signum vero attenditur secundum externam speciem et non secundum internam rei naturam.

[27] *Mors mystica* contingere tantum potest cum victima *sub alienis speciebus* offertur: cum enim accidentia propria intime connectantur substantiæ corporeæ, sine hujus corruptione penitus mutari nequeunt; ac proinde victima, quæ in propria specie offertur, morti reali subjicitur. BILLOT *De Sacr.* I p. 580.

[28] Sacerdos utpote persona publica, « offert sacrificia, quæ sunt specialiter ordinata ad cultum divinum, non solum pro se, sed etiam pro aliis » S. THOM. 2-2 q. 85 a. 4 ad 3. Quod vero attinet ad *constitutionem sacerdotum*, ante Legem potestas sacerdotalis simul cum civili residebat in patrefamilias, in Lege a Deo data est Aaron ejusque filiis. CORNELY *C. Int. in Sacr. S.* Diss. 4 § 6 n. 6-8.

[29] Hebr. **5**. 1.

[30] « Aliqua in communi sunt de jure naturali, quorum determinationes sunt de jure positivo; sicut quod malefactores puniantur, habet lex naturalis; sed quod tali pœna vel tali puniantur, est ex constitutione divina vel humana. Similiter etiam oblatio sacrificii in communi est de lege naturali; et ideo in hoc omnes conveniunt; sed determinatio sacrificiorum est ex institutione humana vel divina ». S. THOM. 2-2 q. 85 a. 1 ad 1.

[31] *Lex* definitur « quædam rationis ordinatio ad bonum commune, et ab eo qui curam communitatis habet promulgata ». S. THOM. 1-2 q. 90 a. 4.

[32] Quæ spectant ad singulas personas princeps providet *præceptis*.

Quod si legitima institutio est necessaria pro quovis sacrificio etiam naturali, a fortiori requiritur pro supernaturali; natura enim determinare nequit quæ suum ordinem excedunt: conveniens autem fuit ut Deus, qui hujusmodi ordinem revelavit, *per se* determinaret supremum actum cultus, ne errandi periculo daretur nobis occasio [33].

248. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** In Scripturis quilibet actus religionis sive internus, sive externus, dicitur sacrificium [34]: ergo sacrificium non consistit essentialiter in oblatione rei sensibilis. **Resp.** Voces aliquando sumuntur *metaphorice,* nil ergo mirum quod analogiâ proportionalitis omnia, quæ pertinent ad cultum Dei, nomen actus supremi cultus nonnumquam mutuentur.

249. **Objic. 2.** Juxta antiqua monumenta sacrificium absolvebatur convivio: ergo sacrificium consistit in epulis sacrificalibus [35]. **Resp.** *Nego assertum,* « etenim prima sacrificia, tantum non omnia, vocantur *holocausta,* et epularum cum sacrificiis conjunctarum vix umquam mentio invenitur » [36].

250. **Objic. 3.** Actus proprius sacerdotis est sacrificium: atqui sacerdos constituitur ut offerat dona, quæ etiam sine destructione offeruntur, ut patet ex paganorum ritibus: ergo destructio rei oblatæ non pertinet ad rationem sacrificii [37]. **Resp.** Sacerdos est quidem constitutus ut sacrificet, sed hic actus supremus, inferiores non impedit, siquidem *pro hominibus constituitur in iis* (omnibus), *quæ sunt ad Deum* [38]. Ceterum *dona* sæpe intelliguntur sacrificia incruenta, nil autem evincitur ex ethnicorum usu, quia de ratione sacrificali illarum oblationum non constat, et quia ethnici a propria ratione sacrificii, recedere potuerunt.

251. **Objic. 4.** Victimæ occisio in V. T. non pertinebat ad sacerdotes sed ad levitas, imo ad laicos ipsos: ergo destructio rei oblatæ non est de ratione sacrificii quod soli sacerdotes offerunt [39]. **Resp.** Ni fallimur æquivocatur inter ea quæ sunt de *essentia* rei, et ea quæ ad *formam* ejus pertinent. Concedimus destructionem victimæ non pertinere ad supremam rationem sacrificii, quæ a solo sacerdote est ponenda, sed negamus non esse de essentia sacrificii, saltem enim per modum præ-

---

[33] Argumentum confirmatur ex *typica relatione* sacrificiorum V. T. (1 Corinth. **10**. 11; Hebr. **10**. 1-9), siquidem Deo tantum auctore fieri poterant forma futuri.

[34] Ps. **49**. 14, 23; **140**. 2; Isai. **1**. 11-2; Jerem. **7**. 21 sqq.; Os. **14**. 3; Sap. **3**. 6; Eccli. **35**. 4; Rom. **12**. 1; **15**. 16; Philip. **2**. 17; Hebr. **13**. 16.

[35] J. BELLORD apud *Pesch* n. 335.

[36] CORNELY *C. Intr. in Sacr. Scr.* Diss. 4 § 6 n. 7.

[37] PESCH n. 841.

[38] Hebr. **5**. 1.

[39] PESCH n. 842.

ambuli, vel causæ materialis requitur ut ratio interioris nostræ consecrationis manifestetur.

252. **Objic. 5.** Sacrificium est actus quo homo se tradit in cultum Dei: ergo victima est ipsemet sacerdos: ac proinde solus Christus, qui voluntarie mortuus est, verum sacrificium obtulit, multo magis quod ipse solus satisfecit pro peccatis nostris [40]. **Resp.** Satisfactio non pertinet ad essentiam sacrificii, licet possit ei superaddi [41]; nullatenus vero requitur ut sacerdos ipse moriatur, sacrificium enim est in genere *signi,* unde voluntaria traditio sui in mortem debet *exprimi,* non *perfici.*

ART. 2 - DE VERITATE SACRIFICII MISSÆ.

253. **Quid Missa secundum nomen et secundum rem.** Nomen *Missæ* primo occurrit in AMBR. [1], licet antiquior videatur; de origine autem vocis non omnes conveniunt auctores, siquidem alii derivant ab hebr. מִנְחָה *(missah)* quod in Deut. sensum *voluntariæ oblationis* exhibet [2]; alii a gr. μυέω quod est *sacris initio;* alii a latino *mittere.* Hæc ultima derivatio communior est, sed diversimode exponitur; ut enim præscindamus ab iis qui, ex secundaria circumstantia nomen explicantes, existimant sacrificium N. T. vocari Missam, quia, ipso expleto, populus ab ecclesia *dimittitur,* vel quia primis temporibus post evangelium *dimittebantur* catechumeni [3]; illi ipsi, qui a verbo *dimettere* notionem sacrificalem deducunt, non pari modo ratiocinantur. Quidam notant « etiam apud auctores classicos *(mittere)* subinde significare *perficere, celebrare, dicare, sacrare, offerre sacrificium* » [4]; unde dicunt sacrificium N. T. vocari *Missam,* quia hæc vox, juxta etymologiam latinam, dicit sacrificium: alii, verbo *mittere* servato obvio et communi sensu, ex eo nomen Missæ eruunt, quod in sacrificio altaris « per angelum (Christum) sacerdos preces *ad Deum mittit,* sicut populus

---

40 F. S. RENZ apud *Pesch* n. 841.

41 Sacrificium formaliter est signum interioris nostræ consecrationis ad Deum; nil tamen vetat quod res oblata, sit etiam per identitatem æqua solutio debiti et per se causa meritoria divinarum gratiarum vel earum applicativa, ut contingit in sacrificio Crucis et Missæ. BILLOT *De Sacr.* I p. 535-6.

1 AMBR. *Epist.* V cp. 33.

2 Deut. **16.** 10. Cf. BELLAR. *De Euch.* V c. 1.

3 ISID. Hisp. *Etymol.* VI c. 19 n. 4.

4 D. MARK apud *Hurter* III n. 490 in nota.

per sacerdotem, vel quia Christus est hostia nobis *missa a Deo* »[5]. Quidquid sit de origine nominis, Missa est *incruentum sacrificium N. T., quo Christus sub specie panis et vini mystice mactatur ac Deo offertur in gloriam ejus et nostram utilitatem.*

254. **Figuræ Missæ.** Præcipuus typus sacrificii Missæ fuit oblatio Melchisedech qui, obvians Abraham, obtulit Deo panem et vinum; imo, uti videbimus, ex typica relatione sacrificii Melchisedech ad Missam Christus dicitur *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*[6]. Sequuntur sacrificia incruenta legis mosaicæ, quæ Malachias assumpsit in typum Missæ[7], neque abs re talia habentur etiam sacrificia cruenta V. T., quæ si *reali effusione* sanguinis sacrificium crucis præfigurabant, prout erant *actus jugis cultus publici* annuntiabant sacrificium, quo in N. T. mystice quotidie immolatur Agnus Dei qui tollit peccatum mundi[8].

255. **Quæ victima.** CHRISTUM esse victimam Missæ, constat *a*) *ex verbis institutionis* Eucharistiæ, quæ de corpore et sanguine ejus enuntiant offerri in remissionem peccatorum: *b*) *ex universa traditione* quæ ore Patrum et Liturgiis prædicat agnum sine macula in Missa offerri: et *c*) *ex perfectione N. T.*, siquidem nulla victima est Deo digna et satisfaciens pro peccatis, nisi Christus mediator Dei et hominum. Hoc tamen non vetat quominus secundarie etiam ECCLESIA dicatur victima Missæ; tum quia ipsa est mysticum Christi corpus, tum quia Missa offertur ad significandam internam fidelium oblationem. Et hæc videtur causa cur, consecratione peracta, Ecclesia orat *ut Deus accepta habeat hæc dona,* et *supra illa propitio ac sereno vultu respicere dignetur;* licet enim dubium esse nequeat quod Pater Filium suum benigno vultu respiciat, exorare tamen debemus ut Deus *nostram* oblationem acceptam habeat ac benedicat[9].

256. **Quis sacerdos.** Christus, qui est victima, est etiam principalis sacerdos. Hoc iterum exigit perfectio N. T. in quo *unus* est *mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*[10], et sequitur ex æterno sacerdotio Christi, qui *salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum*[11]. Ceterum Missa perficitur confectione

---

[5] S. THOM. 3 p. q. 83 a. 4 ad 6; RUP. Tuit. *De div. off.* II c. 20.

[6] Ps. **149**. 4.

[7] Videbimus in thesi.

[8] In catacumbis ratio sacrificalis Eucharistiæ exhibetur sacrificio Abraham. P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 2 c. 5 a 3 tab. 137.

[9] BILLOT *De Sacr.* I p. 549.

[10] 1 Tim. **2**. 5.

[11] Hebr. **7**. 25.

sacramenti; vidimus autem ad sacramenti confectionem sacerdotes secundario tantum ministerio concurrere [12]. Porro ratio principalis sacerdotii Christi non est quærenda a longe; fundatur enim in charactere sacerdotali qua homo constituitur ejus legatus.

257. **Sacrificium Missæ est commemorativum crucis.** Nam Christus Apostolis tradens potestatem et præceptum celebrandi Missam, ait: *hoc facite in meam commemorationem* [13]; quid autem de ipso commemorare deberent, declaravit dicens: *quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis; mortem Domini annuntiabitis donec veniat* [14]. Hanc veritatem profitentur et Patres. « Apparet, inquit CYPR., sacrificium dominicum legitima sanctificatione non celebrari, *nisi* oblatio et sacrificium nostrum *responderet passioni* » [15]. Et GAUD. Brix.: « Voluit (Christus) beneficia sua manere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo sanctificari *per imaginem propriæ passionis,* et ideo discipulis fidelibus mandat... ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent » [16]. Similiter ISID. Hisp.: « Necessarium erat... ut quia quotidiana et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, *perpetua esset redemptionis oblatio, et perennis illa victima viveret in memoria,* et semper præsens esset in gratia » [17]. AUG. rem suadet ex analogia ad sacrificia V. T.; etenim « Hebræi in victimis pecorum... prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit; unde christiani *peracti* ejusdem *sacrificii memoriam celebrant* sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi » [18]. Merito ergo docuit CONC. TRID. Christum reliquisse « *sacrificium, quo cruentum illud,* semel in cruce peragendum, *repræsentaretur,* ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret » [19].

258. **An et qua ratione Missa differat a sacrificio crucis.** Aliquo sensu sacrificium Missæ identificari cum sacrificio crucis docet CONC. TRID. affirmans quod « una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit » [20]; hæc tamen identitas non obstat quominus *ritu, fine, offerente, victima* et *fructu* differre intelligatur. Differt *ritu sacrificali,* quia in cruce Christus realiter est occisus, et in Missa sine sanguinis effusione mystice immolatur:

---

[12] Supra n. 71. — Si sacerdos non consecraret nomine Christi, quomodo posset eum constituere sub speciebus dicendo *h. e. c. meum?*

[13] Luc. **22**. 19.

[14] 1 Corinth. **11**. 26.

[15] CYPR. *Epist.* 63 n. 9.

[16] GAUD. Brix. *Ad neoph.* serm. 2.

[17] ISID. Hisp. Hom. *De corp. et sang. Chr.* n. 1. Similia habent GREG. Naz. ep. 171 *ad Amphil.;* AMBR. *De Off.* I c. 48; GREG. M. *Dial.* IV c. 58.

[18] AUG. *C. Faust.* XX c. 18-21.

[19] CONC. TRID. sess. 22 cp. 1.

[20] CONC. TRID. sess. 22. cp. 2.

differt *fine,* quia sacrificium crucis pro toto mundo est oblatum, Missa vero directe pro christianis offertur; illud ad Ecclesiam, quæ de latere Christi morientis effluxit, constituendam, hæc ad exercitium religionis jam constitutæ: differt *offerente,* quia in cruce Christus *solus* semetipsum obtulit Patri, et, qui eum occiderunt, non sacrificio, sed deicidio operam dederunt; in Missa e contra Christus *coofferentes* habet sacerdotem celebrantem, eos qui assistunt vel celebrationi cooperantur, et præcipue Ecclesiam in cujus nomine et persona Missa celebratur; differt *victima,* quia in cruce Christus *solus* est immolatus, in Missa autem *Ecclesia* cum Christo et per Christum spiritualiter offertur [21]: differt *fructu,* quia in cruce infinita merita sunt acquisita, dum in Missa nova merita non acquiruntur, sed acquisita applicantur. « Quia autem res specificantur per formam (quæ in Missa ex ritu, offerente, victima et fructu pensatur), cum SUAREZIO [22] dicendum videtur *Missam esse specifice aliud sacrificium quam sacrificium crucis* » [23].

259. **Errores - Veritas.** Rationem sacrificii post P. BRUYS denegarunt Missæ REFORMATORES eo progressi, ut eam dixerint abominationem, sacrificium crucis evertentem. Secuti sunt BAJUS et MODERNISTÆ: ille quidem Missam confundens cum quovis externo actu cultus, hi autem primitivam Missam habentes pro cœna communi [24]. **Veritas** est definita in CONC. TRID.: « S. q. d. in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari; a. s. ». « S. q. d. blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, a. s. » [25].

THES. 43. *Missam esse verum et proprium sacrificium N. L. constat ex ejus promissione facta per Malachiam prophetam.*

260. **Testimon.** *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda* [26]. **Argum.** In hoc testimonio agitur de vero sacrificio N. T.: atqui sacrificium N. T., de quo loquitur Malachias, non est sacrificium crucis sed Missæ: ergo. **Prob. major.** *a*) *Est sermo de vero et proprie dicto sacrificio.* Hoc constat ex

---

[21] BILLOT *De Sacr. Missæ* § 3 p. 547 sqq.

[22] SUAREZ *De Euch.* Disp. 76 sect. 1 n. 4 sqq.

[23] PESCH n. 916; DE AUGUST. I p. 749.

[24] Supra n. 242.

[25] CONC. TRID. sess. 22 cn. 1 et 4.

[26] Malach. **1.** 11. « Text. hebr. optime vertes: *in omni loco suffitur, offertur nomini meo et quidem oblatio munda* ». KNAB. in *h. l.*

nomine, ex *verbis* et ex *contextu*. Revera NOMEN est מִנְחָה *(minchah = oblatio)* quod, si in usu *profano* aliquando dicitur de tributis et de donis oblatis regi et magnatibus, in *sacro* semper sumitur de vero et proprie dicto sacrificio [27]. VERBA pariter sunt sacrificalia, nam מֻקְטָר *(muktar = suffitur* Vulg. *sacrificatur)* exprimit exhalationem incensi, quo *minchah* comburebatur [28], et מֻגָּשׁ *(muggasch = sacrificatur* Vulg. *offertur)* est partic. *hophal* verbi נָגַשׁ *(nagasch = appropinquavit)* quod in modo *hiphil* et *hophal* significationem veri sacrificii induit [29]. Etiam CONTEXTUS exhibet notionem sacrificalem; nam Malachias nomen *minchah* et verbum *muggasch* in toto capite adhibet de veris sacrificis [30], et introducit vers. 11 part. *enim* quæ intimum nexum hujus vers. cum præcedentibus ostendit: atqui non licet in eodem contextu sensum vocum mutare: ergo etiam in vers. 11 nomen *oblatio* et verbum *sacrificare* de vero sacrificio debent intelligi [31]. — *b*) Hoc autem sacrificium *non esse V. sed N. T.*, constat ex *nomine* quo designatur, ex *loco* in quo offertur, et ex *personis* offerentibus. Et primo quidem EX NOMINE. Nam, cum Deus sacrificiis imperfectis et pollutis sacerdotum judæorum opponat sacrificium mundum præ omnibus sibi acceptum, loquitur profecto de principali sacrificio: atqui sacrificium, quod laudat, est *minchah* seu incruentum [32], et in V. T. præcipuum sacrificium erat cruentum, scil. *holocaustum;* ergo. EX LOCO. Nam sacrificia V. T. ante ædificationem templi offerenda erant in tabernaculo, vel coram arca,

---

[27] FRANZ. *De Sacr.* th. 10 in nota.

[28] Hoc participium quidam habent nominascens et vertunt substantivo *sacrificium,* sed quia vetitum est in eodem testimonio eamdem formam verbalem diversimode sumere, KNAB. retinet sensum *verbi.* Jamvero in forma *hiphil* et *hophal* verbum קָטַר *(katar = odore suavi fumavit)* uti de sacrificio certum est, imo si adhibetur sine accusativo rei combustæ, est technicum de exhalatione incensi sacrificii *minchah.*

[29] Lev. **2**. 8; **8**. 15; Jud. **6**. 19; Am. **5**. 25; Ezech. **32**. 6, etc.

[30] Malach. adhibet nomen *minchah* de vero sacrificio etiam **1**. 10; 13; **2**. 12; 14; verbum autem *muggasch* **1**. 7; 8; **2**. 12; **3**. 13.

[31] Argumentum posset confirmari ex sæpius revocato principio quod verba in sensu proprio tunc maxime sunt sumenda, cum, sic accepta, fidei dogma exhibent.

[32] Hoc non solum sequitur ex nativa vi nominis *minchah*, quod est technicum de sacrificio incruento, sed etiam ex verbo *muktar* quod, cum adhibetur sine accusativo rei combustæ, semper sumitur de exhalatione sacrificii incruenti.

vel saltem ubi Deus se manifestaverat; templo vero Jerosolymitano erecto, in ipso solo [33]: atqui sacrificium, de quo loquitur Malachias, offerri debebat *in omni loco:* ergo. EX PERSONIS OFFERENTIBUS. Nam, ut taceamus de reprobatione sacerdotum judæorum [34], quam sequebatur ablatio sacrificii V. T. [35], propheta rationem oblationis hujus mundi sacrificii indicat verbis *quia magnum est nomen meum in gentibus.* Jam age: magnitudo seu exaltatio nominis Dei *in gentibus* potest intelligi secundum gloriam *materialem* et secundum gloriam *formalem:* primo modo exaltatur nomen Dei *in vasis iræ,* cum puniuntur peccatores, eo scil. modo quo exaltatum est nomen Domini in clade Pharaonis et exercitus ejus [36]; altero magnificatur nomen Domini *in vasis misericordiæ,* cum scil. Deus, beneficia effundens in populos, ab his honoratur [37]: atqui Malachias non loquitur de prima *magnitudine nominis Dei,* siquidem nullibi legimus Deum puniturum fuisse omnes gentes propter hebræos: ergo ratio oblationis sacrificii a Malachia celebrati est conversio gentium, quæ juxta prophetas erant benedicendæ in Messia [38], ut in universa terra exaltaretur nomen Domini [39]; si autem ratio sacrificii est conversio gentium, profecto Malachias loquitur de sacrificio N. T. [40]. — **Prob. min.** NON AGITUR DE SACRIFICIO CRUCIS SED DE MISSA. Nam sacrificium Crucis *semel* oblatum est ad multorum exhaurienda peccata; sacrificium vero, de quo loquitur Malachias, offertur *ab ortu solis usque ad occasum:* illud peractum est in Jerusalem, hoc sacrificatur *in omni loco:* illud a solo Christo est oblatum, hoc *ab universalitate gentium:* illud fuit sacrificium cruentum, hoc est

---

[33] Levit. **17**. 3-4; 8-9; Deut. **12**. 5 coll. Joan. **4**. 20; CORNELY *C. Intr. in S. Script.* Diss. IV § 6 n. 6.

[34] *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra* v. 10; 13.

[35] Nam sacerdotium et sacrificium arcte uniuntur, unde *translato sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat* (Hebr. **7**. 12); translata autem Lege etiam sacrificium, quod cultus Legis est actus supremus, transferri debet.

[36] Exod. **14**. 13; 17-8; Ezech. **28**. 22-3.

[37] Cf. 1 Reg. **12**. 22; Ps. **47**. 2; **75**. 2; **85**. 10; **98**. 2; etc.

[38] Gen. **22**. 18; **26**. 4.

[39] Ps. **45**. 3-10.

[40] Argumentum inde confirmatur quod conditiones signatæ pro oblatione hujus sacrificii respondent circumstantiis a prophetis prædictis de regno messianico, quod futurum erat regnum *justitiæ* et *pacis* (Isai. **11**. 1-10; **42**. 1-12), inter *gentes* propagandum (Ps. **71**. 10 sqq.; Amos **9**. 11-2; Michea **4**. 1-2), quando *V. T.* foret *abrogatum* (Jerem. **3**. 16) et *lex ablata* (Mich. **7**. 11)

minchah ideoque incruentum. Porro sacrificio Missæ convenire omnes circumstantias a propheta signatas, facile apparet. Profecto Missa est *minchah* seu sacrificium incruentum, quia in ea Christus mystice tantum moritur sine reali sanguinis effusione: est oblatio *munda,* quia, cum principalis sacerdos et victima sit Christus, « nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest »[41], sed semper manet *immaculatia hostia*[42]: offertur a *gentibus,* quia Christus « medium parietem maceriæ solvens »[43], omnes gentes coadunavit in unam Ecclesiam, cujus Missa commune est sacrificium: offertur tandem *in omni loco,* quia Ecclesia, ubique diffusa, a solis ortu usque ad occasum Missam per suos sacerdotes offert[44].

THES. 44. *Veritas sacrificii Missæ evincitur etiam — 1 ex verbis institutionis Eucharistiæ*[45]*, et — 2 ex sacerdotio secundum ordinem Melchisedech, quod Scripturæ*[46] *tribuunt Christo.*

261. **Prima pars.** *Veritas sacrificii Missæ deducitur ex verbis institutionis Eucharistiæ.* Nam Christus non dixit tantum *h. e. c. m., h. e. s. m.,* sed h. e. c. m. *quod pro vobis traditur,* h. e. s. m. *qui pro vobis effunditur*[47]: atqui appositiones *quod pro vobis traditur* et *qui pro vobis effunditur* exprimunt rationem sacrificalem: ergo Christus in confectione Eucharistiæ verum sacrificium obtulit. PROB. MINOR. Nam « fieri effusionem sanguinis *ad commodum, salutem, expiationem* aliorum vel *pro aliis,* ex tota œconomia V. T. designat sacrificium[48]; unde Apostolus dicens: *sine sanguinis*

---

[41] CONC. TRID. sess. 22 cp. 1.

[42] LITURG. *Can. Missæ.*

[43] Ephes. **2**. 13-4.

[44] Verba *ab ortu solis usque ad occasum* exprimunt universalitatem *locorum;* si quis tamen velit explicare de *tempore,* Missa offertur a mane usque ad vesperas, siquidem, attenta diversa nationum longitudine, non est momentum diei vel noctis in quo juge hoc sacrificium ad Deum non ascendat.

[45] *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur... Hic est calix Novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur* (gr. *funditur).* Luc. **22**. 19-21. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (gr. *traditur)... Hic calix N. T. est in meo sanguine.* 1 Corinth. **11**. 24-5; Matth. **26**. 28; Marc. **14**. 24.

[46] *Introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.* Hebr. **6**. 20; **7**. 1-24 coll. Ps. **109**. 4 et Gen. **14**. 18.

[47] Græce, ut notavimus, verba sunt in tempore *præsenti;* quia tamen sacrificium Missæ dicit ordinem essentialem ad sacrificium crucis, cujus est commemoratio (n. 257), etiam in *futuro* proponi possunt; sicut enim præsens revocat futurum, ita futurum præsupponit præsens.

[48] Cf. Lev. **17**. 11.

effusione non fit remissio, omnia pene in sanguine secundum Legem mundantur [49], præcepta illa de variis sacrificiis ob oculos habet » [50]. *Sanguinem* ergo *effundi in remissionem peccatorum,* significatione Scripturali, est *victimam Deo immolari.* Idem dicendum de appositione corporis *quod pro vobis datur;* licet enim CORNELY exponat de distributione in cibum [51], finalitas tamen commodi et salutis eorum pro quibus datur, expressa a part. *pro,* suadet sensum sacrificalem qui, ut notat KNAB., in N. T. communissimus est [52]. Porro rationem sacrificalem non efferri de corpore et de sanguine Christi ratione *mortis crucis,* sed ratione *sacramentalis præsentiæ* constat α) imprimis ex participio præsenti ἐκχυννόμενον *qui effunditur;* « neque enim participium præsens græcum umquam pro futuro adhibetur » [53]: β) accedit quod Lucas effusionem sanguinis metonimice dicit de *calice;* unde docet appositionem convenire sanguini prout in calice continetur [54], et non prout in cruce de latere Christi effluxit: γ) tandem appositio *Novi Testamenti* alludit ad Testamentum a Moyse confirmatum [55], docetque quod « sicut V. F. consecratum est sacrificio, sanguine sacrificali, ita N. quoque, id quod jam ex ratione typi et impletionis ejus consequitur » [56].

262. **Secunda pars.** *Veritas sacrificii Missæ deducitur ex sacerdotio Christi æterno et secundum ordinem Melchisedech.* a) Ex ÆTERNITATE; ut enim explicat Apostolus [57], et colligitur ex typo [58], æternitas sacerdotii Christi est *effectiva* et *actuosa,* qua scil., non

---

[49] Hebr. **9**. 22.

[50] KNAB. in *Luc.* p. 574. Cf. Hebr. **9**. 7. 13 coll. Lev. **8**. 15; **9**. 9; **14**. 17; etc.

[51] CORNELY tamen in 1 *Corinth.* p. 440; explicat de cibo distribuendo in *epulis sacrificalibus.*

[52] Verbum *dare* sensum sacrificalem habet v. g. cum Christus dicit Patrem *dedisse* Filium suum, ut salvetur mundus per ipsum (Joan. **3**. 16-7), et se *dare* animam suam pro multis (Matth. **20**. 28; Marc. **10**. 45): Paulus vero, Lucæ magister, verbum *dare* et *tradere* sensu sacrificali adhibet Rom. **4**. 25; **8**. 31; Gal. **1**. 4; **2**. 20; Ephes. **5**. 2; 25; 1 Tim. **2**. 6; Tit. **2**. 14.

[53] KNAB. in *Matth.* II p. 434.

[54] FRANZ. *th.* 10 p. 356-7. KNAB. tamen notat non deesse exempla pronominis relativi adhibiti in casu *nominativo* etiam cum nomen in alio casu invenitur; ac proinde ly *qui effunditur* posse directe intelligi de *sanguine.* Si hoc concedatur, argumentum nonnihil infirmatur, sed non penitus evertitur, siquidem ex prima parte commatis sunt exponenda de sanguine *in calice contento.*

[55] Exod. **24**. 8.

[56] KNAB. in *Luc.* p. 574.

[57] Hebr. **7**. 23-5.

[58] Gen. **14**. 3-18 coll. Hebr. **7**. 3. Dum scil. « Scriptura nullam mentionem facit finis sacerdotii ejus (Melchisedech) vel successorum ejus in sacer-

habens successorem, in perpetuum ipse exercet sacerdotalia officia: atqui sacrificium, ut supremus externi cultus actus, semper debet offerri in vera religione: ergo Christus etiam nunc debet sacrificare; nullum autem extra Missam est sacrificium quod Christus per suos legatos jugiter offerat. *b*) EX ORDINE sacerdotii Melchisedech; cum enim sacerdotium sit propter sacrificium, distinctiva ratio sacerdotii ex modo sacrificandi est desumenda: atqui sacrificium proprium Melchisedech, typi Christi, est sacrificium in pane et vino [59]: ergo etiam Christus obtulit sacrificium quod analogice convenit cum sacrificio in pane et vino; hujusmodi autem non est sacrificium crucis, sed altaris.

THES. 45. *Missam esse verum sacrificium* — 1 *docent Patres et* — 2 *suadet ratio.*

263. **Prima pars.** Nam **Patres** *a*) expresse dicunt Missam esse verum sacrificium, assertum vero *b*) vindicant Scripturis, *c*) illustrant analogiis, et *d*) a difficultantibus expediunt. — *a*) *Veritatem sacrificii testantur* dicentes cum HIPP. corpus et sanguinem Domini « in arca et divina mensa quotidie perfici et *sacrificari* »[60]: cum GREG. Naz. « incruenta sectione secari corpus et sanguinem Dominicum, voce adhibita pro gladio »[61] et cum CHRYS. in Eucharistia nos unam ovem *sacrificare,* unam *hostiam* offerre[62]. Clarissima sunt etiam verba DOCT. 12 APOST.: « Die dominica connientes, frangite panem et gratias agite postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum *sacrificium vestrum.* Quicumque vero habent discordiam cum proximo suo ne conveniant vobiscum, donec reconciliati sunt, ne maculetur *sacrificium vestrum* »[63]. CYPR. vero Missam vocat « *perfectum et spirituale sacrificium* quo propitiationis *hostia* Deo offertur », atque docet sacerdotem « vice Christi

---

dotio, ipse videtur quasi fungens sacerdotio æterno ». PADOVANI in *Hebr.* p. 223.

[59] Gen. **14.** 18. **NB.** Melchisedech vere *sacrificasse* in pane et vino constat: *a*) ex partic. *enim* quæ ex *sacerdotio* Melchisedech rationem reddit oblationum (Cf. Hebr. **5.** 1): *b*) quia de *donis* oblatis David nequeunt intelligi, siquidem David magnam copiam ciborum habebat et decimas non accepit sed dedit: *c*) quia universa traditio judaica et christiana tenet Melchisedech verum obtulisse sacrificium. Cf. SCHOLZ *Alterthüm* 2, 198.

[60] HIPP. apud *Migne* X c. 627.

[61] GREG. Naz. epist. 171 *ad Amph.*

[62] CHRYS. in *Hebr.* hom. 17 n. 3.

[63] DOCT. 12 APOST. c. 14.

vere fungi... et *sacrificium verum et plenum* offerre in Ecclesia Deo Patri »[64]. — *b*) *Veritatem hujus sacrificii deducunt* ex prophetia *Malachiæ*, ex sacerdotio *secundum ordinem Melchisedech*, ex *verbis institutionis* Eucharistiæ et ex *fractione panis* de qua loquuntur Actus Apost.[65]: ex primo arguunt DOCT. 12 APOST., JUST. M., IREN., CYPR., EUSEB., CHRYS., HIER., AMBR., AUG., THEOD., CYRIL., DAMASC.[66]; ex altero CYPR., HIER., AMBR., AUG.[67]; ex tertio GREG. Nyss., HIER., CHRYS., CYRIL. Alex., BEDA[68]; ex quarto IREN.[69]. — *c*) *Veritatem sacrificii* Missæ Patres *illustrant* comparantes *sacrificiis paganorum, judæorum* et *crucis*. Primo modo loquitur CHRYS.: « Quod in calice est, illud ipsum est quod ex latere fluxit... Itaque si sanguinem cupis, *ne idolorum aram brutorum cæde, sed altare meum sanguine meo cruenta* »[70]: altero AUG.: « Non adhuc de gregibus pecorum hostia cruenta conquiritur, non nunc ovis aut hircus divinis altaribus admovetur », sed « *sacrificium jam nostri temporis* corpus et sanguis est ipsius sacerdotis »[71]: tertio item CHRYS.: « Pontifex noster ille est, qui tunc (in cruce) obtulit hostiam nos emundantem; illam *nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata* et consumi non potest »[72]. — *d*) *Solvunt difficultates* deductas α) ex parte *Pontificis* qui in cœlo existens non videtur posse sacrificare in terris, β) ex parte *victimæ* quæ semel oblata est, γ) ex parte *fructus* qui morte crucis complementum habuit. *Primæ* difficultati respondent quod « sacerdos vice

---

64 CYPR. ad *Cæcil.* c. 63 n. 9 et 14; *Adv. Jud.* 10. HERGENR. II p. 183 notat Missam sacrificali voce προσφέρειν exhiberi in CONC. NIC. cn. 18; GANGR. cn. 4; ARELAT. cn. 19.

65 Act. **2**. 42-9.

66 DOCT. 12 APOST. cp. 14; JUST. M. *C. Tryph.* c. 41; IREN. *Adv. hær.* IV c. 17 n. 5; CYPR. *Test. adv. Jud.* I c. 16; EUSEB. *Dem. Evang.* I c. 10; *Egl. proph.* c. 29; CHRYS. *Adv. Jud.* c. 5; HIER. in *h. l.;* in *Ezech.* **21**. 25 sqq.; AMBR. *De Sacr.* V. c. 1; AUG. *De Civ. Dei* XVIII c. 35; in *Ps.* **95** n. 13; THEOD. in *h. l.;* CYRIL. Alex. in *h. l.;* DAMASC. *De fide orth.* IV c. 14, quorum testimonia prostant apud KNAB. in *Proph. Min.* II p. 442 sqq.

67 CYPR. epist. 171 ad *Cæcil.* n. 4; AMB. *De Sacr.* V c. 1; HIER. epist. ad *Marc.;* AUG. *C. adv. Leg. et Proph.* I c. 20.

68 GREG. Nyss. Or. 1 in *Chr. ress.;* HIER. in *Matth.* IV c. 26; CHRYS. *De prod. Judæ* hom. 1 n. 4-5; CYRIL. Alex. Hom. 10 in *Myst. Cœn.;* BEDA in *Luc.* VI c. 22.

69 IREN. apud *Migne* VII c. 1254.

70 CHRYS. in 1 *Corinth.* hom. 24 n. 1.

71 AUG. Serm. 3 ed. a *Caillau; De Civ. Dei* XVII 20; in *Ps.* **39** n. 12: FULG. *De fide ad Petrum* c. 9 n. 60.

72 CHRYS. in *Hebr.* hom. 17 n. 3.

Christi vere fungitur »[73]; unde « Christus... offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium quod offertur »[74]: *secundæ* quod non est aliud sacrificium crucis et aliud altaris, sed sicut in *diversis locis* una victima (Christus) offertur, ita unum est sacrificium quod *diversimode* oblatum est in calvario et offertur in Ecclesia[75]: *tertiæ* quod sacrificio crucis immediate non sunt nobis applicati fructus passionis; unde sicut in V. T. fructus *futurus* percipiebatur sacrificiis *prognosticis*, ita nunc fructus *existens* percipitur sacrificio *commemorativo*[76]. Confirmatur **ex praxi Ecclesiæ.** Hæc innotescit imprimis ex PICTURIS CATACUMBARUM quæ in eadem crypta *typum* cum *veritate* exhibent, hinc repræsentantes sacerdotem consecrantem, inde sacrificium Abraham[77]; virtutem autem propitiatoriam Missæ indicant super *aram* (symbolum sacrificii) pingentes *piscem* (symbolum Christi)[78] et ex adverso *serpentem* (symbolum peccati), addentesque *virum cum volumine* (symbolum ministri et sacerdotis), *cophinum* panum (præbens materiam sacrificii) et *linum* quo Eucharistia domi ferebatur[79]. Accedunt LITURGIÆ omnes scil. *Vetus Missale Rom.* et Liturg. *SS. Basilii, Marci, Gregorii, 12 Apost., Chrys.* quæ in ritibus et orationibus Missæ expresse loquuntur de *sacrificio*, de *sacrificio incruento*, de *rationabili oblatione*, de *sacrificio divino*, de *sacrificio pro peccatis*, de *oblatione pura et sancta*, etc.[80].

264. **Secunda pars.** *Ratio* sumitur ex prædictis de sacrificio in genere. Scil. religio non datur sine cultu publico, nec cultus publicus sine sacrificio, qui cultus publici est supremus actus:

---

[73] CYPR. *Epist.* 63 n. 14.

[74] AMBR. in *Ps.* **38** n. 25.

[75] « Quando multis in locis offertur Christus, numquid multi sunt Christi? Nullatenus profecto, sed *unus ubique* est Christus, et totus hic et totus illic, unum corpus. Sicut ergo multis in locis oblatus, unum est corpus, et non multa corpora, ita et unum sacrificium. Pontifex noster ille est qui *tunc* (in cruce) obtulit hostiam nos emundantem; illam *nunc* quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata et consumi non potest ». CHRYS. in *Hebr.* hom. 17 n. 3.

[76] « In illis (V. T.) sacrificiis quid nobis esset donandum, figurate significabatur; in hoc autem sacrificio (altaris), quid nobis jam donatum sit ostenditur. In illis sacrificiis prænunciabatur Filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem pro impiis annunciatur occisus ». FULG. *De fide ad Petr.* c. 19 n. 60.

[77] P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 2 c. 5 a. 3.

[78] Cf. Append. fig. 5.

[79] GARRUCCI apud *Vigouroux et Bacuez* Manuale III n. 380.

[80] TEPE n. 371-2.

atqui negata veritate sacrificii Missæ, nullum manet christianis sacrificium: ergo. Adde sacrificium christianorum sacrificiis V. T. dignitate et efficacia præcellere, ac, fugatis umbris [81], in veritate manere: atqui nullum est sacrificium efficax si non offerat Christum, nec sacrificium crucis commemoret [82]: ergo sacrificium N. T. commemorativum esse debet sacrificii crucis et Christum offerre, quod profecto in sola Missa contingit.

265. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** *(contra thes. 43)* Malachias loquitur de sacrificio sibi coëxistenti, siquidem verba adhibet in tempore præsenti: ergo non dixit de sacrificio N. L. [83]. **Resp.** « Mos hic est prophetarum omnium de nondum factis tamquam de factis loqui. Quia enim mentis oculis videbant, quæ post multos annos erant futura, idcirco velut *nunc* ob oculos videntes omnia narrabant » [84].

266. **Objic. 2.** Glorificatio Dei in gentibus sufficienter exponitur dispersione Judæorum: ergo verba Malachiæ non demonstrant existentiam sacrificii N. L. [85]. **Resp.** « *Magnum nomen in gentibus* minime dicit esse aliquos alterius nationis *inter gentes habitantes* qui nomen Dei venerentur, verum *ab ipsis gentibus* nomen Dei agnosci et magnifice laudari vel cum timore ac reverentia coli, quia ejus potentiam et majestatis magnitudinem sint expertæ » [86].

267. **Objic. 3.** Deum glorificari *a gentibus* dici potest prout in falsis diis aliquo modo verus colitur, ut patet per Apostolum atheniensibus prædicantem *Deum ignotum* ab ipsis honoratum; CYRUS vero utpote dominus mundi, in omni loco *magnum fecit* verum Deum quem coluit [87]. **Resp.** Licet ethnici aliquo modo Deum cognoverint, *non sicut Deum glorificaverunt* [88]. Quis umquam dicet sacrificia humana paganorum præstare sacrificiis, utut pollutis, judæorum, et impudica Veneri oblata esse *oblationem mundam*, Deo placentem? *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant et non Deo* [89]. — Abs re vero adducitur testimonium Apostoli [90], non enim testatur Deum ignotum honorari *in cultu idolorum*, sed, occasione accepta, cultus *ignoti Dei*, Deum verum annuntiat. — Nimis tandem exaggeratur cultus a Cyro præstito vero Deo; « ex monumentis (enim) cuneiformibus didicimus Cyrum etiam diis Chaldæorum templa erexisse, eum veneratum esse *Bel, Nebo, Marduk, numina*

---

[81] Hebr. **10**. 1.
[82] Hebr. **7-10**.
[83] Quidam apud *Knab.* in Proph. Min. II p. 434.
[84] CHRYS. in *Gen.* hom. 10 n. 4.
[85] HITZ. apud *Knab.* l. c. p. 436.
[86] KNAB. *l. c.* p. 437.
[87] ARIAS MONTANUS, HITZ. KOEHLER, EWALD, PRESSEL apud *Knab.* p. 435.
[88] Rom. **1**. 21.
[89] 1 Corinth. **10**. 20.
[90] Act. **17**. 23.

Babyloniorum, eum asserere recepisse mandata a Marduk, et aliis quoque gentibus permississe reditum in sedes patrias [91]. Unde edicto Cyri non est nimium tribuendum... et optime intelligitur, cur de ipso dicatur [92] *accinxi te, et non cognovisti me* » [93].

268. **Objic. 4.** Malachias loquitur de sacrificio quod *suffimento* perficitur: atqui in Missa non est fumi exhalatio: ergo [94]. **Resp.** Malachias Missam annuntiat non ex propriis, sed, ut sæpe fit [95], ex ejus figura seu typo; non omnia vero, quæ in typo vel figura continentur, inveniri debent in antitypo [96]. Ad implementum prophetiæ sufficit quod in N. T. offeratur sacrificium *incruentum,* respondens naturæ et excellentiæ N. L. Ceterum in Missa saltem solemni habetur exhalatio incensi [97]; et hoc sufficit ad veritatem prophetiæ, quia decuit sacrificium N. L. in solemni sui oblatione proponi [98].

269. **Objic. 5.** *(contra thes. 44).* Apostolus typicam relationem Melchisedech ad Christum evolvit in ep. ad *Hebr.:* atqui ibi nil dicit de sacrificio in pane et vino: ergo in modo sacrificandi Melchisedech non fuit typus Christi. **Resp.** In ep. ad Hebr. Apostolus non loquitur de sacrificio prouti est actus cultus, sed prouti operatur ad remissionem peccatorum: quia ergo nostra redemptio completa est morte Christi in cruce, de sacrificio crucis, et non de sacrificio altaris, loqui debuit; multo magis quod in morte crucis clarius apparet *veritas* et *superexcellentia* sacrificii N. T., quas Apostolus contra hebræos demonstrare volebat [99].

270. **Objic. 6.** Si modus sacrificandi pertineret ad ordinem sacerdotii; sicut Christus sacrificio Missæ dicitur sacerdos *secundum ordinem Melchisedech,* sacrifico crucis vocandus foret *secundum ordinem Aaron:* atqui hoc est falsum: ergo. **Resp.** *Nego paritatem,* quia *a*) Aaron non inducitur in Scripturis uti *typus* sacerdotii Christi, *b*) ritus autem offerendi victimas effusione sanguinis non fuit proprium sacerdotii Aaron, sed commune ceteris cum *ante,* tum *post* Legem, *gentibus* non minus quam *Judæis* [100].

271. **Objic. 7.** Eucharistia est sacramentum et testamentum: ergo non est sacrificium [101]. **Resp.** Nil vetat plurimas formalitates in eadem

---

91 VIGOUROUX *La Bible et les découv. mod.* IV p. 417–9,

92 Isai. **45**.5.

93 KNAB. *l. c.* p. 437.

94 KEIL apud *Knab.* l. c. p. 441.

95 Cf. Isai. **40**. 1 sqq.: Matth. **24**. 4-41.

96 CORNELY *C. Int. in S. Scrip.* Diss. III § 1 n. 4: Diss. V § 16 n. 3.

97 Cum agatur de circumstantia secundaria, obstare non videtur sensus metaphoricus, multo magis quod Joan. Apoc. **5**. 8 *odoramentis* comparat orationes sanctorum. Cf. Ps. **140**. 2.

98 KNAB. *l. c.* p. 440.

99 VIGOUROUX-BACUEZ *Manuale Bibl.* IV n. 809 p. 556–7.

100 Gen. **5**. 4: Job **42**. 8, etc.

101 LUTHER. *De Capt. Babyl.* etc. apud *Bell.* De Euch. V c. 24.

re inveniri sub diverso respectu: Eucharistia est *sacramentum* quia signum et causa gratiæ; est *sacrificium* quia ipsa mystice mactatur Christus et effunditur sanguis redemptionis; est *Novum testamentum* « quia integrum (novum Fœdus) ab hoc sanguine dependet, ita ut sine illo omnino non esset » [102].

272. **Objic. 8.** Christus in ultima cœna non se obtulit Patri, siquidem stabat ad mensam: ergo ibi non fuit sacrificium [103]. **Resp.** Christi *oblatio* fuit *implicita,* in mystica sui destructione.

273. **Objic. 9.** Christus est sacerdos qui per semetipsum operatur salutem nostram: ergo Missa ab aliis sacerdotibus nequit offerri [104]. **Resp.** Ut vidimus in tr. de *Sacramentis in genere* ministerium secundarium non obstat principali Christi, qui per suos legatos et sacramenta administrat et sacrificium offert [105].

274. **Objic. 10.** Christus *una oblatione consummavit sanctificatos* [106]: ergo inutile est sacrificium Missæ [107]. **Resp.** Finis præcipuus Missæ non est propitiatorius sed *latreuticus, propitiatio* vero Missæ non importat *acquisitionem* meritorum sed *applicationem* fructus sacrificii crucis.

275. **Objic. 11.** Si in ultima cœna Christus sacrificium obtulisset, redemptionem perfecisset, et sic evacuasset sacrificium crucis [108]: atqui...: ergo [109]. **Resp.** Dupliciter peccat argumentum: *primo* quidem quia merita Christi considerat tantum in actu primo, quo modo [110] quælibet Christi actio sufficientissima erat pro redemptione mundi; *secundo* quia Missæ sacrificium considerat independenter a sacrificio crucis, cujus est essentialis commemoratio [111].

ART. 3 - DE ESSENTIA SACRIFICII MISSÆ.

(CATHOLICORUM DISPUTATIO)

276. **Theologorum sententiæ.** Catholici omnes tenent Missam esse verum sacrificium; at si quæris in quo ratio sacrificalis sit constituenda, diversimode respondent. Alii enim considerantes victimam præsupponi sa-

---

[102] CORNELY in 1 *Corinth.* p. 344. **NB.** *Novum testamentum in sanguine* est tropica locutio pro *sanguis N. T.* KNAB. in *Matth.* II p. 434-5.

[103] LUTHER. *l. c.*

[104] CALVIN. *Inst.* IV c. 18.

[105] Supra n. 71.

[106] Hebr. **10.** 14.

[107] CALVINUS *l. c.*

[108] Cf. Hebr. **10.** 1-2.

[109] KEMNIT. *Exam.* p. 2 apud *Bellarm.* l. c. c. 26.

[110] Vol. 3 n. 169 *not. 4.*

[111] Nil refert quod in ultima cœna sacrificium crucis nondum extaret; sicut enim in V. T., applicabantur futura merita Christi, ita Christus ante passionem suum sacrificium commemorare poterat et sua merita applicare. S. THOM. 3 p. q. 66 a. 2 ad 1.

crificiis, dixerunt Missam *post consecrationem* incipere, et perfici oblatione *(offerimus... hostiam puram),* fractione hostiæ, mixtione specierum, et communione[1]: alii essentiam Missæ constituerunt in consecratione una cum communione[2]: alii tandem in sola consecratione, quod tamen non æque explicarunt. BILLOT, qui horum opiniones diligenter collegit, sex recenset. *Prima* est eorum qui rationem sacrificalem inveniunt in destructione panis et vini: *secunda* SUAREZ qui constituit in *productione* corporis Christi, siquidem, ait, non offertur tantum res quæ destruitur, sed illa quæ inde producitur, ut patet de fumo incensi combusti: *tertia* DE LUGO qui destructionem victimæ invenit in statu decliviori, quo in Eucharistia corpus Christi fit cibus, sanguis ejus potus, et ipse Christus privatur naturalibus functionibus vitæ: *quarta* VASQUEZ rationem sacrificii explicantis « quatenus per illam (consecrationem) efficitur ut, ipso corpore et sanguine Christi consecrato et realiter ibi contento, cruentum illius sacrificium, quod in cruce oblatum est, repræsentetur »: *quinta* LESSII qui mysticam Christi mortem in eo invenit quod consecratio est actio *de se* tendens ad *realem occisionem* Christi, quæ per accidens tantum (scil. ex concomitantia) impeditur: *sexta* eorum qui ponunt formalem rationem sacrificii in mystica separatione corporis a sanguine, qua « sistit Christum sub speciebus sacramenti in quodam externo habitu mortis et destructionis, ac per hoc nata est, non secus ac realis destructio victimæ in propria specie, vere et realiter subjectare symbolicam significationem quæ sacrificio propria est »[3].

THES. 46. 1 *Essentia Missæ in consecratione utriusque speciei consistit;* — 2 *formalis vero ratio sacrificii reponenda videtur in mystica separatione corporis et sanguinis Christi quæ perficitur distincta consecratione specierum.*

277. **Prima pars.** *Missa essentialiter consistit in consecratione utriusque speciei.* **Ex Scripturis.** Nam verba *quod pro vobis datur — qui pro vobis effunditur* non respiciunt fractionem hostiæ vel communionem, sed corpus quod sub speciebus panis constituitur, et sanguinem qui consecratione ponitur sub speciebus vini: atqui illa sunt verba sacrificalia: ergo sacrificium perficitur constitutione corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, ideoque consecratione utriusque speciei. — **Patres** numquam fractionem hostiæ vel communionem dicunt de essentia Missæ, sed cum IREN. affirmant quod Christus « dicens *h. e.*

---

[1] THOMISTÆ quidam et Card. CIENFUEGOS apud *Billot* De Sacr. I p. 566.

[2] D. SOTUS in IV Dist. 13 q. 2 a. 1; BELLARM. *De Euch.* V c. 27; LUGO Disp. 9 sect. 5 n. 68.

[3] BILLOT *De Sacr.* I p. 573-8.

c. m.... N. T. *novam* docuit *oblationem* »[4]; cum CHRYS. quod « hæc vox *(h. e. c. m., h. e. s. m.)* semel prolata in Ecclesia ad utramque mensam... *sacrificium perfectum* efficit »[5]; et cum GREG. Naz. quod « incruenta sectione secas corpus et sanguinem dominicum, *vocem* adhibens pro gladio »[6]. — **Ex ratione.** Nam sacrificium Missæ est commemorativum mortis Domini[7], ea ergo, quæ relationem non habent ad mortem crucis, non sunt de essentia Missæ: atqui sacrificium crucis non repræsentatur fractione hostiæ, communione, et aliis quæ consecrationem præcedunt vel sequuntur: ergo. PROB. MINOR. Nam corpus Christi in cruce non est fractum, uti patet ex Joan.[8], eoque demisso de cruce, nemo ausus est devorare, sed in sepulchro positum est. Adde quod in Missa Christus non est tantum *victima,* sed *sacerdos:* quæ itaque non aguntur in persona Christi, non sunt de essentia Missæ: atqui sola consecratio ponitur in persona Christi: ergo.

278. **Secunda pars.** *Formalis ratio sacrificii habetur in mystica mactatione, quæ perficitur distincta specierum consecratione.* Nam cum sacrificium sit in genere signi, mors Christi rationem sacrificii, non induit nisi prout sensibus percipitur[9]; atqui Christus percipitur præsens sub speciebus verbis consecrationis: ergo his debet mors Christi innotescere; innotescit autem prout verba separatim exprimunt corpus sub specie panis, et sanguinem sub specie vini; sic enim exhibent Christum in statu separationis corporis a sanguine, ac proinde in statu mortis. CONFIRMATUR *exclusione aliarum opinionum* Nam *prima* falso innitur fundamento, siquidem panis non destruitur, sed convertitur in corpus Christi: *secunda* (Suarez) evertit notionem sacrificii, quod non consistit in *productione* rei, sed in *destructione* victimæ, unde nullus Patrum in celebratione Missæ agnoscit productionem Christi, sed omnes loquuntur de ejus morte: *tertia* (De Lugo) inducit modum præsentiæ alias improbatum[10] et non explicat relationem Missæ *ad sacrificium crucis,* quam Scripturæ et Patres sæpe prædicant: *quarta* (Vasquez) confundit *relationem* cum suo *fundamento,* quisque enim videt ex repræsentatione mortis crucis exurgere commemorationem sacrificii crucis, sed hac sacrificium Missæ non constitui[11]: *quinta* (Lessii et Thomistarum) supponit ex solo statu glorioso et quasi *per accidens* mortem Christi in

---

[4] IREN. *Adv. hær.* IV c. 17 n. 5.

[5] CHRYS. *De prod. Jud.* hom. 1 n. 6.

[6] GREG. Naz. *Ad Amphil.* cp. 171.

[7] Supra n. 257.

[8] Joan. **19.** 33-5.

[9] Signum, ut sæpius diximus, definitur « res, præter speciem quam *ingerit sensibus,* aliud aliquid ex sese faciens in mentem venire ».

[10] Supra n. 195, 204 sqq.

[11] Hinc Christus non constituit sacrificium in commemoratione mortis, sed hanc ex illo conclusit, dicens: *hoc* (celebrationem Missæ) *facite in meam commemorationem.*

Eucharistia impediri, dum ex unitate et identitate Christi qui est *in* sacramento et *extra* illud, sequitur sæparationem corporis a sanguine repugnare quousque Christus vivit.

279. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Oblatio victimæ est de essentia sacrificii: atqui consecratione sacerdos nihil offert: ergo. **Resp.** Oblatio victimæ est implicita in consecratione specierum, siquidem Christus constituitur sub speciebus ut Deus glorificetur.

280. **Objic. 2.** In sacrificio *adductio* victimæ distinguitur ab ejus *immolatione:* atqui consecratione victima adducitur: ergo. **Resp.** Adductio victimæ non est pars sacrificii, sed accidentalis conditio sacrificii quod offertur motu locali; quia ergo Christus sine motu locali offertur in Eucharistia, simul fit præsens et immolatur.

281. **Objic. 3.** Actio sacrificalis procedit a sacerdote ut a causa principali: atqui consecratio instrumentaliter tantum est a sacerdote: ergo. **Resp.** Est utique Deus qui operatur transsubstantiationem, sacerdos tamen eam ordinat ad cultum Dei, et mystica morte Salvatoris exprimit oblationem nostram ad Deum. Nonne et in cruce actio occisiva fuit a carnificibus, et tamen Christus semetipsum obtulit pro omnibus?

282. **Objic. 4.** Si Missa perficeretur consecratione, post consecrationem non liceret Missæ fructum applicare: atqui sacerdos iterum applicat in commemoratione defunctorum: ergo. **Resp.** In commemoratione defunctorum sacerdos non applicat sacrificium, sed *orat aliquantulum pro iis defunctis pro quibus orare intendit* [12]. Adde verborum ordinem in liturgiis non semper ordinem rerum sequi; cum enim omnia uno verbo exprimi nequeant, Ecclesia ea, quæ sacramentum vel sacrificium respiciunt, partim præponit et partim postponit.

283. **Objic. 5.** Feria VI in Parasceve sacerdos non consecrat et tamen orat ut *sacrificium* fiat acceptabile apud Deum: ergo. **Resp.** In Parasceve Missa non celebratur, sed offertur Deo sacrificium *internum* sicut ipsa verba exprimunt, maxime si conferantur cum Dan. [13] ex quo sunt deprompta.

284. **Objic. 6.** Sacrificium, quod fiat sola mystica separatione corporis a sanguine, est sacrificium apparens: atqui Missa est verum sacrificium: ergo. **Resp.** Difficultas æquivocat in voce *sacrificii apparentis:* cum enim sacrificium sit in genere *signi,* ad veritatem ejus non requiritur nisi externus habitus mortis, qui potest haberi sine morte reali [14].

---

12 LITURG. *Canon Missæ.*

13 Dan. 3. 38-40.

14 *Mors realis,* ut vidimus n. 247 *not.* 27, est corollarium oblationis viventis quod in *propria specie* offertur; sed Christus in Missa offertur sub specie aliena; potest ergo sine morte reali poni in externo habitu mortis.

285. **Objic. 7.** Missa est sacrificium propitiatorium: atqui vera propitiatio supponit mortem realem victimæ [15]: ergo. **Resp.** Mundi redemptio completa est in Cruce; Missa non operatur novam propitiationem, sed merita sacrificii crucis applicat.

ART. 4 - DE EFFICACIA SACRIFICII MISSÆ.

286. **De quadruplici fine Missæ.** Ut quisque noscit, Missa est sacrificium *latreuticum, eucharisticum, propitiatorium* et *impetratorium*. Et quod attinet ad primas duas formalitates nulla difficultas; ostendemus enim in thesi quod Missa offertur ad recognoscendum supremum Dei dominium in nos, et ad gratias agendas pro innumeris beneficiis ab eo acceptis. Quod vero attinet ad rationes *propitiationis* et *impetrationis*, BILLOT æstimat re non differre, quia impetratio est corollarium propitiationis, prout, justitiâ Dei satisfactâ, removetur obex ad beneficia suæ bonitatis suscipienda [1]; sed melius cum FRANZELIN affirmanda [2] videtur realis distinctio harum formalitatum, siquidem meritum, quod habet ordinem ad impetrationem, latius patet quam satisfactio [3], et bona impetranda non sunt ea tantum quæ a peccatis impediuntur, sed quæ justis ipsis nullo debentur titulo [4].

287. **Multiplex Missæ fructus.** Tres offerentes in Missæ celebratione concurrunt, Christus, sacerdos et Ecclesia: *Christus* principalis sacerdos et principalis victima, *Ecclesia* in cujus nomine et persona supremus actus cultus publici perficitur, et *sacerdos* qui ritum sacrificalem peragit: ex unoquoque autem horum habetur specialis fructus. Etenim prout Christus se ipsum offert, habetur fructus *ex opere operato*, indipendens a voluntate et bonitate ministri vel Ecclesiæ: prout Missa nomine Ecclesiæ celebratur, extat specialis excellentia, provenies ex sanctitate Ecclesiæ, cui respondet fructus *ex quasi opere operato* [5]: prout vero sacerdos suam cooperationem exhibet Christo et Ecclesiæ, tertium quoddam meritum resultat, quod ejus fervori commensuratur et dicitur fructus *ex opere operantis*. Jamvero, cum de fructu Missæ agitur, proprie attenditur primus fructus, qui subdividitur in generalem, specialem et specialissimum. *Generalis* in communem fidelium utilitatem cedit; est enim

---

[15] Hebr. 9. 22.

[1] BILLOT *th.* 55 p. 582 sqq.

[2] FRANZ. *De Sacr.* th. 13 p. 367 sqq.

[3] Vol. 3 n. 192.

[4] Talia profecto sunt plurima bona particularia quæ Missâ a Deo obtinentur.

[5] Supra n. 94.

Missa actus cultus publici et offertur a Christo uti a capite totius mystici corporis, cui proinde fructus debet provenire: *specialis* a sacerdote, tamquam a libero instrumento celebrationis, applicatur quibusdam in particulari: *specialissimus* est ipsius offerentis proprius, siquidem natura ipsa rei dictat primum fructum sacrificii pertinere ad offerentem qui, cum sit peccator, *prius* debet *pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi* [6]. Ex his fructibus, *primus* non pendet a voluntate sacerdotis offerentis, *tertius* sine speciali applicatione provenit ipsi sacerdoti, *secundus* regitur intentione sacerdotis quæ, cum operetur per modum donationis, etiamsi *habitualis* tantum sit, sufficit.

288. **Quotuplex fructus ex opere operato.** Innuitur a CONC. TRID. cum docet Missam offerri pro *peccatis, pœnis, satisfaclionibus* et *aliis necessitatibus.* Hæc amplissima verba profecto comprehendunt omnia bona spiritualia et temporalia quomodocumque ordinabilia ad peccatorum deletionem vel ad virtutum progressum; non omnia tamen pari ratione, eademque infallibilitate obtinentur. Si enim agitur de *bonis temporalibus,* eorum collatio pendet a conditionibus quæ ex parte Dei et ex parte nostri regunt utilitatem, convenientiam et moralem possibilitatem eorum; non est enim Missa medium ordinarium ad miracula obtinenda, neque fons irrationalis bonorum temporalium quæ æternæ saluti suscipientis obessent. *Peccatorum remissio* impetratur quidem hoc sacrificio, sed nec directe, nec inconditionate, verum prout ejus intuitu Deus tribuit gratiam contritionis, cui peccator adhuc potest resistere [7]. Etiam *venialia* non remittuntur « immediate, sed *mediate* per placationem divinæ justitiæ, ne in pœnam venialium etiam culparum uberiores gratias neget, quibus coo perando homo deinde obtineat remissionem peccatorum per pœnitentiam » [8]. *Pœnæ* peccatorum (quæ quoad culpam jam sunt soluta) *directe* quidem remittuntur, at non omnes, nec omnibus æqualiter, sed singulis juxta uniuscujusque *dispositiones.* Porro « dispositio ad hunc fructum percipiendum non alia necessario requiritur, quam status gratiæ; licet vero gradum pœnæ, qui remittatur, definire non possimus, isque probabilius in viventibus pendeat etiam a dispositione magis vel minus perfecta, est tamen effectus *ex opere operato,* atque ideo infallibilis, nisi obex eum impediat » [9]. De *satisfactionibus* nihil specialiter est dicendum,

---

[6] Hebr. **7**. 27; **5**. 3.

[7] « Eucharistia, inquit S. THOM., *IV Dist.* 12 q. 2 a. 2 sol. 2 ad 4, inquantum est sacrificium habet effectum etiam in aliis, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum; et ideo, *si eos dispositos inveniat,* eis gratiam obtinet virtute illius veri sacrificii a quo omnis gratia in nos influxit; et per consequens peccata mortalia in eis delet, *non sicut causa proxima,* sed inquantum gratiam contritionis eis impetrat ».

[8] FRANZ. *l. c.* p. 376.

[9] FRANZ. *l. c.* p. 374.

dum nihil aliud Concilium docuisse videtur quam Missæ sacrificium posse substitui operibus pœnitentiæ, quibus peccatorum debita redimuntur. Quoad *bona spiritualia,* certum est sacrificio Missæ ex opere operato, ac proinde infallibiliter, plurima obtineri; sed *quæ, qua mensura* et *quibus conditionibus* vix dici potest, semper enim *Spiritus ubi vult spirat* [10].

289. **De mensura hujus fructus.** Duo sunt certa, scil. fructum Missæ per se, seu *in actu primo,* esse infinitum, et de facto, seu *in actu secundo,* cum limitatione percipi. Primum constat ex dignitate victimæ et principalis offerentis, qui est Christus, necnon ex perfectione sacrificii crucis, cujus merita applicantur; non enim sunt audiendi qui valorem Missæ æstimare volunt, ex actione sacerdotis offerentis, siquidem agitur de fructu *ex opere operato,* qui a solo principali sacerdote Christo pendet: alterum constat *a*) *ex praxi Ecclesiæ,* quæ pro una Purgatorii anima plurimas Missas celebrare sinit; *b*) *ex analogia ad sacramenta,* quæ sunt infinitæ efficacitatis, et tamen cum limitatione (h. e. juxta dispositiones) gratiam conferunt suscipientibus; *c*) *ex repugnantia effectus infiniti* in creatura finita; et *d*) *ex suavi Providentia* Dei, quæ cooperationem nostram exigit ad supernaturales effectus percipiendos.

290. **Undenam repetenda sit limitatio fructus Missæ.** SCOTUS, BONAV., LUGO, etc. [11] docent limitari a voluntate Dei et Christi qui independenter a dispositionibus hominum uniuscujusque Missæ fructum determinarunt; sed audiendi non sunt, siquidem hæc arbitraria limitatio dum *a*) non probatur Scripturis, neque Traditione, neque praxi Ecclesiæ, *b*) opponitur ordinariæ Providentiæ Dei qui causas secundas disponit juxta proprias naturas, et *c*) contradicit analogiæ, qua sacrificium et sacramentum connectuntur, siquidem sacramentorum fructus dispositionibus suscipientium commensuratur. CAJET., VASQUEZ et S. ALPHON. [12] limitationem desumunt ex sola suscipientium dispositione, sed contradicere videntur praxi Ecclesiæ et sensui fidelium, qui supponunt magis prodesse Missam, quæ in particulari offertur, quam quæ pro omnibus in communi celebratur. Unde cum BILLOT [13] æstimamus ex dispositione suscipientium simul et ex intentione offerentis esse deducendam. Et quod attinet ad *dispositiones suscipientium* nulla difficultas, sequitur enim ex generali regula cooperationis nostræ in opere salutis [14]. Quod attinet ad

---

[10] Joan. **3**. 8.

[11] S. ALPH. *Theol. Mor.* VI tr. 3 n. 312.

[12] Apud S. ALPH. *l. c.*

[13] BILLOT *th.* 56 p. 595 sqq.

[14] « Quamvis hæc oblatio, inquit

limitationem ex parte offerentis, revoca fructum *specialem* pervenire ad suscipientes applicatione sacerdotis: atqui « applicatio, quæ tota quanta est pendet a propria intentione sacerdotis, naturam actuum humanorum sequatur necesse est: hæc est autem natura actus humani, ut quanto plura objecta per modum unius comprehendit, tanto minus determinate seu minus distincte feratur in singula; sed si pro pluribus unam Missam offert sacerdos, intentio ejus in tantum valet, in quantum fertur in plures per modum unius, cum uni sacrificio una totalis intentio debeat respondere » [15]: ergo, cum pluribus applicatur, minus singulis prodest, quare fructus etiam ex applicationis modo mensuratur [16].

291. **Errores – Veritas.** Missa celebrari posse *pro defunctis* jam impugnaverat sæc. 4 AËRIUS, quem imitati sunt REFORMATORES, *pro aliis* in genere offerri posse negantes; falsa autem specie pietatis Missas *in sanctorum honorem* quasi idololatriæ crimen reprobarunt FAUSTUS Manichæus et dein REFORMATORES [17]. **Veritas** definita est in CONC. TRID.: « S. q. d. Missæ sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis... non autem propitiatorium; vel solum prodesse sumenti; neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; a. s. ». « S. q. d. imposturam esse, missas celebrare in honorem sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; a. s. » [18].

THES. 47. *Missæ sacrificium — 1 est latreuticum, eucharisticum, propitiatorum et impetratorium: potest autem offerri — 2 pro vivis atque — 3 defunctis, sicut etiam — 4 in honorem sanctorum.*

292. **Prima pars.** *Sacrificium Missæ est latreuticum, euchari-*

S. THOM. 3 p. q. 79 a. 5, ex sua quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur,... *secundum quantitatem suæ devotionis* ». **NB.** Quæ sint dispositiones pro abundantiori fructu Missæ difficile est dictu; supposito autem statu gratiæ, fructus metiri videtur ex *devotione* erga Ss. Eucharistiam, ex *attentione* et *fervore*, maxime vero ex *cooperatione* quæ fit assistentia, oblatione eleemosynæ, ædificatione ecclesiæ seu altaris, etc.

[15] BILLOT *l. c.* p. 599.

[16] Si exemplo res foret explicanda, dicerem fructum sacrificii Missæ assimilari calefactioni solis. Sicut nempe calor corporis a sole calefacti pendet a *natura* corporis (quorum non una est conductibilitas caloris) et a *modo quo solis radii* ad illud perveniunt (directe scil. vel indirecte, perpendiculariter vel oblique); ita fructus Missæ pendet a dispositionibus suscipientium et a modo quo per sacerdotem eis applicatur. BILLOT *l. c.* p. 598.

[17] Supra n. 241.

[18] CONC. TRID. sess. 22 cn. 3 et 5.

sticum, propitiatorium et impetratorium. **Argum. 1.** Has omnes formalitates convenire uni sacrificio Missæ, patet ex analogia ad V. T. et ex relatione ad sacrificium crucis. Profecto non decet N. T. in quibusdam cedere V.; « omnem (quippe) differentiam hostiarum unius corporis et sanguinis complet oblatio »[19]: atqui in V. T. non tantum offerebatur sacrificium LATREUTICUM (hebr. עֹלָה = *ölâh* = *holocaustum),* sed etiam sacrificium EUCHARISTICUM et IMPETRATORIUM (hebr. שֶׁלֶם = *scelem* = *hostia pacifica),* necnon PROPITIATORIUM (hebr. חַטָּאת = *chattât* = sacrificium *pro peccato,* et אָשָׁם = *âsciâm* = sacrificium *pro delicto),* ut patet ex Levitico qui finem et ritum uniuscujusque sacrificii describit: ergo[20]. Adde Christum in cruce omne sacrificiorum genus una oblatione perfecisse[21]: atqui Missa est renovatio et applicatio sacrificii crucis: ergo. **Argum. 2** *per partes.* Missam esse sacrificium LATREUTICUM probatione non eget; est enim de essentia cujuvis sacrificii quod offeratur ad recognoscendum supremum Dei dominium et nostram subjectionem[22]. Esse quoque EUCHARISTICUM exprimit Ecclesia in orationibus, quibus celebratio hujus sacrificii integratur, et docet ipsum nomen victimæ oblatæ quæ vocatur *Eucharistia.* Esse PROPITIATORIUM constat ex verbis consecrationis, siquidem verba *qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum,* dicuntur de sanguine prout est in calice, ac proinde prout offertur in sacrificio Missæ. Adde sacerdotem constitui *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*[23]: atqui, Missa excepta, non est sacrificium quod Christus per sacerdotes jugiter offerat *pro peccatis:* ergo. Quare Ecclesia deprecatur pro his « qui offerunt hoc *sacrificium... pro redemptione animarum suarum* »[24]. Missam tandem esse sacrificium IMPETRATORIUM, sequitur ex prædictis; sunt enim peccata quæ obstant effusioni donorum Dei: atqui peccatorum obex per Missæ propitiationem removetur: ergo Missa bona Dei affert. Hinc Ecclesia in orationibus sæpe loquitur de impetratione, et Patres de Missa

---

[19] LEO M. *Serm.* 58.

[20] HUM. in Lev. *Thora sacrif.* p. 358-60; VIGOUROUX *Manuale* n. 387-9: cf. supra n. 243 *not. 6.*

[21] Nam Apostolus (Hebr. **10.** 1-10) opponit efficaciam sacrificii Christi omnibus sacrificiis V. T., quorum loco Christus se Patri obtulit.

[22] Supra n. 245.

[23] Hebr. **5.** 1.

[24] LITURG. *Can. Missæ.*

exponunt verba Pauli: *Obsecro fieri obsecrationes, orationes... ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate* [25].

293. **Secunda pars.** *Missa non celebranti tantum et assistentibus, sed aliis quoque prodest.* *a*) Primum argumentum sumitur ex prædictis, siquidem sacrificia V. T. non pro præsentibus tantum, sed et pro absentibus offerebantur; Christus autem in cruce pro omnibus semetipsum obtulit. *b*) Accedit quod sacrificium est actus cultus publici; ergo pro universa societate debet offerri. *c*) Et ideo Christus in ultima cœna de suo sanguine non dixit tantum qui *pro vobis effunditur* [26], sed etiam *pro multis,* scil. pro omnibus [27]. Hinc CYRIL. Hier.: « Postquam perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam *propitiationis hostiam* obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace... et universim *pro omnibus qui egent auxilio* » [28].

294. **Tertia pars.** *Missa etiam pro animabus purgatorii utiliter offertur.* **Ex Scripturis** urgeri possunt testimonia data; nam in V. T. sacrificia offerebantur etiam pro defunctis, et in ultima cœna Christus dedit suum sanguinem *in remissionem peccatorum* [29], inter peccata autem sunt quædam quæ in Purgatorio remittuntur [30]. **Patres** docent cum CYR. Hier.: « Si rex quispiam viros a quibus offensus fuerit relegarit in exilium, posteaque illi, ad quos attinet, coronam plectentes, eam regi pro suis pœna ab ipso afflictis obtulerint, nonne ipsis suppliciorum relaxationem gratificaturus sit? Ad eumdem modum et nos pro defunctis preces offerentes, non coronam plectimus, sed Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum, tum pro illis, cum pro nobis propitiare satagentes » [31]. Et AUG.: « Etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur,

---

[25] 1 Tim. **2**. 12. De Missa hoc testimonium intellexerunt TERTUL. ad *Scap.* n. 2; CLEM. Alex. *Const.* VIII c. 18; CHRYS. in *Tim.* hom. 6.

[26] Luc. **22**. 21.

[27] Matt. **26**. 28. **NB.** Τὸ περί πολλῶν universalitatem exprimit (Cf. Rom. **5**. 19); sed an in hac universalitate includi debeant excommunicati, schismatici, hæretici et pagani, non omnes conveniunt. Affirmant BELLARM. *De Euch.* VI c. 6 et ALPHONS. VI n. 309; sed cum aliis negat BILLOT *th. 55* p. 583, eo quod Missa, ut *actus cultus Ecclesiæ,* pro membris ejus debet offerri, licet ad alios quoque fructus possit indirecte pervenire.

[28] CYRIL. Hier. *Catech.* V n. 8.

[29] Matth. **26**. 28.

[30] Cum Christus de blasphemia in Spiritum S. dixerit quod *non remittetur in hoc sæculo, neque in futuro* (Matth. **12**. 32), constat esse peccata (profecto venialia et pœnas temporales) quæ remittuntur in altera vita.

[31] CYRIL. Hier. *Catech.* V n. 9-10.

non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi *in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur,* locum suum etiam habet *commendatio mortuorum* » [32]. CONFIRMATUR testimonio omnium LITURGIARUM quæ in canone Missæ habent commemorationem defunctorum, necnon notissimâ PRAXI ECCLESIÆ et SENSU FIDELIUM qui, morti proximi, parentes deprecari solent verbis S. Monicæ: « Vos rogo ut ad altare Domini memineritis mei » [33].

295. **Quarta pars.** *Missa in sanctorum honorem potest celebrari.* Nam si licet Deum pro aliis laudare, deque beneficiis eis collatis gratias agere, profecto licet sacrificium latreuticum et eucharisticum pro sanctis Deo offerre: si vero, conscii humilitatis nostræ, ritibus precibusque Ecclesiæ sacrosanctam Hostiam immolamus, certe sanctorum intercessionem invocare possumus, ut eorum patrocinio acceptabilior fiat nostra oblatio, et, remotis obstaculis, cumulatiorem gratiam ex ea recipiamus: atqui in hoc consistit celebratio Missæ in honorem sanctorum; siquidem, ut ait AUG., « populus christianus, memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur atque orationibus adjuvetur » [34]: ergo. Confirmatur **praxi Ecclesiæ,** de qua antiquitus cum AUG. testimonium reddunt TERTUL., CYPR., CYRIL. Hier. [35] et omnes LITURGIÆ.

---

[32] AUG. *De cura ger. pro mort.* c. 1 n. 3; TERTUL. *De cor. mil.* c. 3-4; CYPR. *epist.* 66 n. 2; AMBR. *de obit. Val. II* et frat. *Satyri.*

[33] AUG. *Conf.* IX c. 12.

[34] AUG. *C. Faust.* XX c. 21.

[35] TERT. *De cor. mil.* c. 3; CYPR. *epist.* 39 n. 3; CYR. Hier. *Catech.* V n. 9.

TRACTATUS XIV.

De sacramentis pro reparatione spiritualis vitæ institutis scilicet

DE PŒNITENTIA ET EXTREMA UNCTIONE.

296. **Tractatus ratio.** Tanta est divina bonitas, et tam inæstimabile ejus donum, ut incredibile videatur eos, *qui gustaverunt bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi* [1], a via veritatis et justitiæ deflectere. Sed proh dolor! humana fragilitas sæpe rationis dictamina conculcat; et multi, qui *illuminati sunt et gustaverunt donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus S.* [2], *propter pugillum hordei et fragmen panis* [3] misere prolabuntur, et quasi *muta animalia, in his quæ norunt, corrumpuntur* [4], libertatem filiorum Dei in dæmonis servitutem convertentes [5]. Quid ergo? Non permanebit Spiritus Dei in homine; et portæ inferi virtutem Crucis evacuabunt? Minime gentium; sed *Deus, qui dives est in misericordia* [6], post alterum naufragium novam nobis salutis tabulam præbuit, qua laboriose quidem, sed feliciter, ad salutis portum pervenire possumus. Hæc salutis tabula est sacramentum *Pœnitentiæ,* quo peccata post baptismum commissa remittuntur, quodque completur *Extrema Unctione,* contra peccatorum reliquias instituta. Hinc duo tractatus capita: — 1 *De Pœnitentia* et — 2 *De Extrema Unctione.*

---

1 Hebr. **6**. 5.
2 Hebr. **6**. 4.
3 Ezech. **13**. 9.
4 Jud. v. 10.
5 Joan. **8**. 34.
6 Ephes. **2**. 4.

CAPUT I.

De Pœnitentia.

297. **Historia dogmatis et divisio capitis.** De pœnitentia, ut virtute, plenæ sunt Scripturæ V. T., quæ non solum testantur Deum peccata remittere [1], sed docent necessitatem pœnitentiæ [2], cujus actus externæ humiliationis [3] et internæ detestationis [4] describunt, solemne exemplum exhibentes in Davide, qui a Nathan audire meruit: *Deus transtulit peccatum tuum* [5]. In N. T. Christus necessitatem pœnitentiæ, a præcursore enuntiatam [6], in ipso exordio suæ prædicationis confirmavit [7], et post resurrectionem reconciliationis modum institutione peculiaris sacramenti firmavit [8]. Licet autem natura hujus sacramenti non facilem præberet occasionem ipsum commemorandi [9], de ejus tamen administratione sufficientia extant testimonia **sæc. 1** in *Actibus Apost.*, **sæc. 2** in *Doct. 12 Apost.* et *Herma*, **sæc. 3** in *Iren., Hippol., Tertul., Orig., Cypr., Dionys.*, **sæc. 4** in *Lact., Athan., Epiph., Opt., Paciano, Ambr., Chrys.*, **sæc. 5** in *Hier., Oros., Aug., Paul.* etc. [10], ex quibus colligimus fuisse in primitiva Ecclesia privatam seu auricularem confessionem de peccatis omnibus [11], de quibusdam autem gravibus et externis etiam pœnitentiam publicam seu solemnem, quæ generatim perficiebatur segregatione a cœtu fidelium et assumptione quarumdam pœnalitatum, a quibus pœnitentes impositione manuum absolvebantur [12]. Primus qui dogma pœnitentiæ turbavit, fuit MONTANUS qui sub fine **sæc. 2** extensionem potestatis clavium in hoc sacramento coarctare voluit, negans Ecclesiæ jus remittendi graviora quædam peccata, scil. apostasiam, homicidium et mœ-

---

[1] Ezech. **32**. 2; Zach. **1**. 3-4; Sap. **11**. 24; etc.

[2] Eccli. **2**. 22; Ezech. **18**. 30; etc.

[3] Job **42**. 6: Ps. **6**. 7; etc.

[4] Ps. **50**. 19; Joël **2**. 3.

[5] 2 Reg. **12**. 13.

[6] Matth. **3**. 8.

[7] Matth. **4**. 17.

[8] Joan. **20**. 21-3.

[9] Scil. confessio auricularis est res eminenter privata, nec pertinens ad gloriam vel auxilium defunctorum, quæ tantum inscriptionibus catacumbarum præbebant argumentum. Nil ergo mirum quod sacramentum pœnitentiæ testimonia certa in archæologia non habeat.

[10] Testimonia dabimus infra, interim cf. HERGENR. I p. 280-1.

[11] Suo loco videbimus præter pœnitentiam publicam extitisse etiam privatam.

[12] HERGENR. I p. 281-2, 384; PIGNATARO *De discipl. pœnit.* p. 86.

chiam [13]. Sectatores habuit THEODOTUM, THEMISONTEM et ALEXANDRUM, quos sæc. sequenti imitati sunt NOVATIANUS, HIPPOL., et TERTUL. [14] proscripti a *Zephirino, Callisto* et *Cornelio* [15]. Sub fine **sæc. 4,** occasione cujusdam scandali publicâ confessione evulgati, paullo immutata est disciplina solemnis pœnitentiæ, et NECTARIUS patr. Cp. officium publici pœnitentiarii in sua ecclesia abolevit [16]. **Sæc. 5** PELAGIUS ex negatione ordinis supernaturalis causam formalem remissionis peccati corrupit, dicens non infusione gratiæ relaxari delicta [17], sed simplici non imputatione seu oblivione: impugnatus ab *Aug.,* proscriptus est in *Conc. Milev. II* (a. 416), et clarius in *Trid.* quod formalem causam justificationis impii esse gratiam docuit [18]. **Sæc. 11** quidam e catholicis putarunt peccata jam remissa, cum iterum peccatur, redire [19]; sed post *S. Thom.* [20] communi sententia firmatum est nec quoad culpam, nec quoad pœnam peccata remissa reviviscere [21]. — Eodem sæc. P. LOMBARDUS potestatem absolvendi dixit potestatem « ostendendi ligatos vel solutos » [22], sed valde improbatus est ab *Ugone* et *Riccardo* [23] qui communem sententiam de vera relaxatione culpæ per sacerdotalem absolutionem tuiti sunt. **Sæc. 13** WALDENSES sanctitatem in ministro pœnitentiæ pro valore absolutionis requirebant, sed sunt proscripti ab *Inn. III* [24], qui in *Conc. Later. IV* onus annuæ confessionis faciendæ proprio sacerdoti solemniter promulgavit [25]. **Sæc. 14** SCOTUS solam absolutionem habuit de *essentia* sacramenti [26] et DURANDUS solam confessionem de ejus *materia* [27]. Initio **sæc. 15.** J. HUSS, licet sacramentum pœnitentiæ non negaret, ejus neces-

---

[13] HERGENR. I p. 229.

[14] HERGENR. I p. 230, 312. **NB.** His nonnihil accesserunt R. RADULPH. et MORIN. apud *De August.* II p. 21.

[15] HERGENR. I p. 311; MAZZELLA *De Eccl.* n. 1076; CONC. TRID. sess. 14 cp. 1.

[16] HERGENR. II p. 196.

[17] HERGENR. II p. 277.

[18] CONC. TRID. sess. 6 cp. 7.

[19] Apud MAGIST. SENT. *Dist. IV* q. 22.

[20] S. THOM. in *IV Dist.* q. 2 s. 1 a. 1 ad 1.

[21] SUAREZ, LUGO, VASQUEZ, etc. apud *Pesch* n. 310.

[22] P. LOMB. *IV Dist.* 18. Verba possunt explicari sensu catholico si sumantur de *re et sacramento,* juxta prædicta n. 39.

[23] HERGENR. IV p. 443 in nota.

[24] INN. III *Prof. fidei* prop. Waldens. a. 210 apud *Denzing.* n. 370.

[25] « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere ». CONC. LAT. IV cp. 21 a. 1215.

[26] SCOT. in *IV Dist.* 14 q. 4 et *Dist.* 16 q. 1. – Notat tamen BELLAR. *De Pœn.* I. c. 15 Scot. aliosque catholicos non esse confundendos cum hæreticis, siquidem, si non de essentia sacramenti, saltem de necessitate salutis prædicabant dolorem, confessionem et satisfactionem.

[27] DURAND. *IV Disp.* 16 q. 1.

sitatem impugnavit et naturam corrupit, sacerdoti tribuens potestatem tantum declarandi absolutum quem Deus a peccatorum vinculis jam solvit [28]. Sub initio **sæc. 16** PETRUS OXONIENSIS distinctam peccatorum confessionem dixit de jure Ecclesiastico [29]; funditus vero doctrinam de quarto sacramento everterunt NOVATORES, blaterantes pœnitentiam esse meram consilii mutationem [30], dolorem peccati hominem hypocritam constituere [31], attritionem esse rem malam et coactam [32], contritionem absque sacramenti voto ante absolutionem justificare [33], sacramentum esse reditum ad baptismum vel ejus recordationem [34], necessitatem confessionis omnium peccatorum mortalium non dari [35], venialia confiteri esse præsumptionem [36], satisfactiones repugnare virtuti passionis Christi [37], potestatem absolvendi communem esse omnibus fidelibus [38]. Novatores, ut sæpe diximus, sunt impugnati a *Scholasticis* [39] et damnati a *Conc. Trid.*, quod non solum existentiam sacramenti ejusque distinctionem a baptismo tuitum est, sed vim absolutionis sacerdotalis, necessitatemque doloris, confessionis et satisfactionis docuit, bonitatem et utilitatem attritionis vindicavit, necessitatem ordinis et jurisdictionis in ministro, et potestatem Ecclesiæ reservandi casus definivit [40]. Eodem **sæc. 16** BAJUS distinctionem inter peccatum veniale et mortale negavit [41], et vim satisfactoriam a bonis justorum operibus [42] amovit, sed damnatus est a *Pio V* [43]. **Sæc. 17** JANSENISTÆ reprobarunt confessionem venialium, non agnoverunt necessitatem explicandi circumstantias mutantes peccatorum speciem, et satisfactiones graves ac diuturnas, ante absolutionem implendas, imponentes, a frequentia hujus sacramenti amoverunt fideles [44]. Impugnati sunt a *Scholasticis* et maxime a *Petavio* et *S. Alph.*, ac damnati a *Clem. XI* et *Pio VI* [45]. Eodem sæculo plures e catholicis ad fructum

---

[28] HERGENR. V p. 204-5.

[29] P. OXONIENSIS apud *Bellar.* De Pœnit. III c. 1.

[30] LUTHER. apud *Bellar.* l. c. I c. 7.

[31] LUTHER. apud *Hergenr.* VI p. 35.

[32] LUTHER. apud *Bellar.* l. c. II c. 17.

[33] KEMN. apud *Bellar.* l. c. II c. 13.

[34] LUTHER., ZWINGL., CALV., ILLYR., etc. apud *Bellar.* l. c. I c. 9.

[35] LUTHER., CALV., KEMN. ŒCOLAMP. apud *Bellar.* l. c. III c. 1.

[36] LUTHER. Serm. *De Pœnit.*

[37] LUTHER., PHILIP., KEMN. etc. apud *Bellar.* l. c. IV c. 4 et 7.

[38] HERGENR. VI p. 35.

[39] BELLARM. I c. 1 recenset *Thom.* Waldensem, *J. Eckium, J. Roffensem, A. Pighium, Petrum* a Soto, *R. Tapperum, Alph.* a Castro, *Marian.* Vict., *Hosium,* etc.

[40] CONC. TRID. sess. 14.

[41] BAJUS pr. 29.

[42] BAJUS pr. 59, 60, 77.

[43] PIUS V Bulla *Ex omnibus* a. 1567.

[44] ABBAS ST. CYRANI, A. ARNAULD, SINGLIN, *(Hergenr.* VI. 473), QUESNEL. (l. c. VII. 53), SYN. PISTOR. (Prop. 34-36) quod etiam timorem servilem (pr. 25) reprobavit.

[45] CLEM. XI Const. *Unigen. Dei* a 1713; PIUS VI Const. *Auctor Fidei* a. 1794.

pœnitentiæ requisierunt amorem Dei saltem initialem, sed communius ex Tridentino dixerunt attritionem, si affectum peccaminosum vere removet, in sacramento justificare [46]. E Novatorum agmine **sæc. 18** GEOR. BÖSE et SPENER et RECHENBERG induxerunt *Terminismum,* quo pœnitentiæ tempori etiam ante mortem imponitur finis, sed neque apud suos invenerunt sectatores [47]. Cum vero a sæc. 17 et deinceps eruditi de differentia inter antiquam et recentem disciplinam pœnitentiæ disputare cœperint [48], **sæc. 18-9** CALVINISTÆ occasionem nacti sunt impugnandi confessionem auricularem [49], quod e nostris etiam quidam affirmare non erubuerunt [50], addentes non omnia peccata mortalia primis temporibus pro materia necessaria confessionis esse habita [51]. **Sæc. 20** MODERNISTÆ negant in Joan. **20.** 22-3 agi de sacramento pœnitentiæ, quod post sæc. 3 resolutione baptismi apparuisse blaterant [52]; addunt ab initio fuisse confessionem peccatorum sine eorum absolutione [53], necessitatem vero, imo et utilitatem operum pœnalium, tamquam contrariam moribus nostræ ætatis, respuunt [54]. Impugnantur a *Scholasticis* et sunt pro-

---

[46] HERGENR. VII 120. — Hoc tempore quidam docuerunt possibilitatem *peccati philosophici,* seu actionis intrinsece malæ, quæ non esset offensa Dei; sed sunt damnati ab ALEX. VIII a. 1690.

[47] HERGENR. VII p. 135.

[48] GABR. DE L'AUBESPINE *De vet. Eccl.* rit. II; JUENIN *Com. hist. dogm. de sacr.* II Diss. 6; SIRMOND *Hist. Pœnit. publ.;* DIONYS. PETAV. *Not. ad Epiph.* hær. 59; MORIN. *Com. hist. de disc. Pœnit.;* NAT. ALEX. Diss. 10 in sæc. 3.

[49] HENRY CHARLES LEA apud *Pignat.* De disc. pœnit. p. 2.

[50] FUNK *Bussdisciplin* in *Kirchenlexicon;* A. BOUDINHON *Sur l'hist. de la Penit.* etc. in *Revue d'hist. et de littér. relig.* 1897 p. 306-44.

[51] Reformatoribus e nostris concinnant BOUDINHON docens primis temporibus obligationem confessionis coarctatam fuisse ad tria peccata; BATIFFOL dicens quædam peccata tunc non fuisse absoluta, et VACANDARD affirmans omnia quidem peccata, quæ reputabantur mortalia, fuisse confessa, sed tria tantum esse æstimata mortalia. Apud *Pignataro* p. 31.

[52] DECR. LAMENT. pr. 47, 43, 46.

[53] LOISY *Autour* etc. p. 247. Accedunt e nostris MORIN. *De adm. pœnit.* 10. 1; D'AUBESPINE *De vet. Eccl. rit.* c. 2 obs. 9–17; JUENIN *De Pœnit.* q. 7 c. 1 a. 2; PETAV. *Not. ad Epiph. hær.* 59; SIRMOND *Hist. Pœnit. publ.* c. 1; FUNK in *Teol. Quartalschift* 1884 p. 268 sqq.; FECHTRUP ibidem 1872 p. 430; BATIFFOL *Etudes d'histoire* etc. p. 215 apud PIGNAT. *l. c.* p. 100.

[54] HARNACK *L'essenza del Christ.* p. 280. ait: « Jejunia et asceticismus merita non habent apud Deum ». Accedunt quidam e nostris, dicentes licitam satisfactionem cupiditatum, nec corpus nostrum, mirabile opus Dei, esse destruendum mortificationibus. Apud *Carbone* De Moder. doctr. p. 272-3. His certe plus æquo adhæsit SEMERIA cum *(Idealità buone* p. 186) exercitia *sport* antiquis pœnalitatibus substituenda suasit.

scripti a *Pio X*[55]. — Ut supradictos errores ordinate profligemus, præmissa quæstione — 1 *de natura peccati ejusque remissione,* dicemus — 2 *de virtute pœnitentiæ,* necnon — 3 *de sacramenti pœnitentiæ existentia,* — 4 *absolutione,* — 5 *dolore,* — 6 *confessione,* — 7 *satisfactione,* — 8 *materia et effectu,* atque — 9 *ministro.*

ART. 1 - DE NATURA PECCATI DEQUE EJUS FORMALI REMISSIONE.

298. **Quid peccatum.** In sua generica ratione peccatum dicit malum seu defectum debitæ perfectionis, qui si respicit entitatem rei, nomen habet *mali naturæ*[1]; si ejus operationem, dicitur *peccatum.* « Quælibet autem res per suam operationem finem suum nata est consequi; unde oportet quod peccatum in operatione consistat, *secundum quod non est directa ut finis exigit;* secundum quod grammaticus non recte scribit, nec parat recte medicus potionem »[2]. Quod si omnis actio deficiens a proprio fine dicitur peccatum, propriissime peccatum debet vocari actio deficiens a fine qui homini tribuit supremam perfectionem, ex cujus scil. amissione fit simpliciter malus[3]. Quia ergo finis hujusmodi est *finis ultimus,* qui est *Deus,* peccatum stricte acceptum est *actus deficiens ab ultimo fine* seu *actus inordinabilis in Deum.*

299. **Quid peccatum mortale actuale.** Si peccatum in genere est actus *inordinatus* circa ultimum finem, mortale est *aversio* ab eo: sic enim inordinatio ultimum complementum assequitur et homo fit *quasi mortuus,* siquidem, deficiente fine, qui est operationis principium[4], nulla operatio ad æternam vitam ordinata elici potest[5]. Verum *aversio* formaliter inspecta, cum sit *privatio,* non potest directe intendi ab agente, qui necessario agit *propter finem;* et ideo « quicumque avertitur a fine debito, necesse est quod aliquem finem indebitum sibi præstituat »[6], secundum illud JEREMIÆ: *Duo mala fecit populus meus: me*

---

[55] Supra n. 7 *not. 64.*

[1] Sic v. g. cæcitas est malum naturæ.

[2] S. THOM. *II Dist.* 35 q. 1 a. 1.

[3] Bona vel mala dispositione ad finem ultimum hominem fieri simpliciter bonum vel malum, supponimus ex philosophia.

[4] ARIST. *Phys.* VI; *Ethic.* VII c. 8 a med.

[5] Alii rationem *mortis* in peccato mortali deducunt a privatione gratiæ, quæ est vita animæ; sed res in idem redit, siquidem gratia et caritate homo ad Deum ultimum finem supernaturalem convertitur. S. THOM. *De Malo* q. 7 a. 1.

[6] S. THOM. 2-2 q. 45 a. 1 ad 1. « Sicut, adnotat idem Doct. *II Dist.* 34 q. 1 a. 3, in naturalibus non possunt esse duæ formæ substantiales ultimæ, actu perficientes eamdem partem materiæ, ita non possunt esse duo ultimi fines voluntatis; unde sicut agens naturale ex hoc, quod inducit unam for-

dereliquerunt fontem aquæ vivæ (aversi sunt a Deo), *et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas* (conversi sunt ad creaturas) [7]. — Hinc sequitur peccatum esse violationem divinæ legis et malitiam apostasiæ induere. Est *violatio divinæ legis,* quia Deus, qui omnia ordinavit in debitum finem, suæ sapientiæ debet quod hujus ordinis violationem prohibeat [8]: induit *malitiam apostasiæ,* quia « proprium Dei est, ut sit principium primum, et finis ultimus: unde qui pro fine habet aliquid, illud est Deus suus » [9]. — Ulterius sequitur peccatum esse *offensam Dei,* quia violatio legis est contemptus regis [10], et quia « quicumque rem aliquam digniorem indigniori postponit, injuriam ei facit; et tanto amplius, quanto res est dignior... Cum ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccantis mortaliter contra Deum infinita offensa ex parte dignitatis ejus cui per peccatum quodammodo injuria fit, dum ipse Deus contemnitur, et ejus præceptum » [11]. — Corollarium divinæ offensæ est *reatus pœnæ,* siquidem oportet offensorem puniri, ut ad æqualitatem redeat violata justitia. « Excedit homo, ait S. THOM., debitum suæ quantitatis gradum, dum voluntatem suam divinæ voluntati præfert, satisfaciendo ei contra ordinem Dei; quæ quidem inæqualitas tollitur, dum contra voluntatem suam homo aliquid pati cogitur secundum ordinationem. Oportet igitur quod peccata humana puniantur divinitus » [12].

300. **Quid peccatum mortale habituale.** Licet peccatum transeat *actu,* manet *reatu,* siquidem offensa illata moraliter permanere intelligitur quousque offenso condigna reparatio facta fuerit; manente vero *culpa,* manet et debitum *pœnæ* quod illam consequitur; in hoc autem reatu culpæ et pœnæ consistit peccatum habituale. Itaque peccatum habituale est *status aversionis ab ultimo fine sub improbatione Dei, consequens peccatum actuale.* Est *status,* quia permanenter inhæret peccatori adinstar habitus: *aversionis ab ultimo fine,* quia malitia peccati non pensatur ex

---

mam, causat defectum alterius formæ; ita etiam voluntas ex hoc quod alicui tamquam ultimo fini inhæret, quod debitus sibi finis non est, avertitur a fine ultimo sibi debito ».

[7] Jerem. **2**. 13.

[8] « Cum dicitur quod *non omne peccatum ideo est malum, quia est prohibitum,* intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale... tunc *omne peccatum est malum, quia prohibitum;* ex hoc enim ipso quod est inordinatum, juri naturali repugnat ». S. THOM. 1-2 q. 71 a. 6 ad 4; q. 21 a. 1.

[9] S. THOM. in *Phil.* **5** lect. 3. Hinc Apostolus de quibusdam dicebat: *Quorum Deus venter est.* Philip. **3**. 19. Cf. Act. **22**. 15; 1 Corinth. **5**. 11; Ephes. **5**. 5.

[10] « Omnia peccata sunt improperia Dei in quantum per ea lex Dei contemnitur ». S. THOM. in *Rom.* **15** lect. 1.

[11] S. THOM. *De Verit.* q. 28 a. 2.

[12] S. THOM. *Cg.* III c. 140; *II Dist.* 42 a. 2.

conversione ad creaturas, quæ per se est finita, sed ex recessione a debito fine [13], quæ infinitatem quamdam malitiæ præfert [14]: *sub improbatione Dei,* quia repugnat Deum indifferenter se habere ad cultum creaturarum, vel ad ea quæ intrinsecam inordinationem includunt [15]; unde tolerare non potest derelictionem sui, sed eam improbare et punire tenetur: *actuale peccatum consequens,* quia defectio a fine non est a natura, sed a libera hominis electione [16]. — Si quæris de MATERIALI RATIONE qua supradicta deordinatio in præsenti statu naturæ lapsæ et reparatæ concretizatur, respondeo peccatum habituale esse *privationem gratiæ sanctificantis per actuale peccatum inductam: privationem* quidem *gratiæ sanctificantis,* quia gratia sanctificante homo constituitur filius et amicus Dei hæresque æternæ vitæ [17], unde sicut gratia sanctificante, quæ est semen gloriæ [18], homo convertitur ad ultimum finem supernaturalem, ita gratiæ privatione avertitur ab hoc fine, qui in præsenti statu est unicus [19]: *per actuale peccatum inductam,* quia « privatio gratiæ non habet rationem culpæ sed pœnæ, nisi inquantum ex voluntate est » [20]. — Privationem gratiæ sequitur PECCATI MACULA; *macula* (enim) proprie dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis, sicut vestis et aurum, et argentum, aut aliud hujusmodi... Habet autem anima hominis duplicem nitorem, unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, qua dirigitur in suis actibus; alium ex refulgentia divini luminis, scilicet sapientiæ et gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad bene et decenter agendum... Cum autem peccat, adhæret aliquibus rebus contra lumen rationis et divinæ legis... Unde ipsum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens *macula animæ* metaphorice vocatur » [21].

301. **De formali remissione peccati mortalis.** Cum materialis ratio peccati habitualis consistat in *privatione gratiæ,* et quælibet *privatio* auferatur collatione formæ cujus est privatio, peccatum mortale remittitur seu aufertur collatione gratiæ sanctificantis, quæ tamen in adultis supponit aliquas dispositiones et maxime retractationem malæ voluntatis [22]. Profecto, ut ex dictis patet, quatuor in peccato considerari debent:

---

[13] S. THOM. 1-2 q. 77 a. 6 ad 1; 2-2 q. 10 a. 3.

[14] S. THOM. 1-2 q. 77 a. 4; *II Dist.* 14 q. 2 a. 1 ad. 4.

[15] Thesis de *peccato philosophico* est damnata ab ALEX. VIII a. 1690. Cf. HERGENR. VII p. 123.

[16] Hinc vidimus etiam *peccatum originale* esse voluntarium, non quidem contrahenti, sed Adamo. Cf. vol. 2 n. 596.

[17] Cf. vol. 3 n. 439 sqq.

[18] A-LAPIDE in *Rom.* 2. 6; S. THOM. 2-2 q. 24 a. 3 ad 2 vocat *inchoationem gloriæ.*

[19] Cf. vol. 1 n. 221; vol. 3 n. 175.

[20] S. THOM. *II Dist.* 33 q. 2 a. 2.

[21] S. THOM. 1-2 q. 86 a. 1; *IV Dist.* 18 q. 1 a. 2 sol. 1.

[22] PELAGIANI, cum negarent gratiam sanctificantem, remissionem peccati in-

aversio a Deo, divina *offensa* et *reatus* pœnæ, quæ sequitur animæ *macula*. Jamvero « *aversio* removeri nequit, nisi fiat conjunctio ad bonum incommutabile, a quo homo per peccatum discessit. Hæc autem conjunctio non est nisi per gratiam, per quam Deus mentes inhabitat, et mens ipsi Deo per amorem caritatis inhæret. Unde ad sanandam prædictam aversionem requiritur gratiæ et caritatis infusio; sicut ad sanationem cæcitatis, requiritur restitutio potentiæ visivæ. *Offensa* etiam, quæ ex peccato sequitur, sine gratia aboleri non potest; sive ex parte hominis, in quantum homo peccando Deum offendit; sive ex parte Dei, secundum quod peccatori est offensus, secundum illud: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem* [23]... Cum (enim) Deus in infinitum creaturam excedat, erit *peccantis mortaliter* contra Deum infinita offensa... Unde ad hanc offensam abolendam, non sufficiunt vires humanæ, sed requiritur munus divinæ gratiæ. Ipse etiam Deus dicitur *peccatori offensus,* vel eum odisse, non odio quod opponitur amori *quo diligit omnia,* sic enim nihil odit eorum quæ fecit, ut dicitur Sap. [24]; sed quod opponitur amori quo diligit sanctos, bona æterna eis præparando. Hujus autem amoris effectus est donum gratiæ gratis facientis, ut in quæstione de gratia dictum est. Unde offensa qua Deus homini offenditur, non removetur nisi per hoc quod gratiam dat. *Reatus* etiam peccati non solum est obligatio ad pœnam sensibilem, sed præcipue ad pœnam damni, quæ est carentia gloriæ [25]. Unde reatus non tollitur quamdiu homini non datur unde possit ad gloriam pervenire; hoc autem est gratia, et ideo sine gratia peccatorum remissio fieri non potest » [26]. Tandem *macula* est privatio pulchritudinis gratiæ, quam gratia « formaliter tollit, sicut albedo nigredinem » [27].

302. **Quid peccatum veniale actuale.** Sicut *mortale* nomen habet a *morte,* quam spiritualiter causat in anima; ita *veniale* dicitur a *venia,*

---

telligebant de externa relaxatione divinæ injuriæ et consequentis pœnæ. — REFORMATORES, peccatum confundentes cum concupiscentia, remissionem per imputationem justitiæ Christi explicabant. — E nostris VASQUEZ 1-2 Disp. 203; 3 p. Disp. 2 c. 6 et RIPALTA *De Ente Super.* Disp. 99 sect. 3 n. 19, sect. 9 n. 67, 72 docent *dolorem* esse partem integrantem causæ formalis remissionis peccati, quia dolore homo formaliter recedit a creatura cui peccato adhæserat; sed negandum est assertum, siquidem in peccato habituali non attenditur physica conversio ad creaturam, sed mortalis ejus imputatio, quæ sola peccati detestatione non aufertur. Sicut itaque *actus* peccati non integrat *peccatum habituale,* sed est ejus causa; ita dolor ac detestatio peccati est *dispositio* vel *meritum de congruo* ad remissionem ejus, non autem pars causæ formalis.

[23] Ps. **5**. 7.

[24] Sap. **11**. 25.

[25] Cf. S. THOM. *De Malo* q. 5 a. 1 ad 4.

[26] S. THOM. *De Verit.* q. 28 a. 2.

[27] S. THOM. *IV Dist.* 14 q. 2 a. 4.

non quasi nullum reatum culpæ et pœnæ inducat [28], sed quia non aufert gratiam, ex cujus operatione potest reparari [29]. Si a nominali notione ad realem descendamus, manifestum est veniale a mortali specifice [30] differre [31]; quare cum mortale sit deordinatio circa finem ultimum, veniale est deordinatio circa ea quæ sunt ad finem, scil. *circa media;* unde potest definiri *inordinata conversio ad bonum commutabile, salva intentione Dei ultimi finis.* POSSIBILITAS hujus deordinationis quotidianâ constat experientiâ; « oportet (enim) quod ultimus finis ita impleat totum hominis appetitum, quod nihil extra ipsum appetendum relinquatur » [32], plura vero in dies volumus, quæ in ultimum finem ducere nequeunt, et tamen non appetimus affectu absoluto sed quasi dimidiato, parati abstinere, si a fine supremo, magis dilecto, arcerent: in his homo « ei *quod est ad finem* (scil. medio) inhæret, non ita tamen ut illud, quod est *ad finem,* quasi *finem* constituat » [33]. RADIX hujus inordinatæ *appetitionis mediorum* est concupiscentia [34]; ex rebellione enim carnis provenit quod mens non semper cogitet de relatione medii ad finem, ex obscuratione vero intellectus et præcipitatione judicii quod eligat medium ad finem non ordinabile. Huic deordinationi commensurantur MALITIA venialis quod, cum « non habeat simpliciter et perfecte rationem peccati » [35], non est *contra* sed *præter* legem æternam [36], non est simpliciter offensa Dei sed *secundum quid* tantum [37], meretur pœnam sed finitam [38], et quia non aufert *nec imminuit gratiam* [39], non habet rationem *maculæ* [40].

---

[28] Cf. S. THOM. *II Dist.* 42 q. 1 a. 3 ad 2.

[29] « Si, sit talis defectus rectitudinis, qui caritatem non excludat, erit peccatum *veniale,* quia per caritatem remanentem quasi per principium vitæ, omnis defectus reparari possunt ». S. THOM. *De Malo* q. 7 a. 1.

[30] Profecto loquimur de specie *morali,* nam in ordine *physico* furtum grave et leve specie non differunt.

[31] Distinctionem peccati venialis a mortali negavit BAJUS pr. 20.

[32] S. THOM. 1-2 q. 1 a. 5.

[33] S. THOM. *II Dist.* 42 q. 1 a. 3 ad 5.

[34] Hinc S. THOM. 1-2 q. 89 a. 3 et 4 docet angelum et hominem in statu innocentiæ immunes fuisse a venialibus, quod etiam constat de B. V. propter immaculatam conceptionem. Cf. vol. 3 n. 241.

[35] S. THOM. *IV Dist.* 43 q. 1 ad 3; *II Dist.* 42 q. 1 a. 3 ad 2 ad 4; *IV Dist.* 4 q. 2 a. 1 s. 1 ad 3.

[36] « Convenienter dicitur quod peccatum veniale non est *contra legem,* sed *prætcr legem;* quia si in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipsam corrumpit ». S. THOM. *De Malo* q. 7 a. 1 ad 1; 1-2 q. 74 a. 9: 88 a. 1 ad 1. etc.

[37] « Peccatum veniale cum non importet aversionem, proprie loquendo *non habet rationem offensæ* ». THOM. *De Malo* q. 7 a. 2 ad 10; *IV Dist.* 16 q. 2 a. 1 q. 2 ad 3.

[38] Meretur pœnam, quia est *deordinatio* (n. 299); non meretur pœnam æternam, quia æternitas pœnarum respondet *aversioni* (S. THOM. 3 p. q. 86 a. 4), quæ in veniali non est.

[39] Cf. vol. 3 n. 442.

[40] Nam *macula* proprie est *privatio*

303. **Quid veniale habituale.** Sicut ex actu peccati mortalis resultat in anima reatus culpæ et pœnæ, in quo reatu est ratio peccati mortalis habitualis; ita ex actu peccati venialis « debet esse (in peccante) aliquid habituale vel quasi habituale ex tali actu relictum, quod tamdiu permanet, quamdiu manserit indemissum prædictum peccatum »[41]. Aliter tamen permanet peccatum mortale et veniale: cum enim mortale inducat privationem gratiæ, ejus permanentia est in linea ordinis physici[42]; sed veniale nullam privationem proprie dictam inducit, unde ejus permanentia continetur in linea entium intentionalium[43], prout præterita deordinatio moraliter æstimatur permanere quousque non fuerit convenienter reparata. Quod si subtilius velis hoc scrutari, distingue inter imputabilitatem quæ competit peccato *respectu Dei* et *respectu peccatoris:* primo modo veniale dicit quid extrinsecum agenti, scil. offensam Dei cum respondenti debito pœnæ temporalis, quam Deus non relaxat nisi accepta reparatione ex voluntatis retractatione et satisfactione: altero modo dicit deordinationem potentiæ, quæ, dum convertitur ad creaturas præter ordinem ad finem, male disponitur ad agenda ea quæ in finem ducunt[44]. Hujusmodi deordinatio potentiæ est physica in actu peccati, ipso autem transacto, manet moraliter et imputative quousque actu opposito fuerit retractata. De hac potentiæ deordinatione loquitur S. THOM. cum veniale habituale dicit « inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale »[45] — impedimentum quo retardatur actus bonus[46] — insubordinationem partis infe-

---

decoris; veniale autem animæ decorem non aufert, cum gratiam non corrumpat nec imminuat. Lato tamen sensu dici potest macula, inquantum deordinat potentiam retardans ab actu virtutis (HALENS. P. 2 q. 107 n. 1 a. 1; SALMANT. *Curs. theol.* IV in 1-2 q. 89 a. 1). « Sicut, inquit S. THOM. 3 p. q. 87 a. 2 ad 3, in corpore contingit esse maculam dupliciter, uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris aut debitæ proportionis membrorum, alio modo per superinductionem alicujus impedientis decorem, puta luti aut pulveris; ita etiam animæ inducitur *macula* uno modo per *privationem decoris* gratiæ per peccatum mortale, alio modo per *inclinationem affectus inordinatam* ad aliquid temporale, et hoc fit per peccatum veniale », « quo impeditur decor gratiæ ne in actibus exterius ostendatur ». *IV Dist.* 16 q. 2 ad 1.

41 SALMANTIC. in 1-2 q. 86 a. 1 n. 3.

42 Dicimus *in linea ordinis* physici, prout contrariorum eadem est ratio; peccatum enim mortale non est realitas physica, sed ejus *privatio.*

43 De notione entis intentionalis vide n. 42.

44 « Per peccata venialia relinquitur in voluntate quædam *imminutio virtutum* non quoad entitatem, aut intensionem circa informationem subjecti, sed quoad *habilitatem* et *expeditionem circa elicienda suorum actuum,* quæ quidem recte dicitur *diminutio fervoris caritatis* ». SALMANT. *l. c.* n. 5.

45 S. THOM. 3 p. q. 87 a. 2 ad 3.

46 S. THOM. *De Malo* q. 7 a. 2 ad 16; a. 11.

rioris eligentis media ad superiorem deliberantem de fine [47] — diminutionem fervoris caritatis [48], prouti est bona dispositio potentiæ ad agendum supernaturaliter [49].

304. **Quomodo remittatur veniale.** Cum veniale non consistat in privatione alicujus doni habitualis, « remissio peccati venialis... non (est) per aliquod habituale de novo animæ infusum » [50], sed per relaxationem imputabilitatis peccati actualis, quæ, ut vidimus, ex parte Dei importat *offensam* et reatum *pœnæ,* ex parte hominis *inordinationem potentiæ.* Atqui, attenta divina justitia, debitum *pœnæ* non relaxatur nisi reparata *offensa;* hæc autem non solvitur nisi recompensatio injuriæ fiat actu supernaturaliter bono [51], siquidem actus naturalis non habet proportionem ad finem supernaturalem, in quo ordine contigit offensa Dei. Etiam ex parte *potentiæ* sola naturali retractatione non cessat imputabilitas inordinatæ adhæsionis ad bonum temporale; ut enim reditus sit perfectus, ad eumdem terminum pervenire debet, a quo cœpit regressus; hic autem fuit in ordine supernaturali, quippe in præsenti ordine providentiæ veniale est deordinatio circa medium ad finem supernaturalem [52]. « Remissio (ergo) peccati venialis est effectus gratiæ per actum quem de novo elicit » [53], scil. fit per actum virtutis gratia informatum. Unde, cum actus virtutis informatus gratia dicatur fervor caritatis [54], proxima causa remis-

---

[47] S. THOM. 1-2 q. 89 a. 3 coll. *II Dist.* 21 q. 2 a. 3 ad 6; *De Malo* q. 7 a. 22; ad 8. Cf. Opusc. meum *De Natura peccati* n. 222-5.

[48] S. THOM. *De Malo* q. 7 a. 2 ad 3; ad 13; ad 16; ad 17; a. 5 ad 12; *IV Dist.* 16 q. 2 a. 1 sol. 1 ad 2; sol. 3; a. 2 sol. 1 etc.

[49] Fervor caritatis per prius dicitur de *actu* caritate informato (S. THOM. *III Dist.* 27 q. 1 a. 4; *IV Dist.* 16 q. 2 a. 1 s. 1 ad 2), metonimice tamen effertur de *bona dispositione ad actus virtutum informatos caritate.* « Veniale... privat bonum, quod se habet ut *dispositio* ad caritatem, i. e. *fervorem,* qui contingit in *habilitate actus ex diligenti obedientia vel subjectione inferiorum virium ad superiorem partem affectus,* in qua est caritas ». S. THOM. *I Dist.* 17 q. 2 a. 5 ad 3.

[50] S. THOM. 3 p. q. 87 a. 2 ad 1; DE LUGO *De pœnit.* Disp. 9 sect. 1 n. 3; SUAREZ *De Grat.* tom. 3 VII c. 24.

[51] S. THOM. 3 p. q. 87 a. 2 ad 3; a. 4 ad 2; *De Malo* q. 7 a. 10 ad 6.

[52] « Remoto priori removetur posterius, nec posterius restituitur nisi priori restituto: fervor autem caritatis, cui veniale opponitur, est posterior ipsa caritate: unde quamdiu caritas non restituitur, nec fervor caritatis reparari potest; *in qua reparatione consistit peccati venialis dimissio,* sicut etiam in reparatione caritatis dimissio mortalis ». S. THOM. *IV Dist.* 16 q. 2 a. 1 s. 3.

[53] S. THOM. 3 p. q. 87 a. 2 ad 1.

[54] Licet *fervor caritatis* præcipue dicatur de actu *elicito* vel saltem *imperato* a *caritate;* recte tamen intelligitur de *omnibus actibus virtutum elicitis a justo;* hujusmodi enim actus caritate *informantur* (Vol. 3 n. 543),

sionis venialis haberi debet *fervor caritatis.* « Peccata venialia, inquit S. THOM... opponuntur caritati *quantum ad actum ejus;* quem impediunt vel retardant »[55]; « sic ergo et veniale *quantum ad culpam* remittitur *per fervorem caritatis* »[56], quippe « in (fervoris) reparatione consistit venialis peccati dimissio, *sicut* in reparatione caritatis dimissio mortalis »[57].

305. **Quomodo mortale et veniale remittantur per sacramenta.** Quod attinet ad remissionem peccati mortalis, nulla difficultas; sacramenta enim sunt causa gratiæ sanctificantis quæ formaliter expellit mortale[58]. Sed veniale proxime quoad culpam non solvitur nisi fervore caritatis[59], siquidem « ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis *actus procedens ex gratia,* per quem removeatur inordinata adhæsio ad rem temporalem »[60]. Sacramenta ergo *indirecte* tantum possunt remittere venialia, et hoc dupliciter: primo quidem *efficienter* prouti conferunt gratias actuales excitantes ad detestationem peccati[61], quod maxime contingit in Eucharistia[62]; secundo *radicaliter* prout infundunt

---

et sic « aliquid de linea caritatis derivatur ad prædictas virtutes ». SALMANT. *De carit.* Disp. 7 n. 53.

[55] S. THOM. *IV Dist.* 21 q. 2 a. 1.

[56] S. THOM. *De Malo* q. 7 a. 11.

[57] S. THOM. *IV Dist.* 16 q. 2 a. 1 sol. 3; 3 p. q. 90 a. 4.

[58] Cf. vol. 3 n. 418.

[59] BILLOT *De nat. et rat. pecc. pers.* p. 118 remissionem per caritatis fervorem coarctat ad remissionem *ex opere operantis;* sed S. THOM. nullibi hoc dicit, imo, cum expresse quærit de remissione per *sacramenta* et per *sacramentalia,* respondet quod remittunt venialia prout excitant caritatis fervorem. « Sicut dictum est, veniale peccatum dimittitur *per fervorem caritatis,* qui explicite vel implicite contritionem contineat; ET IDEO *illa quæ nata sunt de se excitare fervorem caritatis, peccata venialia dimittere dicuntur:* hujusmodi autem sunt quæ gratiam conferunt, sicut *omnia sacramenta,* et quibus impedimenta fervoris et gratiæ auferuntur, sicut *aqua benedicta,* etc. » S. THOM. *IV Dist.* 16 q. 2 a. 2 sol. 4; *De Malo* q. 7 a. 12; 3 p. q. 87 a. 3. — Ceterum *condonatio offensæ,* de qua loquitur BILLOT, nonne supponit detestationem peccati, sine qua « impossibile est ut peccatum personale alicui umquam remittatur » (BILLOT *De Pœnit.* th. 7), necnon statum gratiæ, siquidem « impossibile est reparari id quod est post principium, antequam reparetur principium ipsum » (BILLOT *De nat. et rat pecc.* p. 119)? Atqui detestatio peccati gratia informata est præcise fervor caritatis, de quo loquitur S. THOM. Ergo.

[60] S. THOM. 3 p. q. 87 a. 2 ad 3; a. 4 ad 2; *IV Dist.* 17 q. 2 a. 2 q. 4 ad 1.

[61] Nam sacramenta conferunt gratiam: atqui « in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse peccata venialia, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum, ideo quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur ». S. THOM. 3 p. q. 87 a. 2.

[62] Cf. supra n. 224.

gratiam, quæ præcedentem detestationem reddit caritate formatam [63], et hoc maxime fit in sacramento Pœnitentiæ [64].

ART. 2 - DE VIRTUTE PŒNITENTIÆ.

306. **Quid pœnitentia.** Pœnitentia, quasi *pœna tenet me,* est virtus quæ tendit ad destructionem peccati [1]. Jamvero quidam considerantes quod peccata opponuntur virtutibus, quæ non solum inclinant ad prosecutionem suorum objectorum, sed etiam ad remotionem contrariorum, dixerunt pœnitentiam esse virtutem generalem, seu proprietatem uniuscujusque virtutis [2]; at cum S. THOMA affirmari debet esse *virtutem specialem.* Ratio est quia « species habituum distinguuntur secundum species actuum, et ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scil. *operari ad destructionem peccati præteriti, inquantum est Dei offensa,* quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere quod pœnitentia est specialis virtus » [3], quæ potest definiri: *Virtus moralis* [4] *et supernaturalis inclinans hominem ad compensandam injuriam per peccatum Deo illatam.* Actus quibus injuriæ compensatio perficitur, sunt *dolor, propositum* et *satisfactio,* et de his modo dicendum est.

307. **Dolor.** Præcipuus pœnitentiæ actus est *dolor de peccato commisso;* repugnat enim quicumque motus ad destructionem peccati præteriti, si animus non recedat ab inordinato amore crea-

---

[63] « Quamvis culpa quoad maculam sine contritione non dimittatur, tamen hoc sacramentum *per gratiam,* quam infundit, facit quod ille motus arbitrii in peccatum sit *contritio* » seu fervor caritatis. S. THOM. IV q. 23 q. 1 a. 2 s. 1 ad 2; 3 p. q. 45 a. 1 ad 8; *De Malo* q. 7 a. 11 ad 14; *IV Dist.* 2 q. 1 a. 1 sol. 4; 16 q. 1 a. 2 sol. 3 ad 1: 17 q. 3 a. 3 sol. 3 ad 2.

[64] De tota hac quæstione vide opusc. meum *De natura et remissione peccati.*

[1] Pœnitentia « a *punitione* nomen accepit, quasi *punitentia,* aut *pœnitentia,* per quam scil. homo pœnitendo punit, quod male admisit peccando ». ISID. Hisp. *Etym.* VI; LACT. *De div.* inst. VI c. 24.

[2] ALTISIODORENSIS et FR. MAIRONIS (apud *De August.* II p. 1 a. 1). — DURANDUS confundit cum caritate, et CAJET. habet ut effectus caritatis, religionis et justitiæ vindicativæ (apud *Pesch* n. 93).

[3] S. THOM. 3 p. q. 85 a. 2; *IV Dist.* 14 q. 1 a. 1 sol. 3; *Quodl.* 7 c. 3.

[4] Virtutes theologicas directe respicere Deum, et ternario numero claudi, ostendimus in tr. *De Gratia* Vol. 3 n. 465.

turæ, odio prosequendo quod prius *contra* (in mortali) vel *præter* (in veniali) divinam legem dilexerat. Hic autem recessus non est sine displicentia seu dolore de peccato commisso; sicut enim bonum nondum possessum excitat *desiderium*, et possessum affert *gaudium;* ita malum in se inspectum generat *odium* et detestationem, consideratum vero in subjecto *dolorem*, qui ab AUG. dicitur « *displicentia* de his quæ *nobis nolentibus* accidunt » [5].

308. **Doloris qualitates.** Jam age: non quælibet displicentia valet ad destructionem peccati, sed, ut catechismus docet, dolor esse debet *internus, supernaturalis, summus* et *universalis*. INTERNUS, quia peccatum non est corporis sed animæ, moralis scil. inordinatio quæ sola voluntatis retractatione removeri potest: unde dolor *sensibilis* nec requiritur, nec sufficit, sed in *amaritudine animæ* recogitanda sunt peccata [6], secundum illud Joëlis: *Scindite corda vestra et non vestimenta vestra* [7]. SUPERNATURALIS, quia dolor ad destructionem peccati ordinatur; peccatum vero in præsenti ordine dicit recessionem a *supernaturali fine*, in quem solo actu supernaturali quisque potest ordinari [8]. SUMMUS seu supra omnes dolores naturales, quia *amor* et *odium* debent proportionari; unde sicut summo amore ultimus finis est prosequendus, ita summo odio detestanda sunt quæ ab eo removent. Hinc legimus: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ* [9]. Et iterum: *Dole et satage quasi parturiens* [10]. UNIVERSALIS prout debet extendi ad omnia peccata mortalia; cum enim mortalia ex parte aversionis sint connexa, nec unum sufficienter detestatur, si cetera, saltem implicite, odio non prosequantur [11].

---

[5] AUG. *De Civ. Dei* XIV c. 15. *Odium, detestatio* et *dolor* formali ratione differunt, nam « *odium* est a peccato simplex aversio: *detestatio* addit odio desiderium quo cupimus peccatum numquam a nobis fuisse admissum: et ex detestatione peccati oritur *dolor*, seu afflictio et lucta quædam animi conantis malum excutere ». DE AUGUST. II p. 30.

[6] Isai. **38.** 15.

[7] Joël **2.** 13. **NB.** Licet fletus, gemitus, vultus tristitia, oculorum demissio, et alia hujusmodi non sint dolor virtutis pœnitentiæ; ex intimo tamen nexu quo anima corpori ligatur, merito habentur signa interni doloris, quibus ipsemet fit sacramenti materia.

[8] Qui nobiscum supernaturalitatem actus etiam ex objecto formali deducunt, ad supernaturalitatem doloris exigunt quod ex principiis fidei concipiatur. Cf. DE AUGUST. II p. 79-80.

[9] Deut. **4.** 20.

[10] Michæas **4.** 10. — « Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit ». CYPR. *De Lapsis* c. 35; CATECH. ROM. p. 2 c. 56 n. 46.

[11] « Omnia peccata conveniunt in aversione a Deo, ratione cujus gratiam

309. **Dolor intensive et appretiative summus.** Perfectio doloris potest attendi secundum gradum *intensitatis* actus et secundum ejus *speciem* quæ ex motivo determinatur; primo modo dolor dicitur *summus intensive,* altero *appretiative.* Porro non defuerunt theologi qui dolorem summum voluerunt etiam intensive, si non *absolute* quoad omnes possibiles gradus, saltem *respective* ad naturales affectus horroris mali et amoris boni qui adsint in subjecto, vel ad copiam gratiæ receptæ [12]; sed communi sententia summitas doloris non ex gradu intensitatis, sed ex ejus motivo deducitur [13]. Ratio est quia actus *absolute* summus repugnat, siquidem omnis creaturæ actus est finitus et intensiorem admittit [14]; si vero ex intensitate *respectiva* justificationis adeptio meteri deberet, nonnumquam actus majoris perfectionis non assequeretur quod minoris perfectionis obtineret, quod quidem repugnare manifestum est. Hinc SCRIPTURÆ de gradu doloris silent, absolute testantes quod *cum converterit se impius ab impietate sua... ipse animam suam vivificabit* [15], et *omnis qui diligit, ex Deo natus est* [16]. PATRES cum AUG. affirmant quod homo, cum caritatem « *habere cœperit,* Spiritum S. habebit » [17]; licet « quantum crescit amor tantum *crescat* pulchritudo » justitiæ [18]. « Dicendum ergo quod *quantumcumque parvus sit dolor,* dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet » [19].

---

impediunt: unde ad justificationem non requiritur quod in ipso justificationis momento aliquis *de peccatis singulis cogitet;* sed sufficit quod cogitet de hoc quod per culpam suam est aversus a Deo ». S. THOM. *De Verit.* q. 28 a. 5 ad 4; *Suppl.* q. 2 a. 6. — **NB.** Multi excipiunt casum peccatoris, qui detestatur peccatum ex motivo particularis virtutis (DE AUGUST. p. 23; PESCH n. 121); sed fateor me non intelligere, siquidem pœnitentia, licet possit imperari a particulari motivo unius virtutis, attingit tamen peccatum sub ratione *offensæ Dei,* quæ quidem ad omnia peccata, utut ignorata, se extendit.

[12] Citantur HADRIANUS, SOTO, SCOTUS, BONAV.; sed SCOTUS loquitur potius de *duratione* et BONAV. de *dominio voluntatis* quod appretiationem et non intensionem respicit. PALMIERI *De Pœn.* th. 24 p. 266.

[13] S. THOM., DURAND., SUAREZ, TOLET., etc. apud PALMIERI *l. c.* p. 265, qui eis adhæret; DE AUGUST. II *th.* 6 p. 56 sqq.; PESCH n. 137 sqq.; TEPE n. 522 sqq.

[14] Ne dicas virtutem creaturæ esse finitam, quia vix umquam creatura agit *tota* sua virtute, et quia actus supernaturalis maxime est a gratia, quæ limites non agnoscit.

[15] Ezech. **18**. 27.

[16] 1 Joan. **4**. 7.

[17] AUG. in *Joan.* tr. 9 n. 8.

[18] AUG. in 1 *Joan.* tr. 9 n. 9.

[19] S. THOM. *Supp.* q. 5 a. 3; BONAV. *IV Dist.* 16 p. 1 a. 2 q. 1 — **NB.** Ne dicas Deum esse diligendum ex *toto* corde, ex *tota* mente, ex *tota* anima, ex *tota* virtute (Matth. **22**. 37); hoc enim intelligitur de *appretiatione summa;* scil. « præcipitur nobis ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est *ex toto corde;* et quod intellectus noster

310. **Attritio et contritio.** « In corporalibus dicuntur *attrita,* quæ aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfecte sunt comminuta; sed *contrita* dicuntur, quando omnes partes tritæ sunt simul per divisionem ad minima. Et ideo significat *attritio* in spiritualibus quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam: *contritio* autem perfectam »[20]. Jamvero ex prædictis patet doloris perfectionem non esse deducendam ex gradu actus, sed ex specie, seu ex motivo quo ad detestionem peccati movemur: ad peccati autem detestationem movemur sub duplici respectu *mali Dei* cujus est offensa, et *mali nostri* qui ex peccato reatum culpæ et pœnæ contrahimus: secundum primum movemur ab *amore Dei* seu a caritate, qua diligimus Deum in se, gratis, non propter mercedem, reddentes ei gratuitum amorem, quem ab ipso suscepimus[21]; secundum alterum movemur ab *amore nostri* seu « ex turpitudinis peccati consideratione[22], vel ex gehennæ et pœnarum metu »[23]: primus detestationis modus est perfectior, ideoque *contritio;* alter est bonus sed imperfectior, ideoque *attritio.*

311. **Timor filialis, servilis, serviliter servilis.** Detestatio peccati est quidam actus *fugæ:* atqui fuga mali est effectus *timoris:* ergo detestatio peccati est effectus alicujus timoris. Si timor movens ad fugam et detestationem peccati provenit ex apprehensione divinæ offensæ, prouti est malum Dei, dicitur *filialis;* si ex apprehensione ejusdem offensæ, prouti est ratio pœnarum vel dedecoris nostri, dicitur *servilis;* et quidem ita ut, si moveat ad detestationem culpæ, vocetur *simpliciter servilis* ; si maneat in apprehensione malorum ingruentium, quin ad detestationem peccatorum perveniat, dicatur *serviliter servilis.* — Timor peccati ex apprehensione divinæ offensæ, prouti est malum Dei, oritur ex caritate et dicitur *filialis,* quia filius ex amore patris fugit quæ ipsi displicent: timor ex apprehensione malorum, quæ ex offensa Dei ingruunt peccatoribus, oritur ex amore nostri (ac proinde ex spe) et dicitur *servilis,* quia servi ex propria utilitate moventur ad agenda quæ sunt domini: timor

---

subdatur Deo, quod est *ex tota mente;* et quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est *ex tota anima;* et quod exterior actus noster obediat Deo, quod est *ex tota fortitudine,* vel *virtute,* vel *viribus* Deum diligere ». S. THOM. 2-2 q. 44 a. 5.

[20] S. THOM, *Suppl.* q. 1 a. 2 ad 2.

[21] GREG. Naz. hom. 3; CHRYS. in *Rom.* **2** hom. 9; AUG. *De Doctr. Chr.* I c. 4; III c. 10 n. 16; BERNARD. *De dilig. Deo* c. 9 n. 26.

[22] In attritione *peccati turpitudo* consideratur *in se,* prouti est animæ macula; si enim detestaretur *in ordine ad Deum,* prouti est ejus offensa, attingeret perfectionem contritionis.

[23] CONC. TRID. sess. 14 cp. 4.

qui manet in apprehensione malorum et non procedit ad detestationem peccatorum, dicitur *serviliter servilis*, quia ratio servitutis in ipso est absoluta et totaliter deficit a ratione timoris filialis [24]. Timor *filialis* est optimus et proprius justorum [25]: *servilis* est bonus et potest inveniri tam in justo quam in peccatore: *serviliter servilis* est malus et in peccatore tantum habet locum.

312. **Amor initialis.** Cum Joannes dicat: *qui non diligit, manet in morte* [26], et CONC. TRID., justificationis modum describens, post fidem et spem enumeret actum, quo credentes Deum « tamquam omnis justitiæ fontem *diligere incipiunt* » [27], quidam ab bonitatem attritionis requisierunt *amorem* initialem [28]. Verum, ni verbis ludere. velimus, attritio a contritione adæquate distinguitur; præter *spem* enim quæ Deum respicit ut bonum nostrum, et *caritatem* quæ ipsum ut bonum in se appetit, non datur alia virtus theologica quæ Deum attingat ut objectum voluntatis; in spe autem fundatur attritio et in caritate contritio. Quod si *initialis amor* non intelligatur uti parva quædam dilectio, sed ut prærequisitum seu exordium vel via ad amorem [29], dicendum est attritionem ipsam esse amorem initialem, tum *negative* quia removet affectum peccaminosum, cum *positive* quia observatio mandatorum et dilectio Dei, ut est nobis bonum, ducit ad dilectionem Dei, ut est bonum in se [30].

313. **Propositum non peccandi de cetero.** Propositum est firma voluntas non peccandi, quæ, si efficax, removet peccatorum occasiones. Sed distinguiturne a dolore de quo diximus? Si consideratur *formaliter*, affirmari debet, quia dolor respicit præteritum et propositum futurum, et quia illud est de peccatis commissis, hoc autem etiam de non commissis; sed si *radicaliter* attenditur, negandum videtur, quia est impossibile quod vel unum peccatum detestemur uti *offensam Dei*, quin omnia in futuro vitare velimus [31]. Profecto

---

[24] In quo timor *servilis* differat a *serviliter servili* enucleate exponit PESCH n. 154.

[25] Dico proprium *justorum*, quia timor filialis non expellitur a caritate (1 Joan. **4**. 18), sed expellit peccatum (Eccl. **1**. 27), et fuit in Christo (JANSSENS IV p. 352-4).

[26] 1 Joan. **3**, 14.

[27] CONC. TRID. sess. 6 cp. 6.

[28] CARD. PALLAV. et SARDAGNA apud *Tepe* n. 555.

[29] « Accipitur amor *large* pro amore imperfecto quod est *desiderium*, quod est primus motus appetitivæ virtutis ». S. THOM. *III Dist.* 26 q. 2 a. 3 sol. 2 ad 3.

[30] « Timor qui est *initium dilectionis*, est timor servilis, qui introducit caritatem, sicut seta introducit linum ». S. THOM. 2-2 q. 19 a. 8 ad 1. Cf. PESCH n. 157; BILLOT th. 15 p. 154 sqq.; TEPE n. 556.

[31] PESCH n. 116 excipit dolorem ex motivo particulari conceptum, sed, ut dixi, non videtur possibilis dolor *(sum-*

detestatio peccati præteriti procedit ex odio peccati secundum se considerati, qui vero odio prosequitur peccatum, voluntatem committendi nequit habere, siquidem voluntas appetit quod diligit, fugit quod odit. Nec valet propositum esse quoque de peccatis non commissis; vera enim pœnitentia movetur ad detestationem peccati propter offensam Dei, quæ communis omni peccato, sicut continet dolorem de oblitis, ita includit propositum vitandi etiam quæ menti non occurrunt. Neque dicas CONC. TRID. distinguere dolorem a proposito [32]; formaliter enim secernuntur: unde sicut Concilium distiguit *dolorem* inter et *detestationem,* quamvis, omnibus fatentibus, dolor detestationem seu odium peccati includat; ita distinguit dolorem a proposito, licet in vero dolore propositum includatur. Imo si verba Concilii premere velimus, contrarium potius demonstrabimus; non enim loquitur de diversis pœnitentiæ actibus, sed de una *contritione,* quæ primum locum inter pœnitentiæ actus tenet, quamque describens docet esse dolorem ac detestionem cum proposito, quasi diceret non esse veram contritionem nisi illam quæ hæc tria aliquomodo continet [33].

314. **Propositi dotes.** Propositum, juxta Catechismum, *universale, firmum* et *efficax* esse debet. *Universalitas* sequitur ex doloris motivo; si enim dolore offensæ Dei movemur ad propositum, hoc se extendere debet quantum offensa Dei, ac proinde ad omnia mortalia [34]. *Firmitas* requiritur a supernaturalitate actus et a summitate doloris; dolor enim, qui omnibus prævalet, ex natura sua vincit omne obstaculum. *Efficacitas* sequitur naturam actus humani; qui enim finis assecutionem sincere vult, de mediis cogitat: qui ergo legem Dei servare proponit, ea removet quæ ad legis violationem inducunt, cujusmodi sunt voluntariæ occasiones peccandi. Qua vero ratione firmitas et efficacitas propositi in

---

mus), utut ex motivo particulari conceptus, qui ad omnia peccata sub confusa ratione *offensæ Dei* non perveniat.

[32] CONC. TRID. sess. 14 cp. 4, contritionem dicit « animi dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero ».

[33] Sufficientiam propositi impliciti tenent BILLOT th. 12 p. 119; PESCH n. 116; TEPE n. 590 et auctores ab his relatis: DE AUGUST. alteri sententiæ favet. — **NB.** Quamvis explicitus actus propositi non sit de essentia pœnitentiæ, certe præstat distincte elicere, quod, juxta S. ALPHONS. *Theol. Mor.* VI n. 450, ad securitatem sacramenti faciendem est.

[34] Ad venialia dolor de peccato mortali per se non extenditur, quia veniale est circa medium et non opponitur caritati; sed dolor de veniali detestationem mortalium includit, quia detestatio offensæ levis dolorem de gravibus importat. SUAREZ *De Pœn.* Disp. 3 sect. 8.

praxi explicentur, docet theologia moralis: in præsenti meminisse sufficiat non esse propositi *effectus,* sed *dotes* seu qualitates, quæ consistere possunt etiam cum quis, a proposito resiliens, promissa non exequitur et in peccata relabitur.

315. **Satisfactio** in sua generica ratione est *reparatio injuriæ Deo illatæ;* unde, quasi actus justitiæ [35], revocat omnia, quibus solvitur Deo peccatorum debitum. Si hæc reparatio adæquate perficeretur contritione, nihil prædictis esset addendum; sed ordinarie reparatio facta per contritionem perfectam vel sacramentalem confessionem non exæquat gravitatem injuriæ illatæ; et ideo, remissa culpa et pœna æterna, manet pœna temporalis solvenda in hac vel futura vita. Contra hujusmodi peccatorum reliquias maxime ordinatur satisfactio, quæ definiri solet: *Voluntaria pœnæ perpessio ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, et ad redimendam pœnam temporalem post remissum peccatum reliquam.* Dicitur *pœnæ perpessio,* quia opera satisfactoria sunt pœnalia, siquidem reintegratio justitiæ exigit ut, qui voluntati suæ ultra licitum indulsit, contra voluntatem aliquid sustineat. Dicitur *voluntaria* perpessio, quia satisfactio activam quamdam notionem præfert, unde pœna ab alio inflicta potius *satispassio* quam satisfactio vocatur. Dicitur *ad compensandam injuriam Deo illatam,* quia opera pœnalia exerceri possunt etiam ad concupiscentiæ fomitem compescendum et ad meritum æternæ gloriæ augendum. Dicitur *et ad redimendam pœnam temporalem post remissum peccatum reliquam,* quia satisfactio, ut actus distinctus a dolore et confessione, non respicit culpam nec pœnam æternam, sed pœnam temporalem, quæ ordinarie, remissa culpa et pœna æterna, solvenda manet in hac vel futura vita.

316. **Quæ satisfactionis efficacia et materia.** Quod attinet ad EFFICACIAM satisfactionis distinguendum est inter satisfactionem sacramentalem quæ imponitur a confessario, et extrasacramentalem quam quisque libere assumit: illa vim habet *ex opere operato,* unde per se loquendo est independens a meritis agentis; hæc *ex agente* provenit, unde et supponit conditiones prærequisitas ad meritum, quarum prima, ut vidimus in tractatu *de Gratia,* est status justitiæ [36]. De illa dicemus in quæstione de sacramento pœnitentiæ, de hac nota quod « pœna in hac vita voluntarie suscepta, multo plus purgat quam pœna post mortem inflicta » [37];

---

[35] S. THOM. 3 p. q. 85 a. 3.
[36] Vol. 3 n. 552.
[37] S. THOM. *IV Dist.* 47 q. 2 a. 3 sol. 2 ad 5; *Dist.* 20 q. 1 a. 1 sol. 3 ad 2.

post mortem enim, cessante merito, æqualitatem inter passionem et reatum pœnæ intercedere debet; in præsenti vero satisfactio injuriæ reparationem dicit, ac proinde ad solutionem debiti operatur per modum meriti, quod ex solo gradu actus non pensatur. — Satisfactionis MATERIA sunt eleemosyna, jejunium et oratio. « Recompensatio offensæ, inquit S. THOM., importat adæquationem, quam oportet esse ejus qui offendit, ad eum in quem offensa commissa est. Adæquatio autem in humana justitia attenditur per subtractionem ab uno, qui plus habet justo, et additionem ad alterum cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo, quantum est ex parte ejus, nihil subtrahi possit, tamen peccator quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando. Unde oportet ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quod est hujusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi sit pœnale. Et ideo *ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut in honorem Dei sit; et pœnale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur* »[38]. Jam age: « Nos non habemus nisi tria bona, scil. bona animæ, et bona corporis, et bona fortunæ, scil. exteriora. Ex bonis quidem fortunæ subtrahimus nobis aliquid per *eleemosynam;* sed ex bonis corporis per *jejunium;* ex bonis autem animæ non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti, sed per hoc quod ea submittimus Deo totaliter, et hoc fit per *orationem* »[39].

317. **Errores - Veritas.** Pœnitentiæ *necessitatem* negaverunt REFORMATORES: *efficaciam* aggressi sunt MONTANISTÆ et NOVATIANI apostasiam, mœchiam et homicidium irremissibilia habentes: *tempus* coarctarunt TERMINISTÆ: *naturam* corruperunt LUTHERANI reponentes in simplici mutatione voluntatis: *doloris proprietates* non agnoverunt LUTHERUS, JANSENIUS, QUESNELLUS dicentes *attritionem* malam et coactam, P. OXUM. et REFORMATORES subtrahentes votum sacramenti a *contritione perfecta,* et BAJUS contritionis virtutem justificandi ad casum necessitatis coarctans: *satisfactionum* utilitatem impugnarunt REFORMATORES cum BAJO, naturam MODERNISTÆ[40]. **Veritas** est definita in CONC. TRID., quod de *natura* pœnitentiæ ait: « quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam (necesse fuit)... ut, perversitate abjecta et emendata, tantam Dei offensionem,

---

[38] S. THOM. *Suppl.* q. 15 a. 1.
[39] S. THOM. *l. c.* a. 3.
[40] Supra n. 297.

cum peccati odio, et pio animi dolore detestarentur »: de pœnitentiæ *necessitate* ait: « Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius »: de *efficacia* quod Montanistas et Novatianos « magna ratione Ecclesia Catholica tamquam hæreticos explosit atque condemnavit »: de *bonitate attritionis* quod « si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ... non solum non facit hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei est, et Spiritus S. impulsus »: de *contritionis perfectæ indole* quod « hominem Deo reconciliat priusquam hoc (pœnitentiæ) sacramentum suscipiatur », non tamen « sine sacramenti voto »: de *satisfactione:* « S. q. d. pro peccatis, quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus...; a. s. » [41].

THES. 48. *Pœnitentia non est simplex mentis et consilii mutatio, sed* — 1 *animi dolor ac detestatio de peccato commisso* — 2 *cum proposito non peccandi de cetero.*

318. **Prima pars.** *Pœnitentia importat animi dolorem et detestationem peccati.* **Ex Scripturis.** Nam Scripturæ, cum de peccatorum pœnitentia agunt, loquuntur de contritione [42] et scissione cordis [43], de sui reprehensione [44], de lacrymis [45], de cinere et cilicio [46]: atqui ista non exhibent notionem solius mutationis consilii, sed veri doloris ac detestationis peccatorum: ergo. **Ex Patribus.** Hi enim *a*) cum GREG. M. pœnitentiam definiunt: « præterita peccata *deflere* et flenda non committere » [47]: *b*) cum TERTUL.

---

[41] CONC. TRID. sess. 14 cp. 1 — l. c. cp. 4 — sess. 16 cp. 1 — sess. 14 cp. 4; cn. 5; damn. *P. Oxum.* a. 1479; damn. *Baî* a. 1567 prop. 31, 32, 33, 70, 71 — sess. 14 cn. 13.

[42] *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Ps. **50**. 19.

[43] *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Joël. **2**. 3.

[44] *Ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* Job **42**. 6; Gen. **3**. 13; **4**. 6; Jud. **2**. 2.

[45] *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.* (Ps. **6**. 7). Magdalena *lacrymis cœpit rigare pedes* Christi (Luc. **7**. 38), et Petrus, pœnitentiam agens de negatione, *flevit amare* (Matth. **26**. 75).

[46] *Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent.* Luc. **10**. 13. Cf. pœnitentiam Ninivitarum in Jon. **3**. 5-9.

[47] GREG. M. in *Evang.* hom. 34.

pœnitentiæ actus dicunt « sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, *animum mœroribus dejicere,* illa, quæ peccavit, *tristi tractatione mutare,...* jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, mugire ad Dominum, etc. »[48]: *c*) cum AUG. vero affirmant quod « non sufficit mores in melius mutare et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciat Deo per pœnitentiæ *dolorem*, per humilitatis *gemitum*, per *contriti cordis* sacrificium, cooperantibus eleemosynis »[49]. **Ex ratione.** Nam « nemo eligit vitam novam, nisi quem veteris pœnitet »[50]. Profecto qui recedit ab aliquo, illud apprehendit sub ratione *mali*; bonum enim « omnia appetunt »[51]: atqui malum *in se* est objectum odii seu detestationis, *in subjecto* vero doloris: ergo recessus a culpa importat detestationem peccati et dolorem de commisso. « Non potest contingere, ait S. THOM., quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis ejus. Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ quod voluntas hominis sic immutetur ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ, et proposito emendandi »[52].

319. **Secunda pars.** *Est de ratione pœnitentiæ propositum non peccandi de cetero.* Licet enim de necessitate propositi *expliciti* dubitari possit[53], *implicitum* est de ipsa ratione doloris; dolor enim de peccato commisso est effectus apprehensionis peccati sub ratione mali: atqui repugnat malum præteritum videri bonum pro futuro: ergo in detestatione peccati hoc apprehenditur malum etiam pro futuro: atqui actus consequens apprehensionem mali est fuga: ergo voluntas, quæ dolet de peccato præterito, non vult committere in futuro, seu habet propositum non committendi de cetero.

THES. 49. *Pro remissione peccatorum pœnitentia absolutæ est necessitatis.*

320. **Ex Scripturis.** Nam Scripturæ peccatorum remissionem *a*) pœnitentiæ tribuunt *b*) etiam quando effectus per sacramenta

---

[48] TERTUL. *De Pœn.* c. 9; CYPR. *De Laps.* c. 29; c. 35. « Sicut, ait AUG. *Serm.* 351 n. 1, comes pœnitentiæ dolor est; ita lacrymæ sunt testes doloris ».

[49] AUG. *Serm.* 351 n. 12; AMBR. in *Ps.* **37** n. 2; ISID. Hisp. *Sent.* II c. 13.

[50] AUG. *Serm.* 352 n. 2.

[51] ARIST. *Ethic.* I c. 1 1094 a.

[52] S. THOM. 3 p. q. 86 a. 2.

[53] Supra n. 313.

obtinetur, et *c*) quidem ita, ut sine illa frustra speretur venia et salus: atqui hæc prædicant absolutam necessitatem pœnitentiæ: ergo. PROB. MIN. *a*) Sic in V. T. Dominus dicit: *Convertimini ad me, et convertar ad vos* [54]. *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: et non erit vobis in ruinam iniquitas* [55]: in N. T. autem legimus: *Pœnitemini... et convertimini ut deleantur peccata vestra* [56]. *b*) Necessitatem pœnitentiæ etiam in sacramentis mortuorum docet S. Petrus: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine J. C. in remissionem peccatorum* [57]. *c*) Sine pœnitentia tandem frustra veniam sperari Christus annuntiavit turbis dicens: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* [58]; quæ quidem verba ex sese et ex contextu (arguit enim a minori ad majus) æternam pœnam comminantur peccatoribus pœnitentiam non agentibus, secundum illud Eccli.: *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini et non in manus hominum* [59]. — **Patres** integros sermones habent de necessitate pœnitentiæ [60]. Ut unus alterusve audiatur, sic CYPR.: « Agite pœnitentiam plenam dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam. Qui pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt » [61]. Et AMBR.: « Peccatum non tollitur nisi lacrymis et pœnitentia. Nec angelus potest, nec arcangelus. Deus ipse... nisi pœnitentiam deferentibus non relaxat » [62]. Et GREG. M.: « Ventura ira est animadversio ultionis extremæ, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit » [63]. — **Ex ratione.** Nam manente causa, manet effectus: atqui affectus peccaminosus est causa peccati: ergo sine ejus remotione peccatum non solvitur: atqui affectus peccaminosus sola pœnitentia removetur: ergo.

THES. 50. *Omnia peccata ante mortem possunt expiari.*

321. Nam **Scripturæ** *a*) absolute remissionem promittunt pœnitentiam agenti, eamque *b*) expresse extendunt ad omnes peccatores, *c*) utut gravissimorum criminum reos. Sic v. g. legimus — *a*) *Im-*

---

[54] Zach. **1**. 3.
[55] Ezech. **18**. 30; Jerem. **35**. 15; Joël **2**. 12-3; etc.
[56] Act. **3**. 19.
[57] Act. **2**. 38.
[58] Luc. **13**. 3-5.
[59] Eccli. **2**. 22.
[60] TERTUL. *De Pœn.;* CHRYS. hom. novem *de Pœn.;* AUG. *Serm.* 351 et 352; etc.
[61] CYPR. *De Laps.* n. 32 sqq.
[62] AMBR. *Epist.* 51 n. 11.
[63] GREG. M. in *Evang.* hom. 20 n. 7.

pietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. Convertimini ad me... et convertar ad vos[64]. — *b) Misereris* OMNIUM... *et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*[65]. *Si impius egerit pœnitentiam...* OMNIUM *iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*[66]. *Patienter agit* (Deus) *propter vos nolens* ALIQUOS *perire, sed* OMNES *ad pœnitentiam reverti*[67]. — *c) Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*[68]. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te*[69]. — **Patres,** non secus a Scriptura, universim salutis spem prædicant, atque, pejoribus criminibus enumeratis, ea remissibilia esse docent, sola excepta impœnitentia finali, quia est sine pœnitentia. « Omnibus ergo delictis, inquit TERTUL., seu carne seu spiritu, seu facto seu voluntate commissis, qui (Deus) pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spopondit »[70]. PACIAN., commemoratis pluribus evangelicis parabolis, atque revocatis peccatorum exprobrationibus, concludit: « Quid illa tot similitudinum dominicarum argumenta respondent?... (Spiritus S.) omnes ad pœnitentiam satisfactionis invitat »[71]. Et CHRYS.: « Pone quempiam omni flagitio plenum, qui... scortator, mœchus, mollis, fur, ebriosus, pæderastes, calumniator evaserit, et alia id genus crimina admiserit...; *etiamsi ad extremam usque senectam in nefariis illis atrocibusque flagitiis perseveraverit...,* (si) ad virtutis viam redire voluerit, ipsum (Deus) suscipit et amplexatur »[72]. AUG., qui dixerat esse aliquod peccatum irremissibile, se corrigens, ait: « Addendum fuit, *si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam;* quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum »[73]. — **Ex ratione.** Nam peccator quantumcumque reus, non est in termino sed in via ad consecutionem ultimi finis: atqui omnino decet quod viator pro lubito possit ad finem accedere vel recedere: ergo sicut justus ante mortem semper potest peccare, ita decet ut peccator semper possit converti. Ceterum Deus *vult omnes*

---

64 Ezech. **32.** 2; Zach. **1.** 3-4.
65 Sap. **11.** 24.
66 Ezech. **18.** 21-2.
67 2 Petr. **3.** 9.
68 Isai. **1.** 18.
69 Jerem. **3.** 1.
70 TERTUL. *De Pœn.* c. 4.
71 PACIAN. Ep. 1 ad *Sympr.* n. 5.
72 CHRYS. *Ad Theod. laps.* I n. 4-6.
73 AUG. *Retract.* I c. 19 n. 7.

homines salvos fieri[74]: atqui sine remissione peccatorum salus æterna repugnat: ergo.

THES. 51. *Attritionis dolor est* — 1 *supernaturale Dei donum, ideoque actus moraliter bonus,* — 2 *sine sacramento tamen in re suscepto non justificat.*

322. **Prima Pars.** *Attritio est moraliter bona.* **Ex Scripturis.** Nam in V. T. legimus quod *initium sapientiæ timor Domini*[75], et quod *timor Domini expellit peccatum*[76]: in N. non solum Præcursor timore iræ Dei ad pœnitentiam vocabat judæos[77]; sed Christus pœnarum timorem suadebat pro implemento divinæ legis[78], imo præcipiebat[79]: atqui « nisi bonus esset timor non multos impendidisset Christus sermones et longos de pœna et supplicio illic futuris loquens »[80], nec timorem præcepisset: ergo. — **Ex Patribus.** TERTUL. ait: « Si de exomologesi retractas, *gehennam in corde considera,* quam tibi exomologesis extinguit »[81]. Et CLEM. Alex.: « Qui timorem accusant, legem insectantur. Quod si legem.... Deum »[82]. Similiter CHRYS.: « Quid gehenna gravius? *Sed hujus metu nihil utilius...* Timor nihil aliud est quam murus et munimentum et turris inexpugnabilis »[83]. AUG. vero de timore Dei scribit: « Dicturus ego sum: male times? Ista non dicam: plane time, *nihil melius times,* nihil est, quod magis *timere debeas* »[84]. — **Ex ratione.** Nam illud est bonum in genere morum, quod a bono principio procedens, in finem bonum ducit: atqui attritio, utut concepta ex pœnarum timore, provenit a bono principio, siquidem concipitur ex ordinato amore, quo quisque sibi nociva arcere potest et debet; et ducit in bonum finem, quia removet affectum peccati: ergo.

323. **Secunda pars.** *Sine sacramento re suscepto attritio non justificat.* Nam **Scriptura** ait: *Qui non diligit manet in morte*[85]:

---

[74] 1 Tim. **2**. 4.

[75] Ps. **110**. 10.

[76] Eccli. **1**. 27.

[77] Matth. **3**. 7 sqq.

[78] *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Matth. **5**. 29.

[79] *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Luc. **12**. 5.

[80] CHRYS. *Ad pop. Ant.* hom. 15 n. 2.

[81] TERTUL. *De Pœn.* c. 12.

[82] CLEM. Alex. *Strom.* II c. 7.

[83] CHRYS. *Ad pop. Ant.* hom. 15 n. 1-2.

[84] AUG. *Serm.* 161 n. 8.

[85] 1 Joan. **3**. 14.

atqui attritus Deum non diligit actu, neque habitu: ergo. **Conc. Trid.** in hoc pæcise contritionem opponit attritioni, quod illa, « priusquam sacramentum actu suscipiatur », Deo reconciliat; hæc autem « sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequit » [86]. **Ratio** est quia peccatum contrariatur caritati; unde caritate debet dispositive excludi. Profecto summum bonum, cujusmodi est gratia, dari non debet ei qui *ex toto corde* ad illius receptionem non operatur: atqui sola attritione homo non disponitur ad justificationem *ex toto corde,* seu modo meliori: ergo.

THES. 52. *Contritio caritate perfecta — 1 justificat etiam ante sacramenti pœnitentiæ susceptionem, — 2 etsi non sine sacramenti voto.*

324. **Prima pars.** *Contritio perfecta justificat ante sacramenti susceptionem.* **Ex Scripturis.** Nam legimus: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies* [87]. — *Cum converterit se impius ab impietate sua... ipse animam suam vivificabit. — Impietas impii non nocebit ei in quacumque die* (scil. statim ac) *conversus fuerit ab impietate sua* [88]: ergo datur aliquis dolor quo statim, ac proinde ante sacramenti susceptionem, peccator justificatur: atqui dolor specifice melior est contritio: ergo. Ceterum non minus in V. quam in N. T. dilectioni Dei repromittitur justificatio [89]: atqui contritio perfecta ex caritate oritur: ergo. — **Patres,** *a*) non secus a Scriptura, perfectæ pœnitentiæ justificationem absolute repromittunt. « Per hoc, inquit GREG. M., quod iniquitatem nostram perhorrescimus, *internæ jam munditiæ concordamur* [90]. Et FULG.: « Necesse est ut Deus peccatori misertus ignoscat, si peccator iniquitatem suam conversus agnoscat » [91]. *b*) Docent caritate hominem a quovis peccato justificari. « Sicut, ait CHRYS., ignis in silvam ingressus omnia purgare solet, sic caritatis fervor, quocumque inciderit, omnia tollit atque excindit... Ubi caritas est, omnia sublata sunt mala » [92]. Et AUG.: « Si quis in corde suo invenerit caritatem fra-

---

[86] CONC. TRID. sess. 14 cp. 4.

[87] Ps. **50**. 19.

[88] Ezech. **18**. 27; **33**. 12.

[89] *Ego diligentes me diligo.* Prov. **8**. 27. *Qui diliget me, diligetur a Patre meo:... ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Joan. **14**. 21-3. Supra n. 123.

[90] GREG. M. in *Evang.* hom. 33 n. 8.

[91] FULG. *De Remis. Pecc.* I c. 11-2 CHRYS. ad *Theod. laps.* I n. 67.

[92] CHRYS. in *2 Tim.* hom. 7 n. 3.

ternam, securus sit, quia transiit a morte ad vitam, jam in dextera est » [93]. *c*) Tandem efficaciam nostræ pœnitentiæ illustrant exemplis David [94], Ninivitarum [95], Magdalenæ [96], et Petri [97], qui profecto sola contritione sunt justificati. — **Ex ratione,** nam contritio perfecta « est quasi necessitas ad justificationem » [98]. Scil. *a*) congruit divinæ bonitati ut, cum homo meliori modo ad Deum convertitur, maneat ad eum bene dispositus: atqui contritione perfecta actu homo ad Deum convertitur, et sola gratia sanctificante ad Deum bene disponitur: ergo. *b*) Nonne « rea sibi est humana conscientia, si non amaverit redamantem, aut si amantem non redamaverit? » [99]. Congruit ergo ut Deus, qui redamationis instinctum indidit nobis, amantem redamet: atqui amor Dei justificat [100]: ergo. *c*) Non convenit ut in N. T. minus quid habeatur quam in V.: atqui in V. T. contritione perfecta peccatores justificabantur: ergo. *d*) Tandem universalitas salvificæ voluntatis exigit ut semper homo possit justificari: atqui ex defectu confessarii homo sæpe nequit sacramento justificari: ergo.

325. **Secunda pars.** *Contritio justificat voto sacramenti pœnitentiæ.* Cum gratia ex Christi institutione sacramento est adnexa, sine sacramento in re vel in voto suscepto, obtineri nequit [101]: atqui videbimus Christum confessionem peccatorum fecisse de necessitate salutis: ergo sine sacramenti voto contritio non justificat. [102].

326. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** *(Contra th. 48)* Licet vox latina peccatorum dolorem innuat, græca μετάνοια simplicem voluntatis mutationem dicit: atqui pœnitentiæ natura non a latinis, sed a græcis, qui præcesserunt, est deducenda: ergo [103]. **Resp.** Sensus vocis non a sola etymologia ducitur, sed ab usu; apud sacros [104] vero, imo

---

[93] AUG. in 1 *Joan.* tr. 5 n. 10; P. CHRYS., GREG. M., BERNARD. apud *Pesch* n. 129.

[94] AMBR. *Apol. David* c. 7 n. 39: AUG. in *Ps.* **31**. 15 enar. 2 n. 15-6; FULG. *De Remis. Pecc.* I c. 11-2.

[95] CHRYS. ad *Theod. laps.* I n. 6-7.

[96] GREG. M. in *Evang.* Hom. 33 n. 8.

[97] CHRYS. *De eleem.* hom. 3 n. 4.

[98] S. THOM. *Suppl.* q. 5 a. 1.

[99] AUG. *Confes.* IV c. 9.

[100] S. THOM. 1 p. q. 23 a. 1.

[101] Cf. supra n. 119.

[102] Hoc sacramenti votum sufficit quod sit implicitum.

[103] L. VALLA, ERASMUS, LUTHER., BEZA, CALV. apud *Bellar.* De Pœnit. I c. 7.

[104] Job **42**. 6; Matth. **11**. 21; Luc. **10**. 13; 2 Corinth. **12**. 21.

et apud profanos auctores, μετάνοια [105] et *pœnitentia* [106] non sumuntur de sola retractatione voluntatis, sed de peccatorum displicentia et pœna.

327. **Objic. 2.** *(Contra th. 49)* David confessione peccati, et Latro testimonio innocentiæ Christi, cui se commendavit, remissionem peccatorum obtinuerunt: Christus vero, quin retractationem aliquam requisierit ab adultera, peccatum ei dimisit [107], sicut ceteroquin facere solebat antequam ægrotos ab infirmitatibus corporis liberaret [108]: ergo dolor de peccato non est absolutæ necessitatis pro ejus remissione. **Resp.** Licet vera pœnitentia externis actibus manifestetur, ipsa tamen interiore cordis dolore absolvitur; dubitari vero non potest Christum ad interiorem actum contritionis efficaciter movisse eos quos a peccatis absolvit. Eadem dicenda sunt de David, qui pluribus quoque humilitatis et mortificationis actibus interiorem dolorem pandit.

328. **Objic. 3.** *(Contra th. 50)* In Scripturis recensentur qui, pœnitentia facta, remissionem peccatorum non obtinuerunt, et enumerantur peccata irremissibilia [109]: similiter et Patres maxime de peccato contra Spiritum S. et de negatione divinitatis Christi docent quod sunt irremissibilia [110]. Ergo. **Resp.** Testimonia Scripturæ explicavimus in trac. *De Gratia*, agentes de distributione gratiarum [111], ubi vidimus Scripturam dicere irremissibilia quædam peccata non *absolute,* sed vel ex *defectu veræ pœnitentiæ*, vel ex *sese*, prout auferunt conversionis medium, vel ex *ordinarie contingentibus,* quia scil. pauci de hujusmodi peccatis agunt pœnitentiam. Eadem repetenda sunt de Patribus, qui insuper aliquando exaggeratione rethorica [112] loquuntur de impossibilitate remissionis, ut a peccato committendo deterreant, et pro commisso diuturnam urgeant pœnitentiam [113].

329. **Objic. 4.** *(Contra th. 51)* Qui operatur ex timore non agit libere: atqui libertas est fundamentum moralitatis: ergo [114]. **Resp.** Timor mali physici et imminentis utique potest sic perturbare phantasiam ut libertatem auferat; sed motiva attritionis liberum arbitrium non perimunt,

---

105 PLUTAR. *Agis.* 19. 5; *Moral.* 961; LUCIAN. *De Salt.* 84 apud *Knab.* in Matth. I p. 117.

106 CICERO in *Tusc.* IV qq. c. 37; V qq. c. 28; OVID. *De Ponto* I Eleg. 1; AUSON. in Epigr. in *Simulac. Pœnit.;* GALLUS *Asinius,* etc. apud PALMIERI *De Pœnit.* th. 1 p. 3-4.

107 Joan. **8.** 11.

108 Matth. **9.** 2.

109 Matth. **12.** 31; Hebr. **4.** 4-6; **10.** 20; **12.** 17; 1 Joan. **5.** 16.

110 Citari solent HERMAS *Pastor* II Mand. 4; CYPR. *Testim.* III n. 28; Auct. *Const. Apost.* II c. 23; HILAR. in *Matth.* **12**; ATHAN. *ad Serap.* ep. 4 n. 9 sqq.; AMBR. (?) *De Lapsu virg.;* CHRYS. in *Hebr.* hom. 21 n. 2; AUG. Serm. 71 c. 5.

111 Vol. 3 n. 395-400.

112 PESCH n. 44.

113 Cf. PALMIERI th. 8 ubi eorumdem Patrum testimonia nostræ thesi faventia adducit, et opposita ex contextu explicat.

114 LUTHER. Serm. *de Pœn.*

quia liberum est homini pœnas comminatas considerare vel non, et quia bona et mala vitæ futuræ in præsenti non percipiuntur tota eorum intensitate; unde, teste experientia, etiam in sensu composito cum consideratione pœnarum inferni, homo libere peccatum detestatur.

330. **Objic. 5.** Pœnarum timor ab externo opere retrahit, non a pravo affectu: ergo facit hominem hypocritam, et ad salutem non ordinatur [115]. **Resp.** Pœnarum timor cohibet tantum actum externum, quando absentia exterioris actus sufficit ad pœnam vitandam, ut contingit in civili societate, quæ de internis non judicat, et in mercatore qui in periculo naufragii projicit aurum servando affectum, qui saluti non officit; sed verus pœnarum timor omnem affectum expellit, quando affectus ipse ad pœnas damnat, ut in præsenti contingit.

331. **Objic. 6.** « Propter quod unumquodque tale et illud magis »; qui ergo peccatum detestatur propter pœnam, plus timet pœnam quam culpam et magis diligit se quam Deum: atqui hoc est malum et peccatum: ergo. **Resp.** *Neg. cons.* Nam qui peccatum detestatur propter pœnam, non comparat bonum suum cum Deo, sed cum apparenti bonitate peccati, quam fugit ne illud amittat. Et similiter qui culpam fugit propter pœnam, nisi moveatur a timore serviliter servili, non odit tantummodo pœnam sed etiam culpam, quin comparationem inter utramque instituat: unde adagium objectum non habet locum, siquidem odium peccati proxime movetur ab offensa Dei, licet *occasio,* vel si placet *ratio,* detestandi peccatum (ut offensam Dei) sumatur ex intentione fugiendi pœnas.

332. **Objic. 7.** *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem* [116]: atqui quod opponitur caritati non est bonum: ergo. **Resp.** Dupliciter exponitur testimonium Joan., scil. de timore *serviliter servili,* et de evacuatione imperfecti per perfectum. Juxta primum AUG. ait: « Perfecta caritas foras mittit timorem... hominum non Dei, timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii » [117]. Juxta alterum scribit: « Timor locum præparat caritati. Cum autem cœperit caritas habitare, pellitur timor... sicut videmus per setam introduci linum; quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum... Opus est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat caritas. Timor medicamentum, caritas sanitas » [118].

333. **Objic. 8.** Patres dicunt dignum gehenna qui peccatum vitat, ne in gehennam incidat [119]: ergo attritio est mala. **Resp.** Cum Patres, qui opponuntur, expresse laudent gehennæ timorem, qui « regni nobis affert

---

[115] LUTHER. *l. c.* apud *Bellar.* De Pœn. II c. 18.

[116] 1 Joan. 4. 18.

[117] AUG. *De Virg.* c. 38.

[118] AUG. in 1 *Joan.* tr. 9 n. 4.

[119] CHRYS. in *Rom.* hom. 5 n. 6; AUG. *C. duas epist. Pelag.* I c. 9 n. 15; in *Joan.* tr. 43. 7.

coronam »[120], contraria verba exponenda sunt de timore serviliter servili, vel de ejus insufficientia ad salutem, quatenus sine sacramento non justificat.

334. **Objic. 9.** *(Contra th. 52)* Sicut caritati in Scripturis tribuitur justificatio, ita et fidei[121]: atqui fides sola non sufficit: ergo nec caritas, siquidem Christus pœnitentiæ sacramentum fecit de necessitate salutis. **Resp.** Jam vidimus non esse paritatem inter fidem et caritatem; hæc enim alias dispositiones includit, quod de illa non contingit[122].

ART. 3 – DE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ EXISTENTIA.

335. **Quid sacramentum pœnitentiæ ejusque figuræ.** Pœnitentia definiri solet: *Sacramentum a C. D. institutum, quo, peccatorum dolorosa confessione et legitimi sacerdotis absolutione, remittuntur peccata post baptismum commissa.* Ejus figuræ habentur *judicium lepræ* et *resurrectio Lazari;* sicut enim sacerdotes V. T. de secuta liberatione a lepra dabant authenticam sententiam, ita sacerdotes N. T. de munditia animi practice judicant; et sicut Apostoli a vinculis corporis solverunt Lazarum, ita sacerdotes a vinculis peccatorum solvunt pœnitentes.

336. **Sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum.** « Etiam in pœnitentia est aliquid quod est *sacramentum tantum,* scil. actus exercitus tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per sacerdotem absolventem; *res* autem *et sacramentum* est pœnitentia interior peccatoris; *res* autem *tantum* et non sacramentum est remissio peccati »[1]. Quoad *primum* nulla difficultas, videbimus enim materiam proximam hujus sacramenti esse pœnitentis actus (dolorem, confessionem et satisfactionem), formam vero absolutionem sacerdotis. Quoad *alterum* observa *rem et sacramentum* a sacramento externo significari, ideoque esse illud quod dolorosa confessio et absolutio exprimunt: atqui dolorosa confessio est signum interioris doloris, absolutio vero est juridica declaratio innocentiæ, qua circa interiorem « pœnitentiam ponitur *jus* dictum sive factum a judice absolvente »: ergo « immediatum sacramenti significatum simul et causatum, nihil aliud esse potest quam *interior pœnitentia, prout vi clavium efficitur titulus de se exigitivus remissionis peccati* »[2]. Quoad

---

120 CHRYS. *Ad pop. Ant.* hom. 15 n. 1.

121 Joan. **3**. 15; Act. **10**. 43; **13**. 39; **15**. 9; Rom. **1**. 17; **3**. 28; **5**. 1; Gal. **3**. 11; Ephes. **2**. 8-9; Hebr. **10**. 38 etc.

122 Supra n. 125.

1 S. THOM. 3 p. q. 84 a. 1 ad 3.

2 BILLOT *De Pœn.* p. 45.

tertium nota peccatum non solum privare hominem gratia sanctificante, sed inducere reatum pœnæ, inclinare ad nova peccata, et auferre pacem [3]: hinc gratia *sacramentalis* pœnitentiæ est primo *deletiva peccati,* consequenter autem *remissiva pœnæ* peccatis debitæ, *sanativa vulnerum* actualium peccatorum, et afferens « interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus, conscientiæ *pacem ac serenitatem* cum vehementi spiritus consolatione » [4].

337. **Errores - Veritas.** Etsi de extensione potestatis clavium erraverint antiqui hæretici, ipsum tamen sacramentum funditus evertere primo conati sunt NOVATORES pœnitentiam dicentes reditum ad baptismum seu ejus recordationem. Accedunt MODERNISTÆ negantes ex Joan. **20.** 22-3 probari hoc sacramentum, quod evolutione baptismi serius inductum in Ecclesia blaterant [5]. **Veritas** definita est in CONC. TRID.: « S. q. d., in catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum... », vel « sacramenta confundens, ipsum baptismum pœnitentiæ sacramentum esse dixerit...; a. s. » [6].

THES. 53. *Ex — 1 Matth.* **16.** 19, *et — 2 Joan.* **20.** 21-3 *invicte probatur existentia sacramenti pœnitentiæ — 3 a baptismo distincti.*

338. **Prima pars.** *Ex Matth.* **16.** 19 *probatur existentia sacramenti pœnitentiæ.* Testimonium sic se habet: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* **Argum.** In hoc testimonio Christus promittit Ecclesiæ [7] veram et plenam potestatem ligandi et solvendi ea quæ habent ordinem ad vitam æternam: atqui inter ea, quæ habent ordinem ad vitam æternam, sunt profecto peccata post baptismum commissa: ergo Christus promisit Ecclesiæ potestatem remittendi peccata post baptismum commissa: atque ideo sacramentum pœnitentiæ. **Ultima conclusio** qua parte transit a *promissione* ad *factum* difficultatem

---

[3] *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Isai. **48.** 22.

[4] CONC. TRID. sess. 14 cp. 3.

[5] Supra n. 297.

[6] CONC. TRID. sess. 14 cn. 1 et 2.

[7] Nil refert quod verba dicantur Petro; eadem enim recurrunt in plurali de aliis Apostolis. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis.* Matth. **18.** 18. Valere autem et de successoribus infra *ex natura rei* deducemus.

non habet, siquidem promissio Christi frustrari nequit, secundum illud: *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*[8]: qua vero parte ex potestate remittendi peccata deducit sacramentum, constat ex natura rei, siquidem potestas Ecclesiæ debet exerceri aliquo signo externo; unde potestas remittendi peccata, est potestas ponendi actum quo significatur et confertur gratia deletrix peccatorum; signum autem sensibile et practicum gratiæ est sacramentum. **Major.** *Christus promittit veram potestatem,* quia non minus in usu sacro, quam profano, *claves* sunt symbolum potestatis veræ jurisdictionis; *ligare* autem et *solvere* hebræis erant verba technica de potestate legifera, judiciaria et coactiva[9]: *plenam* quia nihil excepit, sed omnem limitem in exercitio hujus potestatis removit dicens *quodcumque* ligaveris, *quodcumque* solveris: *quoad omnia quæ habent ordinem ad vitam æternam,* quia loquebatur de sua Ecclesia[10], cui indidit nomen Regni cœlorum[11]; genus autem potestatis naturam societatis sequitur, et Ecclesia est societas spiritualis cujus finis est *sanctitas* in præsenti et *gloria æterna* in futuro, quemadmodum tota Scriptura prædicat[12]. **Minor.** Licet enim potestas ligandi et solvendi *omnia* ad potestatem remittendi et retinendi peccata nequeat coarctari, certo eam includit; siquidem peccata detinent a consecutione æternæ vitæ. Ceterum in Scripturis peccata dicuntur vincula[13]: atqui vincula possunt solvi potestate ligandi et solvendi omnia: ergo.

339. **Secunda pars.** *Existentia sacramenti pœnitentiæ evincitur ex Joan.* **20.** 21-3. **Testim.**: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit in eos: et dixit eis: Accipite Spiritum S.: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* **Argum.** Si verba *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt,* sumantur in sensu obvio et proprio, exprimunt potestatem *a*) conferrendi *b*) per aliquod signum sensibile gratiam remissivam peccatorum, *c*) concessam a Christo Apostolis et eorum successoribus: atqui *a*) ex natura rei, *b*) ex contextu et *c*) ex repugnantia sensus improprii sensus

---

[8] Marc. **13.** 31; Luc. **21.** 23.

[9] Cf. vol. 1 n. 391.

[10] *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam...* ET *tibi dabo claves* etc. Matth. **16.** 18-9.

[11] Cf. CORNELY *Intr. in Sacr. Script.* Diss. 7 § 2 n. 11.

[12] Vol. 1 n. 247.

[13] Ps. **115.** 16; Isai. **5.** 18. Cf. Joan. **8.** 34 coll. Isai. **52.** 2; Jer. **27.** 2.

proprius est retinendus : ergo. **Major** prob. per partes. *a*) Est sermo de gratia *remissiva peccatorum,* quia remittere peccata est ea relaxare, delere, auferre; peccatum vero, quod est privatio gratiæ sanctificantis [14], sine infusione gratiæ non aufertur: *b*) de gratia conferenda *signo sensibili,* quia homines non illabuntur animæ, nec possunt gratiam producere, nisi intrumentaliter dispositive, ideoque signo aliquo sensibili [15]: *c)* de gratia conferenda etiam a *successoribus apostolorum,* quia agitur α) de potestate collata in bonum Ecclesiæ cujus proinde perennitatem debet mutuari, et β) de prosecutione missionis Christi qui est missus pro salute omnium [16]. — **Minor.** *a*) *Ex natura rei.* Nam sensus proprius tunc maxime retineri debet cum, sic acceptus, dogma vel sacramentum exhibet [17]: atqui in sensu proprio, ut vidimus, exhibet sacramentum N. L.: ergo. *b*) *Ex contextu.* Nam α) verba *quorum remiseritis peccata,* etc. sunt explicativa missionis, quam Christus tradit Apostolis, et verba explicativa missionis ambigua esse nequeunt [18]. β) Nam ut Apostoli possent susceptum munus implere, Christus tradidit eis Spiritum S. [19]: atqui Spiritui S. appropriatur sanctificatio : ergo Christus tradidit potestatem sanctificandi, ac proinde remittendi peccata vero et proprio sensu. γ) Tandem nonne ipsa solemnitas circumstantiarum sensum proprium exigit? Dicemusne Christum communicasse Apostolis suam missionem, insufflasse super eos, eisque dedisse Spiritum S. pro re vana et inani? *c*) *Ex repugnantia sensus improprii* qui obstat *nomini* et *verbo.* Profecto si attendis NOMEN dicere non potes Christum tradidisse potestatem absolvendi a peccato improprie dicto ; nam

---

[14] Supra n. 300.

[15] Supra n. 40 sqq.

[16] *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Joan. **20**. 21. Porro ad officium Redemptoris pertinere remissionem peccatorum, non solum patet ex natura rei, sed ex verbis Christi: *Ut sciatis, quia* FILIUS HOMINIS *habet potestatem* IN TERRA *dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge* etc. Matth. **9**. 6.

[17] Supra n. 27 *not. 25.*

[18] « Tradit eis opus suum, sibi eos successores constituens ». KNAB. in *h. l.* ex *Euth.* p. 569.

[19] Quidam considerantes Spiritum S. descendisse supra Apostolos in die Pentecostes, *erroris* incusarunt Joan., vel de *futuro* verbum intellexerunt; sed primum obstat veracitati Scripturæ, alterum contradicit græco λάβετε quod est in præsenti: ergo vere « S. Spiritus participationem accipiunt » ad munus confessarii; « in die vero Pentecostes expressiorem operationem gratiæ... habuerunt » ad officium apostolorum explendum. CYRIL. Alex. in *Joan.* XII c. 56.

metaphorice peccatum dicitur de *materia* in qua aliquis delinquit [20], de *hostia* seu sacrificio pro peccati remissione [21], de *concupiscentia* maloque habitu [22], et de *pœna* [23]: atqui *materia* peccati ejusque *hostia* manifeste neque remitti, neque retineri queunt; mali habitus et *concupiscentia*, teste experientia, non relaxantur absolutione sacerdotis; *pœna æterna*, quæ certe includenda esset in universalitate objecti [24], sine infusione gratiæ non solvitur [25]: ergo potestas retinendi et relaxandi peccata respicit etiam culpam, infusione gratiæ diluendam. Si consideras VERBUM, habes quod *retinere peccata* sensu improprio non potest significare nisi *declarationem* secutæ remissionis, vel *positionem occasionis* ad illam assequendam: atqui in nostro testimonio non potest significare *declarationem*, quia declaratio supponit prævíam notitiam, et sacerdoti non revelatur status pœnitentium; non potest significare *positionem occasionis pro absolutione*, quia N. T. egena elementa dedecent [26], et quia occasio alicujus rei rem ipsam debet præcedere, unde, si de occasione remissionis peccatorum ageretur, Christus non dixisset *remissa* et *retenta sunt* [27], sed (in futuro) *remittentur* et *retinebuntur* [28]. Accedit quod in eodem contextu non licet verborum sensum mutare: in secunda autem parte commatis, cum verba *remittere* et *retinere* dicuntur de Deo, omnibus fatentibus, sensum proprium habent.

340. **Tertia pars.** *Sacramentum, de quo locis citatis loquuntur Matth. et Joan., distinguitur a sacramento baptismi;* siquidem ab eo differt *natura, subjecto, fine* et institutionis *tempore*. Differt NATURA, quia baptismus est lavacrum aquæ sub invocatione SS. Trinitatis [29]; hoc autem sacramentum est institutum sub forma judicii, quod actibus pœnitentis et absolutione confessarii perficitur. Differt SUBJECTO, quia baptismus administrari debet iis qui sunt extra Ecclesiam, ut animæ *apponantur* populo Dei [30]; pœnitentia vero dari

---

20 Deut. **9**. 21.

21 Osee **4**. 8.

22 Rom. **7**. 17 coll. CONC. TRID. sess. 5 n. 5.

23 2 Machab. **12**. 46.

24 Attendas *quodcumque* et *quorum* universalitatem exprimere: si ergo explicantur de pœna, includunt æternam.

25 Nam manente culpa, manet pœna æterna; ut ergo solvatur pœna æterna, debet remitti culpa cui debetur; hæc autem est culpa mortalis, quæ sola gratia sanctificante deletur.

26 Supra n. 12.

27 Græce est ἀφέωνται *remissa sunt.*

28 Si confessarii habent veram potestatem remittendi peccatum, tempus *præsens* optimum habet sensum, dicit scil. ex parte Dei remissionem *factam esse* ipsa traditione potestatis.

29 Supra n. 111-4.

30 Hebr. **2**. 41.

debet iis qui subjiciuntur *clavibus* Ecclesiæ, quique proinde sunt ejus subditi. Differt FINE, quia baptismus, cum sit sacramentum regenerationis, semel tantum potest conferri [31]; hoc autem sacramentum, cum sit ad nutum sacerdotis *(quodcumque solveris — quorum remiseritis),* potest et debet repeti. Differt TEMPORE institutionis, quia baptismus est promissus Nicodemo, institutus sub initio vitæ publicæ Christi et de necessitate salutis constitutus ultimis a resurrectionis diebus [32]; pœnitentia vero promissa est Apostolis media vita publica Christi [33] et instituta resurrectionis die [34]. Confirmatur **ex Patribus** qui pœnitentiam a baptismo distinguunt etiam MINISTRO, solis presbyteris [35] tribuentes administrationem pœnitentiæ, quam insuper vocant *secundam* post naufragium *tabulam* [36], iis servatam qui post baptismum ceciderunt, secundum illud AUG.: « Si a *catechumeno* factum est (homicidium), baptismate abluitur, et si a *baptizato,* pœnitudine et reconciliatione sanatur » [37].

THES. 54. *Sacramentum pœnitentiæ certum testimonium habet — 1 a Patribus 3 sæc. et deinceps, — 2 nec desunt sufficientia indicia de sententia priorum Patrum.*

341. **Prima pars.** *Patres sæc. 3 et deinceps pœnitentiæ sacramentum prædicarunt.* Revera TERTUL. († 225) in libello *De Pœn.,* quem scripsit a. 204, loquitur de *secunda pœnitentia,* quam vocat *exomologesin* seu confessionem, dicit *causam* gratiæ [38], et docet perfici cum peccator, ut « confessio satisfactionis consilium sit » [39], *advolvitur presbyteris* et ab his *absolvitur* [40]. ORIG. († 254) ex Joan. **20.** 22-3 deducit illam « quæ *per hominem* a Deo fit hominibus

---

[31] Hebr. **6.** 1-6; supra n. 54.

[32] Supra n. 107.

[33] Matth. **16.** 19.

[34] *Cum ergo sero esset die illo,* UNA *sabbatorum.* Joan. **20.** 19.

[35] De ministro pœnitentiæ dabimus thesim.

[36] TERTUL. *De Pœn.* c. 4.

[37] AUG. *De adul. conjug.* II n. 16. Similia habent. ATHAN. *C. Novat.* Migne 26 c. 1315; EPIPH. *Hær.* 59 n. 9; AMBR. (?) *De Laps. virg.* c. 8; HIER. *Adv. Pelag.* II n. 7; CYRIL. Alex. in *Joan.* XII c. 56; CÆSAR. *serm.* 61 n. 1; PAUL. Aquil. *Exort.* c. 52. Cf. DE AUGUST. II p. 158.

[38] « Si de exomologesi retractas, gehennam corde considera, quam tibi *exomologesis extinguit* ». TERTUL. *De Pœn.* c. 12.

[39] TERTUL. *l. c.* c. 8.

[40] *Absolutionem* expresse tribuit R. P. in libro *de Pudicitia* quem scripsit post hæresim. Cf. PIGNATARO *De Disc. pœnit.* p. 5-9, ubi invenies etiam plura testimonia infra adducenda.

peccatorum remissio », quamque « Apostoli et qui similes apostolis sunt sacerdotes »[41] conferunt peccatoribus accusantibus occulta peccata, eo quod « pronuntiare peccatum, remissionem peccati meretur »[42]. CYPR. († 258) lapsos hortatur: « Confiteantur singuli, quæso, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti *confessio* ejus potest, dum satisfactio et *remissio facta per sacerdotes* apud Dominum grata est »[43]. DIONYS. Alex. († 264) confessariis suadet misericordiam erga lapsos, exemplo martyrum qui eos receperunt[44], et confirmat enarratione infirmi graviter decumbentis qui, proximus morti, misit ad vocandum confessarium clamans: « Properate quæso, et me quantocius *absolvite*. Accersite mihi unum e *presbyteris* »[45]. APHRAATES († circa 360) ait quod « eum, qui a satana percussus fuit, non debet pudere delictum suum *confiteri* illudque relinquere et pœnitentiam *in remedium* postulare »[46]. PACIAN. († 397) Novatianos, blasphemantes « quod post baptismum pœnitere non liceat, (et) *quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit* », impugnat α) quia eorum sententia non probatur Scripturis, β) quia contradicit praxi trecentorum annorum, γ) quia opponitur doctrinæ Cypriani, imo et Tertulliani etiam postquam in hæresim lapsus est, δ) nec potest componi cum Matth. **16.** 19, quod de Apostolorum successoribus esse intelligendum ex baptismi et confirmationis administratione probatur: ε) dicenti vero quod remittere peccata est proprium Dei, respondet: « Verum est, sed et quod *per sacerdotes suos facit,* ipsius potestas est »[47]. Similia habent LACTANT. († 325), ATHAN. († 373), HILAR. († 368), et GREG. Nyss. († 403)[48]. AMBR. († 397) α) peccata describit quæ a sacerdotibus absolvuntur[49]; β) potestatem absolvendi illustrat resurrectione Lazari, siquidem Christus « hominibus jussit removeri lapidem..., ut... in typo (viderent) quod nobis (sacerdotibus) donaret, ut levaremus delictorum onera »[50]; et γ) contra Novatianos inde tuetur potestatem Ecclesiæ absolvendi *omnia peccata,* quod

---

41 ORIG. *De Orat.* n. 28.
42 ORIG. in *Levit.* hom. 2 n. 4.
43 CYPR. *De Lapsis* c. 29.
44 DIONYS. Epist. *ad Fabium* apud EUSEB. *H. E.* VI c. 42.
45 DIONYS. apud *Euseb.* l. c., c. 44.
46 APHRAATES Dem. 7 *De Pœnit.* n. 3.
47 PACIAN. Epist. ad *Sympr.*
48 Apud *Bellarm.* De Pœnit. III c. 8.
49 AMBR. *De Pœn.* II c. 8.
50 AMBR. *l. c.* II c. 7.

« Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et *relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit* »[51]. CHRYS. († 407) ex potestate clavium excellentiam sacerdotii celebrans, ait: « *Sacerdotes... potestatem acceperunt* quam nec angelis, neque arcangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: *Quæcumque ligaveritis...* Habent..., qui in terra imperant, potestatem ligandi, verum corpora solum..., (sed) quæcumque *inferne* sacerdotes faciunt eadem Deus *superne* confirmat... Corporis lepram... purgatam probare tantum Judæorum sacerdotibus licebat. Hi vero, non lepram corporis, sed *immunditiam animæ,* non purgatam probandi, sed *prorsus purgandi potestatem* acceperunt »[52]. AUG. († 430) tandem sic peccatorem exhortatur: « Implicatus (post baptismum) tam mortiferorum vinculis peccatorum, detrectat aut differt, aut dubitat *confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cœlo,* et audet sibi post hanc vitam, *quia tantum christianus dicitur,* salutem aliquam polliceri?... Veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur »[53]. CONFIRM. ex documentis archæologiæ, siquidem in catacumbis inveniuntur quædam sedilia quæ numero et loco finem produnt audiendi confessiones; nec desunt picturæ quæ exhibent pœnitentem ante sacerdotem privatim confitentem peccata sua[54].

342. **Secunda pars.** *Sacramentum pœnitentiæ testimonium habet etiam in 1 et 2 sæc.* **Argum. 1.** *Indirectum.* Nam repugnat sæc. 3 et 4 in *universa* Ecclesia, sine ulla *controversia* haberi sacramentum quod ex Apostolica traditione non sit haustum: atqui testimonia data referunt pacificum consensum totius Ecclesiæ sæc. 3 et 4: ergo. PROB. MAJ. Nam Ecclesia, Traditionis eximia cultrix, novum sacramentum obtrudi sinere non potuit; quod si factum esset, novitatis signa non deessent in acerbis Patrum disceptationibus. Profecto si Polycarpus Eleutherio restitit in secundaria quæstione de die celebrationis Paschæ, ut tueretur praxim, quam ex Joanne derivatam contendebat, tacerene potuisset si confessionis onus de novo fuisset impositum? Attendas, quæso, quot documenta supersunt de

---

[51] AMBR. *l. c.* I c. 10 n. 3.

[52] CHRYS. *De Sacer.* III n. 5-6.

[53] AUG. *Serm.* 351 n. 9; BASIL. *C. Eunom.* V; LEO M. *epist.* 108 c. 2; P. CHRYSOL. Serm. 20 in *Joan.* **20**; GREG. M. in *Evang.* hom. 26 n. 4-5.

[54] Non omnes tamen hujusmodi signis vim demonstrativam agnoscunt; et P. SYXTUS O. C. R. negat ex catacumbis validum argumentum pro sacramento confessionis derivari.

extensione potestatis clavium, quam Montanistæ cum Novato coarctare volebat; darine potuit ut quæstio exardesceret de *extensione* potestatis et non de ejus *existentia,* si hæc manifesta traditione non innotuisset? Adde PACIAN. qui contra Novatum adducit testimonium *tercentorum annorum*[55]. MINOR. Nam allata documenta sunt omnium Ecclesiarum, siquidem TERTUL., CYPR. et AUG. testantur de Ecclesia *Africana:* ORIG., DIONYS. et ATHAN. de *Alexandrina;* LACT., GREG. Nys. et CHRYS. de *Asiatica;* APHRAATES de *Syriaca;* DOCT. 12 APOST. (infr. add.) de *Palestinensi;* CLEM. Rom., HERMAS (infr. add.) de *Romana;* AMBR. de *Mediolanensi;* IREN. (infr. add.) et HIL. de *Gallicana.* **Argum. 2** *directum.* Ut taceamus de ACT. APOST.[56]. CLEM. Rom. fidelibus ait: « Estote subditi *presbyteris* et *correptionem suscipite in pœnitentiam* »[57]; phrasim autem *correptionem suscipere in pœnitentiam* esse solemnem de sacramento pœnitentiæ, patet per ORIG., PACIAN., AMBR. et APHRAAT.[58]. DOCT. 12 APOST. præcipit: « In *Ecclesia* confiteberis peccata tua, neque accedes ad orationem in conscientia mala »[59], et vult ut *frangatur panis,* seu suscipiatur Eucharistia, « postquam delicta vestra confessi estis »[60]. HERMAS ex principio quod Deus « non meminit injuriæ eorum, qui peccata sua *confitentur* » concludit: « pœnitentiam agite et Dominus sanabit peccata vestra »[61]; loqui vero de pœnitentia sacramentali, inde patet quod agit de confessione facienda Ecclesiæ, personificatæ in matrona invitante ad pœnitentiam[62]. IREN. tandem loquitur de quibusdam mulieribus quæ « sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt », quarum « quædam quidem etiam in manifesto exomologesin faciunt; quædam autem reverentes hoc ipsum, in silentio semetipsas trahunt, desperantes a via Dei »[63]: aderat ergo confessio facta in Ecclesia,

---

55 PACIAN. Epist. ad *Sympr.*

56 *Multi credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos.* Act. **19**. 18. In hoc testimonio, uti commentatur KNAB. in *Act.* p. 330, « indicatur confessio actuum particularium...; sed utrum hæc facta sit secreto, an publice, non indicatur; pariter fueritne confessio sacramentalis, dissidium est sententiarum, cui tollendo textus ambiguus nihil confert ».

57 Apud FUNK *Oper. patr. apost.* 1 p. 133.

58 Apud PIGNATARO *De Disc. pœn.* p. 28.

59 DOCTR. 12 APOST. c. 4 n. 14.

60 DOCTR. 12 APOST. c. 14.

61 HERMAS *Pastor* Sim. IX c. 23 n. 4.

62 PIGNAT. *l. c.* p. 29.

63 IREN. *Adv. hær.* I c. 13 n. 5-7.

qua vita spiritualis restituebatur, et sine qua nulla manebat peccatoribus spes salutis [64].

343. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Testimonio MATTH. nil evincitur, quia est de potestate *fori externi;* JOAN. vero sacramentum pœnitentiæ non probatur, quia Christus verbum *remittere* de *declaratione* factæ remissionis aliquando adhibuit [65]: ergo. **Resp.** Testimonium Matth. certe valet de foro externo; sed amplitudo potestatis expressa pron. *quodcumque* ad forum externum nequit coarctari, ut in demonstratione thesis ostendimus. Quod vero attinet ad invocatum testimonium Lucæ, nego *paritatem, assertum* et *suppositum.* Nego *paritatem,* quia Christus, scrutator cordium, *poterat* declarare remissionem factam; dum sacerdotes, quibus occulta sunt secreta cordium, id non valent. Nego *assertum,* quia Christus non mere declarat, sed « partim absolvit exterius et coram hominibus, eam quæ jam intus a Deo absoluta erat, partim etiam confirmat absolutionem invisibiliter datam... (sicut) mulieri, quam jam sanaverat a fluxu sanguinis, ait: *Esto sana a plaga tua* [66]; quo verbo non eam curavit, sed curationem jam factam confirmavit » [67]. Nego tandem *suppositum,* quia in græco est ἀφέωνται *remissa sunt,* quod revocat remissionem prius datam; unde Christus non declarat absolutam, neque absolvit, sed datam absolutionem enuntiat [68].

344. **Objic. 2.** Patres potestatem remittendi peccata, propositam in Joan., explicant de potestate sanctificandi per *baptismum, prædicationem* et *bona opera* [69]: ergo existentiam sacramenti ex eo non evincitur. **Resp.** Sicut alias sæpe [70], etiam testimonium Joan. aliquando Patres *extendunt* vel *accomodant* ad alia, quin negent per prius exponendum esse de judiciali absolutione peccatorum [71].

345. **Objic. 3.** Baptismus semper manet: ergo ad remissionem peccatorum sine alio sacramento potest reviviscere [72]. **Resp.** Remoto obice,

---

[64] Cf. PIGNAT. *l. c.* p. 30.

[65] Luc. **7**. 48.

[66] Marc. **5**. 34.

[67] BELLARM. *De Pœnit.* II c. 14.

[68] PALMIERI *De Pœn.* th. 24 p. 273.

[69] CYRIL. Alex. in *Joan.* XII c. 56; HIER. in *Isai.* X c. 14; AUG. in *Joan.* tr. 121 n. 4; CALV. et KEMN. apud *Bellarm.* De Pœnit. I c. 10.

[70] Revoca quæ diximus in trac. *de Rom. Pont.* de Matth. **16**. 18 sqq. et in tract. *de voluntate salvifica* de 1 Tim. **2**. 4.

[71] De potestate remittendi peccata, ideoque de sacramento pœnitentiæ explicant testimonium Joan. ORIG. *De Orat.* n. 28; in *Lev.* hom. 3 n. 4; PACIAN. epist. ad *Sympr.* n. 6; BASIL. *C. Eunom.* V; CYPR. in Luc. **5**. 24; AMBR. *De Pœnit.* I c. 2 n. 6; AUG. in *Joan.* tr. 121 n. 4; CHRYS. *De Sacer.* III n. 6; P. CHRYSOL. *Serm.* 84; GREG. M. in *Evang.* hom. 26 n. 4; etc.

[72] CALVIN. et alii apud *De August.* p. 163.

sacramenta reviviscunt ad *propium effectum;* baptismi ergo reviviscentiâ solvi nequeunt peccata post baptismum commissa.

346. **Objic. 4.** Judicis absolutio non relaxat culpam, sed innocentem *declarat:* ergo sacerdos, qui in causis peccatorum judicis officium exercet, non absolvit, sed absolutum declarat pœnitentem [73]. **Resp.** Non est paritas inter judicem civilem, qui est minister regis, et sacerdos qui est minister Dei: rex enim, ideoque et suus minister, de justitia tantum externa judicant, Deus de interna. Ceterum sicut judex civilis absolutione inducit in reum titulum ad justitiam *socialem,* ita sacerdos inducit in peccatore titulum ad justitiam *realem,* quæ virtute illius tituli a Deo confertur, juxta prædicta in tr. de *Sacramentis in genere* [74].

347. **Objic. 5.** Homo in Deum peccat: atqui læsus et non alius debet remittere offensam: ergo homo qui remitti peccata, injuriam facit Deo. **Resp.** « Imo (Deo) nulli majorem injuriam faciunt quam qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere... Quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia *in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget et relaxet* [75]; *hæresis in altero immitis, in altero inobediens* » [76].

ART. 4 – DE SACERDOTALI ABSOLUTIONE.

348. **Materia et forma sacramenti pœnitentiæ.** « Docet sancta synodus, sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis sitam esse: *Ego te absolvo,* etc... Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe *contritio, confessio* et *satisfactio.* Qui, quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque, et perfectam remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur » [1]. His Tridentini verbis omnia, quæ naturam seu essentiam sacramenti pœnitentiæ spectant, continentur. Dicemus in hoc articulo de absolutione sacerdotis, in sequentibus de actibus pœnitentis.

349. **Judicium sacerdotale nonnisi absolutione perficitur.** Judex civilis causam adductam ad suum tribunal æque complet absolutione ac condemnatione; causa e contra peccatorum non perficitur nisi abso-

---

73 HUSS. Ei nonnihil accessit P. LOMBARD. apud *Hergenr.* V p. 205-6; IV p. 443 in nota.

74 Cf. supra n. 39. Vide etiam n. 336.

75 *Alligat* impositione pœnæ, *relaxat* solutione culpæ; Novatiani e contra negabant absolutionem, quamvis imponerent pœnam.

76 AMBR. *De Pœnit.* I c. 2 n. 6.

1 CONC. TRID. sess. 14 cp. 3.

lutione. Ratio est quia sacerdotes sunt *judices* in sacramento, unde eorum sententia perfecte non existit nisi cum existit sacramentum: atqui sacramentum non est quando peccatum retinetur: ergo. Accedit quod sacerdotes non sunt, ut judices civiles, constituti in bonum societatis, cui æque juvat absolutio innocentis et condemnatio rei, sed in bonum ipsius pœnitentis, cui sola absolutio prodest. Tandem sacerdotes peccata *retinent* simplici non absolutione; sine actu autem positivo ultima sententia [2] non datur.

350. **Sacramentum pœnitentiæ nequit conferri forma deprecativa.** Est enim sacerdos judex; judex autem non ad deprecandum, sed ad ferendam sententiam constituitur. « Miror, ait S. THOM. qua temeritate aliquis asserat esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum » [3]. Attendas tamen hæc dici de *sensu* formæ et de *intentione* conferentis sacramentum; si enim mere externa verba considerentur, « formula deprecatoria ante sæc. 12 passim in Ecclesia Latina unice adhibebatur in sacramentali confessione » [4].

351. **Errores - Veritas.** *Judicialem* naturam sacramenti pœnitentiæ negarunt REFORMATORES et MODERNISTÆ; illi quidem ad simplicem declarationem reducentes sacerdotalem absolutionem, hi vero blaterantes de magnis criminibus fuisse quidem primis Ecclesiæ temporibus publicam confessionem, sed non esse datam absolutionem [5]. **Veritas** prostat in CONC. TRID. « S. q. d. absolutionem sacerdotis *non esse actum judicialem,* sed nudum ministerium pronunciandi, et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum...; a. s. » [6].

THES. 55. *Potestas remittendi peccata vere est judicialis.*

352. **Ex Scripturis.** Nam potestas judiciaria est potestas *a*) vera et *b*) necessaria *c*) ferendi sententiam in contraria: atqui talis est potestas a Christo collata sacerdotibus in causa peccatorum: ergo. PROB. MAJ. Nam etymologice judex est *jus dicens;* re autem ille intelligitur qui in causis civilibus vel criminalibus effert sententiam, inducentem jus vel debitum ad aliquid contrariorum. Quare judex differt a *consiliario,* quia non mere suadet, sed ex oppositis unum absolute eligit; differt a *nuntio,* quia non evulgat jus, sed constituit;

---

[2] Dicimus *ultimam sententiam,* quia ex potestate clavium sacerdos etiam ante absolutionem potest imponere satisfactionem.

[3] S. THOM. *De forma absol.* c. 1; 3 p. q. 84 a. 3; ad 1.

[4] PIGNAT. p. 105. PESCH n. 283-97.

[5] Supra n. 297.

[6] CONC. TRID. sess. 14 cn. 9; cp. 5.

differt ab *arbitro,* quia auctoritatem non suscipit a subditis, sed a jure, quo illi subjiciuntur ei. PROB. MIN. Potestatem clavium *a*) esse veram potestatem *conferendi jus,* patet ex prædictis de existentia sacramenti; probavimus enim Christum contulisse Apostolis eorumque successoribus non potestatem *declarandi* peccatorem absolutum vel ponendi *occasionem* pro ejus absolutione, sed *absolvendi* ideoque conferendi jus filiorum Dei: *b*) non esse potestatem solius *arbitri,* inde patet quod Christus nullam conditionem posuit pro exercitio hujus potestatis, sed eam Apostolis contulit pro universalitate causarum *(quodcumque - quæcumque)* et personarum *(quorum): c*) esse exercendam vero et proprio judicio, patet ex objecto; siquidem Christus dedit potestatem *ligandi* et *solvendi, remittendi* et *retinendi* quæ profecto circa contraria exercentur [7]. — **Patres** non solum *a*) dicunt peccatorum *remissionem* fieri *per sacerdotes* [8], qui potestate Dei agunt [9], et peccata mortalia *donant* [10], *purgant* [11] et *absolvunt* [12]; sed *b*) docent hujusmodi peccatorum remissionem esse normam seu rationem *judicii* Dei. Deus, inquit HIL., « immobile severitatis apostolicæ *judicium* præmisit, ut quos in terris ligaverint... et quos solverint... in cœlis quoque aut soluti sint aut ligati » [13]. HIER. testatur quod sacerdotes, « claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem *judicant* » [14]. Clarissime CHRYS.: « Quæcumque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne *confirmat* servorumque *sententiam* ipse Dominus ratam habet » [15]; « a terra *judicandi* principalem auctoritatem sumit cœlum » [16], quippe « *omne judicium* dedit Pater Filio [17], videoque *ipsum omne* ipsis traditum a Filio esse » [18]. Et GREG. M.: « Ecce alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiunt: principatumque *superni judicii* sortiuntur, ut *vice Dei* quibusdam peccata retineant, quibusdam rela-

---

[7] Licet peccatorum culpa non retineatur actu positivo sed sola *non absolutione;* tamen *ligare* et *retinere* sunt verba formaliter positiva et *contraria,* unde includunt etiam actus positivos, cujusmodi sunt *reservatio casuum* et *impositio pœnæ.*

[8] ORIG., CYPR., PACIAN. Supra n. 341.

[9] PACIAN. *l. c.* et AMBR. supra n. 341.

[10] PACIAN. supra n. 341.

[11] CHRYS. l. c.

[12] TERTUL. *De Pœnit.* c. 10; AMBR. *De Pœn.* II c. 9 n. 86; PACIAN. *De Pœn.* c. 7; DIONYS. apud *Euseb.* Hist. Eccl. VI c. 42.

[13] HILAR. in *Matth.* **18** n. 8.

[14] HIER. Epist. 14 ad *Heliod.* n. 8.

[15] CHRYS. *De Sacerd.* III c. 5.

[16] CHRYS. in *Isai.* hom. 5 n. 1.

[17] Joan. **5**. 22.

[18] CHRYS. *De Sacerd.* III c. 5.

xent... Ecce qui districtum Dei judicium metuunt, *animarum judices fiunt;* et alios damnant vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant » [19].

353. **SOLVITUR DIFFICULTAS. Objic.** Patres explicando resurrectionem Lazari qui, vita accepta a Christo, ab Apostolis est solutus, docent quod « tunc vera est absolutio præsidentis (sacerdotis), cum *interni* arbitrium *sequitur judicis* » [20]: ergo sacerdotes non sunt *judices* sed *nuntii,* qui in causa peccatorum sententiam judicis evulgant. **Resp.** Patres non negant sacerdotibus potestatem relaxandi peccata, sed docent eorum opus frustrari, si Deus suâ gratiâ actuali prius ad pœnitentiam non revocet peccatorem [21].

ART. 5 - DE DOLORE SACRAMENTALI.

354. **Qui dolor sit materia sacramenti.** Dupliciter dolor considerari potest in sacramento pœnitentiæ: ut *dispositio* (removens obstans) ad suscipiendam gratiam, et ut *materia* seu pars sacramenti. Primo modo dolor pertinet ad virtutem pœnitentiæ et est ipsamet *animi detestatio* cum proposito non peccandi de cetero; altero esse debet aliquid sensibile et externum, quia pertinet ad materiam sacramenti quod est visibile signum invisibilis gratiæ, et simul etiam aliquid invisibile et internum, quia dolor dicit essentialiter actum voluntatis; materia scil. sacramenti est *interior dolor prout manifestatur aliquo externo signo compunctionis.* Doloris *signa* moralistæ distinguunt in *ordinaria* et *extraordinaria,* et constituunt in gemitibus, lacrymis, demissione vultus ipsaque confessione humiliter facta ad absolutionem obtinendam: dolor autem *interior* talis esse debet ut a prædictis signis removeat hypocrisim. Quod si ulterius quæras de proprietatibus hujus doloris, respondeo imprimis esse dolorem *verum* et non solum æstimatum qui, si excusaret pœnitentem a sacrilegio, non tribueret externis actibus rationem *signi,* siquidem nihil est signum rei non existentis: dico secundo esse dolorem *supernaturalem* seu ex motivis fidei conceptum, quia naturalis nullam proportionem habet ad ordinem supernaturalem, nec sufficeret ad revocationem affectus, qui fuit per

---

[19] GREG. M. in *Evang.* hom. 26. AUG. *Serm.* 67 n. 2.
[20] GREG. M. in *Evang.* hom. 26 n. 6; [21] DE AUGUST. *th. 19* p. 243-4.

recessum a fine supernaturali: dico tertio esse dolorem *formalem* et non solum implicitum in actu caritatis, quia debet respondere explicitæ confessioni peccati et informare signa, quæ sunt doloris et non amoris [1]: dico quarto sufficere dolorem *attritionis*, quia attritio removet obicem ad susceptionem gratiæ: dico quinto dubitari an ratio *doloris summi et universalis* pertineat ad *materiam* sacramenti, vel solum ad *dispositionem* necessariam pro ejus fructuosa susceptione.

355. **An sacramentum pœnitentiæ esse possit validum et informe.** Responsio pendet a solutione ultimæ quæstionis; qui enim dispositionem necessariam pro justificatione pertinere dicunt ad materiam pœnitentiæ, hoc sacramentum validum et informe non agnoscunt; qui e contra ad materiam sacramenti sufficere putant dolorem utcumque verum, quamvis non summum nec universalem, possibilitatem confessionis validæ et informis prædicant [2]. Porro ex defectu *universalitatis* possibilitatem sacramenti validi et informis ii explicant, qui validum habent dolorem conceptum ex motivo particularis virtutis quod nec implicite excludat alia peccata [3]: ex defectu *summitatis* idem contendit BILLOT [4], *primo* quidem quia sacramentum est in genere signi, unde ejus materia est tantum dolor, qui signis manifestatur; genuflexio vero, percussio pectoris, lacrymæ, etc. sunt signa doloris in communi et non appretiative summi: *secundo* quia materia sacramenti nota esse debet ministro, dum sacerdos appretiativam summitatem doloris cognoscere nequit: tertio quia, si pœnitens in absolutionis momento dolorem ad gradum appretiative summum perducit, communi sententia absolvitur, licet judicium sacerdotis jamdiu fuerit peractum: *quarto* quia communis praxis tenet pœnitentem, qui aliquo dolore confessus est, non teneri ad repetitionem confessionis, sicut faciendum esset si ex defectu materiæ sacramentum fuisset invalidum. His tamen non obstantibus, videtur materiam sacramenti esse dolorem universalem et summum, ideoque non dari pœnitentiam validam et informem [5]. Et quod attinet ad *universalitatem* doloris, jam diximus [6] pœni-

---

[1] PESCH n. 175: TEPE n. 590.

[2] Cf. supra n. 84.

[3] SUAREZ, LUGO apud *Ballerini* Opus. theol. V n. 69.

[4] BILLOT *th. 16* p. 159 ubi citat ex *Salmant.* S. THOM., CANDID., D. SOTO, SUAREZ, CAPR., RICARD., CAPREOL., CAJET., P. SOTO, LEDESMA, CANUM, SYLV., NAVAR., COVAR., DICAST., VALENT., HENRIQ.. DIAN., LUGO, GABR., LEAND., AVERSA, PHILIP., ANT., GONET., S. ANTON., SOCIN., BERN. de Gen., JOAN. a S. Thom., REGIG., DIONYS. Carth., DURAND. etc.

[5] Hanc sententiam BILLUART *De Pœnit.* Diss. 7 a. 1. dicit communem; ex modernis vero tenetur a PALMIERI *th. 23* parerg. p. 357-8; DE AUGUST. *th. 20* p. 252 sqq.; TEPE n. 574 sqq.

[6] Supra n. 313.

tentiam esse *specialem virtutem* quæ tendit ad detestationem peccati sub ratione offensæ Dei; hæc autem ratio est universalissima. Quod vero attinet ad argumenta BILLOT contra *summitatem* doloris, respondendum ducimus: ad *primum* quod dolor *summus* innotescit signis externis, si considerentur in ordine ad finem in quem ordinantur; non enim ponuntur ad sacramentum suscipiendum, sed ad justificationem consequendam: ad *secundum* quod sacerdos sicut ex circumstantiis potest distinguere dolorem *verum* ab apperenti, ita secernere valet dolorem *summum* ad imperfecto: ad *tertium* quod absolutio non cadit in dolorem præcedentem, sed præsentem; ideoque dolorem, qui aperitionem conscientiæ sequitur, non pertinere ad solam *dispositionem,* sed ad ipsam *materiam* sacramenti: ad *quartum* quod pœnitentes non sunt inquietandi de doloris gradu, quia onus grave *ex* solo *dubio* non incumbit; unde sicut non tenemur confiteri peccatum dubie commissum, sic nec dubie remissum.

356. **Errores - Veritas.** Attritionis dolorem esse *malum* dixerunt REFORMATORES; esse autem *insufficientem* ad justificandum in sacramento JANSENISTÆ et quidam e nostris [7]. **Veritas** est proposita a CONC. TRID. quod *bonitatem* attritionis definivit, *sufficientiam* vero in sacramento innuit, dicens attritionem « ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere » [8].

THES. 56. *Ad fructuosam sacramenti susceptionem non requiritur contritio perfecta, sed sufficit attritio.*

357. Nam ex **Scriptura** et **Patribus** ostendimus Christum contulisse Ecclesiæ veram potestatem remittendi et retinendi peccata: ergo peccatum sub formalitate, qua clavibus subjicitur, non præsupponitur remissum, et saltem aliquando per sacerdotem *primo* solvitur: atqui si in sacramento attritio non sufficeret, peccatum sub formalitate, qua subjicitur clavibus, foret jam remissum, nec umquam per claves relaxaretur quoad culpam: ergo. PROB. MINOR. Cum enim dolor sit de materia sacramenti, peccatum subjicitur clavibus uti detestatum; si ergo non sufficeret attritio, peccatum fieret materia absolutionis uti detestatum contritione perfecta: atqui contritio perfecta remittit peccatum ante susceptionem sacramenti [9]: ergo, si non sufficeret attritio, peccatum subjicietur clavibus uti jam remissum, nec posset concipi remissio culpæ quæ *primo* fieret per sacramentum. **Ex Conc. Trid.** Nam CONC. contradistinguit

---

[7] Supra n. 297.

[8] CONC. TRID. sess. 14 cp. 4.

[9] Supra n. 324.

efficaciam attritionis *extra sacramentum,* quando « per se ad justificationem perducere peccatorem nequit », et *in sacramento,* cum « ad Dei gratiam impetrandam disponit »: atqui eadem esset efficacia attritionis *intra* et *extra* sacramentum, si neque in sacramento sufficeret ad justificationem: ergo [10]. **Ex ratione.** Nam sacramenta causant gratiam cum in suscipiente non est obex ad fructum: atqui obex ad fructum sacramenti pœnitentiæ non est peccatum, contra quod ordinatur, sed affectus peccaminosus, qui attritione removetur [11]: ergo. CONFIRMATUR **auctoritate theologorum.** Nam sufficientia attritionis in sacramento ante Conc. Trid. proposita a S. THOMA, SCOTO, DURANDO, H. GAND., AUREOLO, etc. post Conc. communis facta est, ita ut SUAREZ *omnino veram* habuerit, et LUGO contrariam dixerit *improbabilem* [12].

358. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Peccatum jam remissum præcedenti confessione, vel præsenti contritione potest absolvi: ergo ex potestate absolvendi non evincitur sufficientia attritionis. **Resp.** Argumentum nostrum non procedit ex præsentia peccati, sed ex modo quo peccatum subjicitur clavibus: porro remissio, quæ præcedit confessionem, per accidens se habet ad absolutionem, quæ attingit peccatum ut detestatum, non ut remissum.

359. **Objic. 2.** Etiam remissa culpa, potest remitti vel retineri pœna: ergo exercitium potestatis clavium habet locum etiam supposita necessitate contritionis perfectæ. **Resp.** Cum Christus locutus sit de *peccatis* et non de sola *pœna,* imo de *quocumque peccato,* potestas clavium nequit coarctari ad remissionem pœnæ temporalis [13].

360. **Objic. 3.** Contritione perfecta peccator justificatur ex *voto sacramenti:* ergo, etiam præmissa contritione perfecta, peccata remittuntur *vi clavium.* **Resp.** Sacramenti votum non specificat exercitium potestatis, siquidem se habet uti mera conditio pro justificatione extra-sacramentali: imo si in sacramento attritio non sufficeret, neque in contritione posset intelligi votum sacramenti; de necessitate enim medii ad consequendam remissionem peccatorum esse nequit sacramentum, quod remissionem præsupponit ut fructuose suscipiatur.

361. **Objic. 4.** Ante sæc. 13 pro absolutione requirebatur contritio [14]:

---

[10] Argumentum potest proponi hoc modo: CONC. docet attritionem in sacramento disponere ad justificationem: atqui dispositio, de qua loquitur, non est remota sed proxima, quam necessario sequitur justificatio: ergo. PROB. MIN., nam remotam dispositionem etiam extra sacramentum attritio affert.

[11] Cf. n. 50 coll. 329-30.

[12] PESCH n. 161; TEPE n. 550-3.

[13] Cf. supra n. 339.

[14] HARNACH apud *Pesch* 161 in nota.

atqui sacramenti materia mutari nequit: ergo. **Resp.** *Contritio,* ut patet ex ipso CONC. TRID. eam subdividentem in *perfectam* et *imperfectam,* est vox generica quæ etiam de attritione intelligitur, et hoc sensu antiquitus sumebatur secundum illud ISID.: « Contritio est compunctio et humilitas mentis cum lacrymis, veniens de *recordatione peccati* et *timore judicii* »[15].

ART. 6 - DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

362. **Quid confessio.** « Confessio (græce ἐξομολόγησις) est legitima accusatio propriorum peccatorum facta sacerdoti, in ordine ad remissionem peccati. *Accusatio,* inquam, qua scil. homo declarat peccata sua ut reus. *Legitima,* id est, secundum legem institutionis Christi. *Facta sacerdoti,* tamquam proprio hujus tribunalis judici. *In ordine ad remissionem peccati,* adeoque ex vero dolore de peccato, sine quo non esset actus pœnitentiæ »[1]. Porro dupliciter quis potest delictum suum aperire sacerdoti, scil. ipsi soli, et coram testibus: prima confessio, quia fit privatim seu *ad aures,* dicitur *auricularis,* altera, quia in propatulo datur, vocatur *publica.*

363. **Quæ confessionis integritas.** Præcipua confessionis dos est integritas, quæ in *materialem* et *formalem* distinguitur: illa habetur cum omnia peccata mortalia in specie et numero exprimuntur in confessione, hæc cum, post diligens examen[2], confitentur peccata cognita, prout physice et moraliter[3] licet. Ad sacramenti valorem non requiritur integritas physica, quæ nonnumquam impossibilem redderet sacramentum necessarium pro remissione mortalium post baptismum commissorum; sed moralis tantum sufficit. Profecto cum Christus, qui *jugum suum suave et onus leve*[4] fecit, peccatorum manifestationem imposuerit ipsi pœnitenti, qui ultra suas vires agere non tenetur, confessio debet pro-

---

15 ISIDOR. *De sum. bono* II c. 12; GREG. M. in *Ezech.* hom. 22 a med. — PESCH *l. c.* notat *attritionis* vocem apud antiquos theologos alium habuisse sensum.

1 BILLOT *th. 18* p. 188.

2 Qui præcipit *finem* etiam *medium necessarium* consequenter præcipit; est autem *examen* conscientiæ medium necessarium ad confessionem peccatorum, quæ diuturnitate temporis sunt oblita. *Diligens* autem esse debet examen, quia agitur de re gravi, in qua prudentia præcipit diligentiam.

3 Impotentia *physica* provenit ex oblivione, gravitate morbi et defectu temporis; *moralis* maxime ex gravi periculo scandali vel violationis sigilli sacramentalis, juxta ea quæ in theologia morali docentur.

4 Matth. **11**. 30.

portionari viribus pœnitentis, ideoque formaliter et non materialiter integram esse [5].

364. **Errores – Veritas.** *Necessitatem* confessionis omnium peccatorum negarunt explicite WICLEF., P. DE OSMA, LUTHER., CALV.; quidam vero e nostris dixerunt primis temporibus non extitisse *confessionem auricularem,* publice autem *graviora tantum* peccata esse confessa [6]. **Veritas** est definita in CONC. TRID.: « S. q. d. in sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse *jure divino,* confiteri *omnia et singula peccata mortalia,* quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta...; a. s. » [7].

THES. 57. *Jure divino* — 1 *requiritur peccatorum confessio ad sacramenti pœnitentiæ valorem,* — 2 *nec aliter quam sacramento pœnitentiæ obtineri potest remissio mortalium post baptismum commissorum.*

365. **Prima pars.** *Confessio peccatorum divino jure requiritur pro sacramenti valore.* Nam, ut vidimus, Christus constituit Apostolos *judices* in causa peccatorum: quæ ergo pertinent ad exercitium hujus potestatis judiciariæ, ex Christi institutione, ideoque jure divino, requiruntur ad valorem sacramenti pœnitentiæ: atqui talis est confessio: ergo. PROB. MIN. Nam judex notitiam causæ ad suum tribunal delatæ habere debet, ut rationabiliter sententiam proferat: atqui sacerdos in sacramento pœnitentiæ juridicam sententiam debet proferre: ergo cognoscere debet peccata absolvenda et dispositiones necessarias pro absolutione, scil. dolorem cum proposito non peccandi de cetero et satisfaciendi Deo [8]: atqui hæc nonnisi confessione pœnitentis innotescere queunt: ergo. Profecto peccatorum cognitio non potest haberi nisi *confessione* vel *juridica probatione* vel *revelatione:* atqui *revelatio* non datur, nec sufficeret, quia cognitio causæ *externa* esse debet, ut in ordine sacramentali

---

[5] Cum *imponentia* non auferat, sed differat onus explicitæ confessionis; impotentia recedente, onus confessionis reviviscit, et peccata confuse tantum subjecta clavibus, iterum distincte sunt confitenda.

[6] Supra n. 297.

[7] CONC. TRID. sess. 14 cn. 7; cp. 5; cn. 6-9.

[8] « Causæ, inquit GREG. M. in *Evang.* hom. 26, pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ *culpa præcessit,* aut quæ sit *pœnitentia* secuta post culpam ».

constituatur [9]: *juridica* vero *probatio* est impossibilis, α) quia multa peccata sunt occulta, β) quia de publicis demonstrari nequit malitia cordis quæ primo cadit sub absolutione, et γ) quia non potest probari animi dolor cum proposito non peccandi de cetero: ergo sola confessione pœnitentis causa judicanda potest sacerdoti innotescere, ac proinde peccatorum dolorosa confessio est de essentia hujus sacramenti.

366. **Secunda pars.** *Confessio omnium peccatorum mortalium post baptismum commissorum est absolute necessaria pro eorum remissione.* **Ex Scripturis.** *a*) Nam Christus contulit Apostolis suam ipsam potestatem in ordine ad remissionem peccatorum: scil., ut dicit CHRYS., *omne judicium,* quod Pater dederat Filio, Filius tradidit sacerdotibus [10]: atqui nullum peccatum est remissibile nisi per Christum: ergo nullum peccatum est remissibile nisi per sacerdotes: atqui, ut modo vidimus, sacerdotes non possunt absolvere nisi peccata confessa: ergo. *b*) Christus tradidit Apostolis potestatem *absolvendi* vel *retinendi* (scil. judicandi) *omnia* peccata *(quæcumque – quorum):* atqui inanis est potestas judicandi de re, quæ proprio judicio non subest: ergo omnia peccata subsunt judicio sacerdotum, quibus proinde sunt manifestanda [11]. *c*) Christus non majorem contulit Apostolis potestatem *absolvendi,* quam *retinendi:* atqui nullum est peccatum quod sacerdotes *absolvere* nequeant: ergo nullum est peccatum quod sacerdotes non valeant *retinere:* atqui, si independenter a clavibus peccata possent remitti, multa peccata sacerdotes retinere non valerent: ergo. *d*) Tandem necessitas confessionis apparet ex modo quo sacerdotes retinent peccata. Cum enim peccata consistant in *privatione,* non retinentur actu positivo sed *non remissione* [12]: atqui absurdum est sola *non remissione* reti-

---

[9] In ipsa definitione confessionis innuimus confessionem faciendam esse in ordine ad absolutionem; agitur enim de cognitione *judiciali,* quæ proinde in foro sacramenti est efformanda.

[10] CHRYS. *De Sacerd.* III n. 5.

[11] Ne dicas sacerdotem habere potestatem absolvendi et retinendi omnia peccata *quæ ad suum tribunal deferuntur;* hanc enim restrictionem *a*) Christus non posuit, *b*) non salvat universalitatem et naturam verbi *retinere,* et *c*) contradicit fini sacramenti; si enim ex confessione proveniret vinculum peccatorum ad claves, homines a sacramento abstinerent.

[12] Loquimur de retentione culpæ; sicut enim *ligare* non est coarctandum ad peccata, ita *retinere* se extendit ad pœnas peccatorum et consequenter ad satisfactiones in sacramento imponendas.

nere seu ligare quod antea non erat ligatum [13]: ergo independenter ab actibus sacerdotis vel pœnitentis, ex Christi voluntate, omnia peccata subsunt clavibus Ecclesiæ.

THES. 58. *Confessionis efficaciam et necessitatem* — 1 *multipliciter testarunt Patres, et* — 2 *suo sigillo firmavit Deus.*

367. **Prima pars.** *Efficaciam et necessitatem confessionis multipliciter testarunt Patres.* EFFICACIAM confessionis Patres exhibent *a*) affirmantes Ecclesiæ praxim, et *b*) ex confessione justificationem peccatorum repetentes. *a*) De *praxi Ecclesiæ,* ut taceamus de testimonio Actuum [14], medio **sæc. 2** DOCT. 12 APOST. ait: « Die dominica convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis » [15]. **Sæc. 3** CYPR., urgente persecutione Galli et Volusiani, sollicitus fuit ut lapsi sub Decio *remissionem delicti per sacerdotem factam* [16] obtinerent, antequam fuga a persecutoribus se eriperent, vel novum fidei certamen nanciscerentur [17]. **Sæc. 4** LACTAN. peccatorum confessionem inter notas veræ Ecclesiæ recensere non dubitavit: « Sciendum est, inquit, illam esse veram (Catholicam Ecclesiam), in qua est *confessio et pœnitentia,* quæ peccata et vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat » [18]. PAULIN. enarrat caritatem Ambrosii qui, « quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam *lapsos suos confessus esset,* ita flebat ut et illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere » [19]. *b*) *Vim sanctificandi* aperte tribuit confessioni CYPR.: « Confiteantur singuli... delictum suum... *dum admitti confessio ejus potest...* et remissio facta *per sacerdotes* apud Dominum grata est » [20]. « Qui, inquit PACIAN., fratribus peccata sua non tacet, *Ecclesiæ* lacrymis adjutus, Christi precibus absolvitur » [21]; nam, ut ait CHRYS., « confessio peccatorum abolitio est etiam delictorum » [22]. — Confessionis NECESSITATEM Patres pandunt *a*) apertis

---

13 Profecto si agitur de captivo, custos retinet *non solvendo* compedes, et *non aperiendo* carceris junuam; sed liber nonnisi actu positivo potest ligari et in carcerem detrudi.

14 Act. **19**. 18. Cf. supra n. 342 *not. 56.*

15 DOCTR. 12 APOST. c. 4.

16 CYPR. *De Lapsis* n. 29.

17 CYPR. Epist. 54 *ad Cornel.*

18 LACT. *De Div. Inst.* IV c. 30.

19 PAULIN. *Vita S. Ambr.* Migne 14.

20 CYPR. *De Lapsis* c. 29.

21 PACIAN. *De Pœnit.* c. 8.

22 CHRYS. in *Gen.* hom. 20; ORIG. in *Lev.* hom. 3 n. 4; in *Ps.* **37** n. 1; CYPR. ad *Anton.* epist. 52 c. 29.

verbis et *b*) præcipiendo confessionem occultorum, quod etiam *c*) exemplis illustrant. *a*) *Apertis verbis* proclamat DOCT. 12 APOST. dicens: « In Ecciesia confiteberis peccata tua »[23]. Clarius id enuntiat BASIL. dicens: « Necesse est iis peccata confiteri, quibus credita est dispensatio mysteriorum »[24]; « neque enim, ut ait BEDA, sine confessione emendationis peccata queunt dimitti »[25]. *b*) *Occultorum confessionem* sub damnationis pœna sæpissime urgent Patres. Jam IREN. improperabat quasdam mulieres quæ, « reverentes hoc ipsum *(exomologesin),* in silentio semetipsas retrahunt, *desperantes a vita* Dei »[26]. Clarius TERTUL.: « An melius est damnatum latere, quam palam absolvi? »[27]. Et ORIG. « Si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri »[28]; nam ait AMBR., « Deus distinctionem non facit qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis *sine ulla exceptione* concessit »[29]. Et AUG.: « Nemo sibi dicat *occulte* ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscat... Ergo *sine causa claves datæ sunt Ecclesiæ?* Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi? »[30]. Consequenter Patres repetunt quod « eum, qui a Satana percussus fuit, non debet pudere delictum suum confiteri »[31], eique ad confitendum animum addunt ex bonitate sacerdotis, qui est pater[32] et medicus[33], quique secreto audiet, neque coget « in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes »[34], sed silentio omnia occultabit. *e*) *Exemplum de necessitate confessionis* ORIG. sumit ex *esca indigesta.*

---

[23] DOCT. 12 APOST. c. 14.

[24] BASIL. *Regul. brev.* inter. 288; LEO M. *epist.* 108 c. 2.

[25] BEDA in Jac. **5**. 15.

[26] IREN. *Adv. hær.* I c. 13 n. 7.

[27] TERTUL. *De Pœn.* c. 10. Similiter PACIAN. *De Pœn.* n. 8: « Peccator erubescet perpetuam vitam præsenti pudore mercari »?

[28] ORIG. in *Lev.* hom. 3 n. 4.

[29] AMBR. *De Pœn.* I c. 3 n. 10; II c. 7.

[30] AUG. *Serm.* 392 c. 3 n. 3.

[31] APHRAATES *De Pœn.* n. 3.

[32] « Afflictionis participem et socium sume sacerdotem, ut *patrem*. Quis tam falso nominatur pater, aut duro atque adamantino animo præditus est, qui non filiis mœrentibus doleat?... *Audacter* ostende illi quæ sunt *recondita* ». ASTERIUS hom. 13 *Adhor. ad Pœn.*

[33] « Si conscius tibi sis vulnerum actuumque *in te latentium,* quare illa tua vulnera negligis? Quid times *medicum?* Non est durus, neque immitis atque immisericors ». EPHREM *Adhor. ad Pœn.* ed. Assem. I p. 148; HIER. in *Eccli.* **9**.

[34] CHRYS. *De Lazar.* hom. 4 n. 4; in *Gen.* hom. 20 n. 3.

« Sicut, inquit ii, qui habent intus *escam indigestam*,... si vomuerint, relevantur: ita etiam hi, qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur... Si autem ipse sui accusator fiat, *dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum* atque omnem morbi digerit causam » [35]. Communius peccata *comparant vulneri* quod, nisi medico ostendatur, putrescit. « Vos, ait PACIAN., appello fratres... post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, et *erubescitis confiteri*... Desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes *ægri medicos non verentur,* ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos etiam perusturos » [36]. LACTAN. confessionis typum videt in *circumcisione;* « ob hanc enim causam Deus circumcisionem Judæis præcipiendo, nudari pudendam corporis partem jussit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involutum pectus haberemus, idest, *ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta velemus* » [37].

368. **Secunda pars.** *Necessitas confessionis omnium peccatorum obfirmata est divinitatis sigillo.* Nam sive confessionis praxim consideres in *subjecto,* sive in *ministro,* sive in *effectu,* invenies aliquid supra humanas vires. Profecto si attendis PŒNITENTEM, habes exinanitionem qua peccator viro sæpe ignoto, vel subdito, secreta sui cordis, utut summe infamantia, sponte, distincte et humiliter aperit. Quis dicet tam grave onus humanam mentem *excogitasse* et universam multitudinem, iis non exceptis qui divitiis, imperio, dignitate, scientia et sanctitate eminent, *suscepisse* et plurium sæculorum decursu sine querimonia inviolate *custodisse?* — Si consideras MINISTRUM, vides paventem judicia Dei divinum præire judicium [38]. An potestatem, quam nec mythologia somniavit et Judæi in maximo propheta vix possibilem reputabant [39], immaculata Christi sponsa usurpare et latissime exercere potuit? Quid dicam de scientia, prudentia, patientia et constantia sacerdotum, qui sine lucro, sine honoris spe, cum magno temporis et sanitatis jactura, multitudinem omnium sexuum, ætatum, conditionum [40], in quibus universitas

35 ORIG. in *Ps.* **37** hom. 2 n. 6.
36 PACIAN. *De Pœnit.* n. 6-8.
37 LACT. *De div. inst.* IV. c. 17.
38 Cf. supra n. 352.
39 Luc. **5**. 21; **7**. 49.
40 Quis non videt difficultatem transeundi ab auditione animæ innocentis ad confessionem viri iniquissimi, quin animus turbetur? Quæ scientia, ut recte et prompte difficillimis quæstionibus

iniquitatis et malitiæ residet, ad plures horas [41] audiunt et, per lutum et ignem transeuntes, puriores et sanctiores fiunt? [42]. Quid de sigillo sacramentali religiose servato ab iis quoque qui præter caracterem vix quidquam de sacerdotio retinent, imo ad inimicorum castra transiere? [43]. — Ceterum ex fructibus agnoscitur arbor [44], FRUCTUS autem confessionis sunt pax et tranquillitas conscientiæ, fervor in observantia mandatorum Dei, heroicique omnium virtutum actus, quibus pravæ et diuturnæ consuetudines abrumpuntur, peccatorum occasiones deseruntur, onerosissimæ famæ vel pecuniarum restitutiones ad exitum perducuntur, reparantur injuriæ et inimici pacificantur. Nonne qui hæc considerat, ultro exclamat: *Vere digitus Dei est hic?* [45].

THES. 59. *Publica peccatorum confessio non est necessaria, sed — 1 privata seu auricularis, — 2 quæ a primis jam temporibus usuvenit, sufficit.*

369. **Prima pars.** *Ad valorem sacramenti sufficit confessio privata seu auricularis.* ARGUM. 1. Nam evulgatio delicti in judicio forensi ideo requiritur, quia, contra reum istitutum, probatione testium eget; sed judicium sacramentale aliorum testimonio non innititur, et, institutum in bonum pœnitentis, ejus confessione absolvitur [46]: evulgatio ergo delicti non pertinet ad judicium sacramentale, ac proinde publica confessio non est de essentia sacramenti. ARGUM. 2. Repugnat Christum pro sacramenti valore imposuisse ea quæ scandala evulgarent [47], fideles a sacramenti susceptione arcerent, et societatis rectores subditorum ludibrio exponerent: atqui hæc publicam confessionem manifeste sequerentur: ergo. ARGUM. 3. Nam homo peccatis occultis naturale jus ad

---

respondeatur, et per implexas perfectionis vias diversimode, juxta divinum beneplacitum, ducantur fideles? Si quando ergo hoc fiat, de divino interventu non est ambigendum.

[41] B. VIANNEY quotidie 18 horas in audiendis confessionibus insumebat.

[42] Attendas pœnitentes non semper prudentes esse, et nonnumquam proterva fronte ac dulcicula voce concupiscentiam excitare; et tamen plures sacerdotes castissime suum implent officium.

[43] Notum est S. J. NEPOMUCENI vitam dedisse pro sacramentali sigillo; alios autem plures similia gessisse constat. Porro vidimus (vol. 1 n. 161) martyrium veritatis esse signum.

[44] Matth. **7**. 16.

[45] Exod. **8**. 19.

[46] Supra n. 349 et 365.

[47] Notum est vitia magis quam virtutes ad imitationem allicere.

æstimationem aliorum non amittit: occultorum ergo peccatorum evulgatio per confessionem publicam est contra jus naturale, quod certe Christus non violavit.

370. **Secunda pars.** *Etiam primis temporibus confessio auricularis extitit.* ARGUM. 1. *Ex absurdis.* Nam confessio peccatorum est absolute necessitatis pro remissione mortalium post baptismum commissorum [48]: stante ergo universalitate voluntatis salvificæ, nullos patitur limites: atqui confessio publica, saltem in Ecclesia Latina, *semel* admittebatur [49], *non* imponebatur *omnibus* [50], et agebatur de *gravioribus tantum* peccatis [51], scil. de apostasia, adulterio et homicidio [52], publice notis vel juridice probatis [53]: ergo. ARGUM. 2. *Ex Patrum testimonio.* Ut enim taceamus LEON. M. evulgationem peccatorum damnasse, utpote *contra apostolicam regulam*, « cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari *confessione secreta* » [54]; jam ORIG. volebat ut *curatio* facienda in Ecclesia,

---

[48] Supra n. 366.

[49] HERMAS *Mand.* IV n. 1; TERTUL. *De Pœn.* 7; CLEM. Alex. *Strom.* II n. 13; ORIG. in *Lev.* hom. 15 n. 2; AMBR. *De Pœn.* II c. 10 n. 95; AUG. *epist.* 153 n. 7. — In Oriente pœnitentiam publicam pluries esse datam, probant HERGENR. II p. 197; PIGNAT. *De disc. pœn.* p. 127.

[50] *Juvenibus* (Conc. AGATH. a. 506 cn. 15) et iis qui *æstu passionum* valde *vexabantur* (AMBR. *De Pœn.* II c. 11 n. 104) non suadebatur, ne suam efficaciam amitteret, et serior usus impediretur; excipiebantur vero *clerici* (SIRIC. epist. ad *Himer.* c. 14; LEO M. epist. 167 ad *Rustic.*), quia depositio jam erat pœna publica, et idem delictum non erat bis puniendum (BASIL. epist. 188 *ad Amphil.* n. 3). — Alicubi tamen etiam clerici subjiciebatur pœnitentiæ publicæ. HERGENR. II p. 197.

[51] PACIAN. *Paren. Pœnit.* c. 2; GREG. Nyss. *epist.* can. n. 7. Hinc AUG. *De symb. ad Catech.* c. 6: « Illi, quos videris agere pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania ».

[52] PIGNATARO *l. c.* p. 83 qui arguit ex TERTUL., CYPR., PACIAN., GREG. Nyss., AUG., CONC. ELIBER., ANCYR., etc.

[53] « Nos, inquit AUG. *Serm.* 351 n. 10, a communione, scil. a societate fidelium, prohibere quemquam non possumus, nisi aut *sponte confessum*, aut in *aliquo* sive sæculari, sive ecclesiastico *judicio* nominatum et *convictum* »; scil. « quorum crimina *manifesta sunt* » (AUG. *epist.* 153 *ad Maced.* c. 3). Et INNOC. I *ad Exup.* c. 4 n. 10: « Non habent latentia peccata vindictam » sed, ut loquitur ORIG. in Matt. 36. 36, « consuetudo tenuit talis, ut qui *manifesti* sunt in *magnis delictis* ejiciantur ab oratione communi ». Cf. HERGENR. I p. 281.

[54] LEO M. epist 168 ad *epis. Camp.* c. 2. Quomodo potuisset LEO († 461) damnare evulgationem peccatorum, uti *contrariam apostolicæ regulæ*, si jamdiu non viguisset ubique confessio auricularis?

cujus pars erat confessio publica, sequeretur consilium confessarii [55], qui proinde prius privatim peccatorem audire debebat. De confessione auriculari indubie agebat GENNAD. dicens: « *Secreta satisfactione* solvi mortalia crimina non negamus » [56]. Nec aliter exponendi sunt Patres qui loquuntur de confessione facta « *Domino* non ignaro [57], qua « Deus confitentem *solus audiat* » [58]; cum enim agant de confessione facta Ecclesiæ, profecto de illa dicunt « quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti » [59], qui « non est durus, neque immitis atque immisericors » [60]; quique, sicut non in theatro et apud testes, sed privatim, nullo alio socio adhibito, audit [61], ita non debet publicare [62]. « Ergo ipsa corripienda sunt *coram omnibus*, quæ peccantur *coram omnibus:* ipsa corripienda sunt *secretius*, quæ peccantur *secretius* » [63].

371. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** *a*) Ex universalitate confessionis, *b*) ex sacerdotalis ministerii exercitio, et *c*) ex fructibus sacramenti nil evincitur, quia *primum* ex præcepto Ecclesiæ potest deduci, *alterum* in quibusdam tantum impletur, *tertium* ex notitia juris naturalis explicatur. **Resp.** *a*) Præceptum Ecclesiæ non reddit rationem universalitatis confessionis quia, ut constat ex Patribus priorum sæculorum, ab ipso initio Ecclesia confessionem proposuit *uti præceptum divinum;* repugnat autem omnes in re fidei esse deceptos. *b*) Ad vim argumenti non requiritur quod omnes confessarii suum ministerium sancte impleant, sed quod vel pauci auxilio Dei exerceant; Deus enim sua gratia hypocrisim et sacrilegium confirmare nequit. *c*) Sacramenti fructus ex sola notitia juris naturalis non explicantur; hæc enim sacramenti susceptionem antecedit, et vim peragendi actus heroicos non confert.

372. **Objic. 2.** Sicut Christus non distinxit inter diversa peccata mortalia, ita neque inter mortalia et venialia: atqui de venialibus non est confessionis necessitas: ergo. **Resp.** Licet Christus non distinxerit inter peccata, naturam tamen peccatorum non immutavit: quia ergo ve-

---

[55] ORIG. in *Ps.* **37** hom. 2 n. 6; AUG. *Serm.* 351 c. 4; GENNAD. *De Eccl. Dogm.* 53. — **NB.** Non est mirandum quod ex consilio confessarii vel ex devotione quis assumpserit pœnitentiam publicam, ad quam stricte non tenebatur; erat enim humilitatis actus et pœna medicinalis.

[56] GENNAD. *De Ecc. Dogm.* 53.

[57] TERTUL. *De Pœn.* c. 9; AMBR. *De Pœnit.* II c. 7; AUG. in *Ps.* **66** n. 6.

[58] CHRYS. hom. *Non esse ad gratiam concionandum* n. 3.

[59] LEO M. *epist.* 168 c. 2.

[60] EPHREM *Adhor. ad Pœnit.* apud Assem. I p. 148.

[61] CHRYS. Hom. *De Lazaro* IV n. 4.

[62] APHRAATES *De Pœnit.* n. 4.

[63] AUG. *Serm.* 82 n. 10.

niale ab intrinseco est remissibile ex actibus gratiæ, quam veniale nec aufert nec imminuit, Christus hoc peccatnm non ligavit clavibus, quod e contra fecit de mortalibus, per se irremissibilibus.

373. **Objic. 3.** Ad judices civiles non omnes accedunt, sed qui ipsorum opera uti volunt: ergo peccatores possunt absolutionem sacerdotum invocare, sed etiam aliter possunt absolvi. **Resp.** « Etiamsi possint privati homines, lites, quas inter se habent, sine publicorum judicum sententia componere, non possunt tamen eas lites componere, quas cum rege ipso habent, nisi illum adeant, quem loco suo rex judicem esse voluit. Porro peccata omnia causæ sunt, quas cum Deo ipso habemus, et ideo, cum Deus judicium de peccatis sacerdotibus commiserit in Ecclesia sua, non possunt, qui in Ecclesia sunt, si ejusmodi causas habeant, sine sacerdotum judicio cum Deo reconciliari » [64]. Neque dicatur recursum patere ad regem; si enim rex omnem causam suis ministris concredidit, nullum per se judicabit, sed sicut Pharao ad Joseph [65], sic istos ad suos ministros remittet. Ita autem fecit Deus [66].

374. **Objic. 4.** Si necessitas confessionis esset juris divini, non potuisset abrogari: atqui fuit abrogata a Nectario Cp. episc. an. 390, ut refert Socrates: ergo. **Resp.** Ut constat ex *occasione* facti objecti, quæ fuit evulgatio consuetudinis stupri cujusdam diaconi cum nobili matrona, et ex *relatione* facta a SOZOMENE, qui 40 annis post Nectarium scripsit, constat non sacramentum pœnitentiæ tunc esse abrogatum, sed officium publici pœnitentiarii, quo sublato, facta est unicuique facultas accedendi ad Ss. Communionem, quin ab ullo vexaretur. [67].

375. **Objic. 5.** In vitis priorum sanctorum ne vestigium quidem est confessionis sacramentalis in ipso mortis articulo; fideles vero, qui sæpe Eucharistiam suscipiebant, de omnibus peccatis confiteri non poterant, siquidem in antiqua disciplina solus episcopus confessiones excipiebat. **Resp.** « In biographia veterum sanctorum non indicantur nisi quædam facta admiratione digna, communia omittuntur » [68]. Quod vero attinet ad fideles *a*) non est verum omnes frequenter communicasse, Patres enim conqueruntur de abstinentia a *cœlestibus sacramentis* [69]: *b*) neque concedi debet solos episcopos excepisse confessiones, siquidem constat, sede vacante, Romæ de presbyteris esse electos confessarios, et in civitatibus frequentioribus esse constitutum presbyterum pœnitentiarium [70]: *c*) cete-

---

64 BELLARM. *De Pœnit.* III c. 2.

65 Gen. **41**. 55.

66 Vide AUG. supra n. 367.

67 SOCRAT. *Hist.* V c. 19; SOZOM. *Hist. Ecc.* VII c. 16; HERGENR. II p. 196-7.

68 PIGNAT. *De disc. pœn.* p. 41.

69 AMBR. *De Pœn.* II c. 9 n. 89; CHRYS. in *Eph.* hom. 3; in *Hebr.* hom. 17.

70 EUSEB. *Hist. Eccl.* VII c. 8; SOZOM. *H. E.* VII c. 16; LIB. PONTIF. ætate Marc.

rum primis temporibus episcopi in singulis fere oppidis constituebantur et forte fideles, fervidiores, minus frequenter in gravia peccata incidebant [71].

376. **Objic. 6.** PACIANUS negat « omnibus omnino peccatis summum discrimen (esse) impositum » [72], ORIG. peccata idololatriæ, adulterii et omicidii dicit contra sacerdotalem disciplinam absolvi [73], et CHRYS. peccatorem hortatur sic confiteri Domino, ut « Deus confitentem *solus* audiat » [74]: ergo non agnoscebant necessitatem confitendi omnia peccata mortalia. **Resp.** Ut patet ex thesi, Patres objecti necessitatem confessionis aperte docuerunt; in allatis ergo testimoniis de alia re loquuntur. Revera PACIAN. agit de *pœnis canonicis* quæ non imponebantur pro omnibus peccatis mortalibus, sed pro gravioribus tantum: ORIG. loquitur de absolutione data *publicis pœnitentibus* antequam integram pœnitentiam exsolverent: pro CHRYS. vero confessio facta *Domino* vel *soli Deo,* ut patet ex contextu et similibus locutionibus AUG. et LEON. M. [75], est *confessio auricularis* solo ministro Dei exhibita [76].

377. **Objic. 7.** Juxta præcipuos Scholasticos [77], ante INNOC. III confessio omnium peccatorum non erat fidei dogma, quare CONC. CABILL. II cn. 33 docet quod « confessio, quæ fit Deo, *purgat* peccata; ea vero quæ sacerdoti fit, docet *qualiter ipsa purgentur* peccata », et BEDA, exceptis quibusdam sceleribus, pro quibus necesse est peccatorem venire ad Ecclesiam, dicit alia unumquemque per seipsum sanare et corrigere debere [78]: ergo necessitas confessionis paullatim in Ecclesia inolevit [79], et « usque ad ætatem relative recentem satisfactio contritioni conjuncta vices gessit remissionis per claves » [80]. **Resp.** Scholastici non docent ante definitionem INNOC. III non fuisse necessariam confessionem omnium peccatorum, sed dicunt non fuisse *hæreticos* qui id negabant, non secus ac ante definitionem Pii IX ab hæresi eximebantur qui negabant Immaculatam conceptionem B. V. M., eo quod hæresis est negatio dogmatis jam definiti. Porro CONC. CABILL. necessitatem confessionis expresse docet cn. 32; loco vero objecto affirmat duo concurrere ad remissionem

---

[71] Concedi potest primis temporibus non fuisse frequentem confessionem venialium.

[72] PACIAN. *De Pœn.* c. 2; GREG. Nyss. *Epist.* can. c. 6; BASIL. *epist.* can. II cn. 30.

[73] ORIG. *De Orat.* n. 28; EPHR. *De Pœn.* apud Assem. I.

[74] CHRYS. hom. *Non ad grat.* n. 3-4; *De Laz.* 4 n. 4.

[75] AUG. in *Ps.* **66** n. 6; LEO M. *epist.* 168 c. 2.

[76] PIGNAT. *l. c.* p. 42-7.

[77] MAGIST. SENT. *IV Dist.* 17 coll. S. THOM. in Com. *h. l.;* BONAV. in eumd. loc. p. 2; ANTON. *Chron.* p. 2. tit. 15 § 19.

[78] BEDA in *Luc.* **17.** 14.

[79] LOISY *Autour...* p. 247-50.

[80] BATIFFOL *Études d'histoire* etc. p. 221.

peccati, *dolorem* scil. internum et *confessionem*. Tandem V. BEDA « non loquitur de confessione sed de *adscriptione ad corpus Christi mysticum*, quod est Ecclesia » [81].

ART. 7 – DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI

378. **Quæ satisfactio sacramentalis.** Satisfactio sacramentalis a communi [1] in eo differt quod *a*) hæc est *simpliciter* voluntaria, illa vero est voluntaria *in causa*, prout quisque libere ad sacramentum accedit; sed non *in se*, quia per confessarium imponitur: *b*) illa vim mutuatur ex *opere operatis*, hæc ex *opere operato*: *c*) illa inducit jus ad remissionem pœnæ temporalis *proportionatam meritis* ipsorum operum, hæc, vim mutuans ex meritis Christi, *abundantionem* ejusdem pœnæ relaxationem operatur. — Porro in susceptione hujus satisfactionis distinguere oportet *propositum* sustinendi aliquas pœnalitates a confessario impositas, ab executione eorumdem operum: primum pertinere videtur ad *essentiam* sacramenti, nec re distingui a dolore qui « implicat propositum confitendi et satisfaciendi » [2]; operum executio spectat *ad integritatem*, quia propositum secum affert executionem rei propositæ, et quia sine satisfactione *in re* totalis absolutio a temporalibus pœnis, quæ profecto ex Christi institutione sacramento est obtinenda, non habetur.

379. **De pœnitentia publica antiquæ disciplinæ.** Publica pœnitentia erat quædam excommunicatio, qua peccatores publici [3] separabantur in mysteriorum celebratione a societate fidelium « In Ecclesiis Asiæ Minoris sæc. 3 tres distinguuntur *stationes* seu ordines pœnitentium. 1 *Audientes* qui audiebant prope narthecem cum catechumenis solummodo lectionem Scripturæ... sed ante offertorium... dimittebantur. 2 *Substrati* seu *genuflectentes*, qui in ecclesia occupabant spatium inter fores et am-

---

[81] PIGNAT. *l. c.* p. 55 ex quo etiam præcedentia breviavimus.

[1] De satisfactione extrasacramentali egimus n. 316.

[2] S. THOM. 3 p. q. 90 a. 2 ad 1.

[3] Excommunicatio erat duplex: altera vindicativa seu *major*, qua hæretici plectebantur anathemate, altera medicinalis seu *minor*, qua a communione fidelium peccatores ad tempus separabantur. Utraque, sed maxime secunda, aliquando infligebatur *a jure*, ut patet ex CYPR. *De Laps.* c. 28-9, sæpius vero *per episcopum*, ut constat ex AUG. *serm.* 351 n. 10.

bonem. Hi, post audientium dimissionem, corpore solo substrati excipiebant manus impositionem episcopi et presbyterorum. Forte adesse poterant Missæ sacrificio, sed genuflexi. 3 *Consistentes*, qui aderant sacrificio stantes una cum ceteris fidelibus, at a communione arcebantur et eorum nomina non offerebantur » [4]. — Hæc pœnitentia saltem in Occidente, semel tantum in vita, dabatur [5], assumebatur publica confessione peccati, et claudebatur liturgica absolutione [6]. — Finis erat *vindicativus* simul et *medicinalis*, siquidem agebatur ad reparandum publicum scandalum [7], ad satisfaciendum Deo [8], et ad compescendam concupiscentiam [9]. — Fuisse veram satisfactionem sacramentalem ambigi nequit, [10] sed an præmittenda esset absolutioni sacramentali, merito dubitatur [11]. Primo quidem, quia pœnitentia publica nonnumquam assumebatur ex consilio confessarii, [12] et non est probabile confessarium secretum suum judicium non perfecisse : *secundo*, quia ante absolutionem ritualem aliquando pœnitentes admittebantur ad Eucharistiam, [13] quod sine sacramentali abso-

---

[4] PIGNAT. *l. c.* p. 86. In occidente similia pœnitentiæ signa apparent ex AMBR. et AUG.; præcipiuntur tamen vel suadetur etiam alia, ut v. g. tonsio capillorum, mutatio vestium, revocatio a quibusdam officiis, abstinentia a nuptiis maxime secundis et ab usu conjugii, etc. HERGENR. I p. 393-6; II p. 180, 197.

[5] Supra n. 370 *not. 49.*

[6] Hujus absolutionis formulæ extant in *ordinibus pœnitentialibus:* hac vero absolutione pœnitentes ab onere pœnitentiali penitus absolvebatur, unde AMBR. *De Pœnit.* I c. 2 n. 7 dicebat Ecclesiam, concedendo pacem, absolvere *quod ligaverat.*

[7] ORIG. in *Ps.* **37** hom. 2 n. 6; AUG. *Enchir.* c. 65; *Serm.* 351.

[8] Hoc fere omnes Patres docent. Cf. TERTUL. *De Pœnit.* c. 9; AMBR. *De Pœn.* II c. 7; AUG. epist. 153 *ad Maced.* c. 3; etc.

[9] PIGNAT. p. 105; MATTIUSSI *Della Penitenza nei primi secoli* p. 35 sqq.

[10] « *Satisfactio*, inquit TERTUL. loquens de pœnitentia maxime publica, confessione (scil. sacramentali) disponitur, *confessione* pœnitentia nascitur, pœnitentia *Deus mitigatur* ». *De Pœn.* c. 9; CYPR. *De laps.* c. 29; PACIAN. *De Pœnit.* n. 6-8. Hinc, qui pœnitentiam publicam egerat, ad sacram Eucharistiam admittebatur « utpote pœnitentiâ purgatus ». CONST. APOST. II c. 41.

[11] PALMIERI *De Pœnit.* p. 459 sqq.; HURTER III n. 50 in nota; PESCH n. 263 sqq.; PIGNAT. 100 sqq. tenent absolutionem sacramentalem esse datam ab initio.

[12] ORIG. in *Ps.* **37** hom. 2; AUG. *Serm.* 351 n. 4; GENNAD. *De Eccles. Dogm.* 53.

[13] Eucharistia etiam ante absolutionem liturgicam dabatur in articulo mortis, unde CONC. CARTHAG. IV a. 398 cn. 78 statuit: « Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint ». Similia habent CONC. NICÆN. cn. 13; ANCYR. (a. 314) cn. 6; ARAUS. I (a. 441) cn. 3.

lutione non erat licitum: *tertio,* quia absolutio ritualis dabatur etiam a sacerdote qui confessionem non exceperat [14], imo a diacono [15], quod manifeste repugnat de absolutione sacramentali: *quarto,* quia absolutio ritualis dari poterat *sub definitione,* h. e. sub conditione reditus ad pœnitentium numerum, si infirmi convalescerent, [16] quod profecto de sacramentali absolutione repugnat. Ceterum cæremonia impositionis manus, quæ non erat pars sacramenti [17], et nomina *pacis, communionis, legitimæ communionis, juris communicationis, paci restitutionis,* vel *in Ecclesiam susceptionis,* quibus designabatur absolutio a pœnitentia publica [18], innuunt non fuisse absolutionem a *peccatis,* sed ab excommunicatione.

380. **Errores — Veritas.** Cujusvis satisfactionis *necessitatem* imo et *bonitatem* negavere PROTESTANTES, dicentes eam injuriosam meritis Christi: *utilitatem* satisfactionis, quæ in sacramento imponitur, impugnarunt P. DE OSMA et JANSENISTÆ blaterantes satisfactionem de necessitate esse præmittendam absolutioni [19]. **Veritas.** Protestantes proscripti sunt a CONC. TRID.: « S. q. d. claves Ecclesiæ esse datas tantum ad absolvendum, non etiam ad ligandum: et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus agere contra finem clavium et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; a. s. » [20]; ceteri damnantur a SYXTO IV qui ut scandalosam et hæreticam proscripsit propositionem hanc: « Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta » [21].

---

[14] Plures *ordines pœnitentiales* præcipiunt *presbyterum confessionem* audire et *episcopum* absolvere. MARTÈNE *De ant. Eccl. rit.* I p. 295.

[15] « Qui libellos a martyribus acceperunt... si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud *presbyterum...*; si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud *diaconum* quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut *manu* eis in pœnitentiam *imposita* veniant ad Deum *cum pace* ». CYPR. epist. 12 (alias 18) *ad cler.* n. 1.

[16] CONC. CARTAG. IV a. 398 cn. 78.

[17] Triplex erat manuum impositio: *prima* cum pœnitentia imponebatur, *secunda* cum in celebratione Missæ benedicebantur substrati, *tertia* in fine pœnitentiæ cum pœnitentes admittebantur ad Eucharistiam: nullam vero fuisse de essentia sacramenti vel inde patet quod sacerdotibus non dabatur. Cf. PALMIERI *De Pœn.* th. 14 p. 159-60.

[18] CYPR. *De Laps.* c. 16; epist. *ad Cornel.* n. 1; epist. 9 *ad cler.* n. 2; epist. 52 *ad Anton.* n. 29.

[19] Supra n. 297.

[20] CONC. TRID. sess. 14 cn. 15; cp. 8; cn. 12 et 13.

[21] SYXT. IV Decr. a. 1479 pr. 5; ALEX. VIII a. 1690 pr. 16-7; PIUS VI a. 1794 pr. 35 *Syn. Pist.*

THES. 60. *Cum,* — 1 *remissa culpa, ordinarie non remittatur tota pœna temporalis peccatorum,* — 2 *ad integritatem sacramenti pœnitentiæ pertinere dicenda est satisfactio, quæ a sacerdote imponitur, et* — 3 *licite post absolutionem impletur.*

381. **Prima pars.** *Remissa culpa, ordinarie non tota remittitur peccatorum pœna temporalis.* Nam gratia sacramentalis non differt essentialiter a gratia communi: si ergo gratia communis non excludit debitum pœnæ temporalis, neque gratia sacramenti pœnitentiæ omnem debitum pœnæ temporalis remittere debet. Porro gratiam communem, qua remittuntur mortalia, non excludere debitum pœnæ temporalis, patet ex his quæ in **Scripturis** legimus de Adam [22], de Israëlitis in deserto [23], de Moyse [24], de Aaron [25], de Davide [26], etc. Accedit Purgatorii dogma; nulla enim est culpa animabus sanctis, quæ in Purgatorio detinentur, sed solum pœnarum debitum. — **Patres** existentiam hujus pœnæ temporalis post remissionem culpæ *a*) suadent exemplis, *b*) confirmant rationibus, atque *c*) satisfactionis modum docent. *a*) « Nequaquam, inquit GREG. M., peccato parcitur (scil. remittitur, pœnitentia non imposita), quia nullatenus sine vindicta relaxatur: sic David audire post confessionem meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum;* et tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, exsolvit » [27]. *b*) « Productior, ait AUG., est pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et pœna. Ac per hoc... temporaliter detinet pœna, quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa » [28]. *c*) Et AMBR.: « Sicut qui pecunias solvunt, debitum reddunt...; sic compensatione caritatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque, peccati pœna dissolvitur » [29]. — **Ratio** est quia in peccato personali sunt duo mala, scil. aversio a Deo, cui respondet pœna damni, et conversio ad creaturas, cui debetur pœna sensus [30]: prima notionem privationis exhibet et manet in indivisibili, altera rationem positivæ inclinationis refert et suscipit

---

[22] Sap. **10**. 2 coll. Gen. **3**. 16-20.
[23] Num. **14**. 19-23.
[24] Deut. **32**. 49-52 coll. Eccli. **45**. 1 sqq.
[25] Deut. *l. c.* coll. Eccli. **45**. 7. sqq.
[26] 2 Reg. **12**. 13–4.
[27] GREG. M. *Moral.* IX c. 17.
[28] AUG. in *Joan.* tr. 124 n. 5; CHRYS. Hom. *De Pœn. et conf.*
[29] AMBR. In *Luc.* VII n. 156.
[30] S. THOM. *De Malo* q. 5 a. 2.

gradus: ut ergo reparatio culpæ sit adæquata, in pœnitentia debet attendi species et gradus intensitatis: contritionis specie solvitur pœna æterna; contritionis gradui respondet remissio pœnæ temporalis, quæ ordinarie non totaliter relaxatur, quia actus pœnitentiæ sæpesæpius sunt remissi. Accedit quod si semper relaxaretur universa pœna, facilitas impetrandi veniam ad culpam viam aperiret, atque rectam æstimationem culpæ imminueret.

382. **Secunda pars.** *Ad integritatem sacramenti pertinet satisfactio a sacerdote imposita.* Sequitur ex prædictis. Est enim sacerdos judex in causa peccatorum [31]: si ergo sola confessione et absolutione non reintegratur violata justitia, modum reintegrandi ipsemet statuere debet; quod facit imponendo opera satisfactoria juxta peccatorum gravitatem et pœnitentis dispositiones [32]. — **Patres** non modo sacerdotibus jus imponendi satisfactiones agnoscunt, sed ejus quantitatem sacerdotali judicio remittunt. « Sit inquit BASIL., in judicio positum eorum, qui præsunt (h. e. confessariorum) vel quanto tempore, vel quali modo pœnitere debeant qui delinquunt » [33]. Et GREG. M.: « Afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tunc demum idonea est, cum sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo, confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis » [34]. Confirmatur **praxi Ecclesiæ** quæ innotescit *a)* antiqua disciplina de publica pœnitentia, *b)* libris pœnitentialibus et *c)* conciliorum decretis, quæ debitam satisfactionem pœnitentibus esse imponendam docuerunt [35].

383. **Tertia pars.** *Satisfactio licite post absolutionem impletur.* Constat **ex praxi Ecclesiæ** [36] et confirmatur ratione. Nam in con-

---

[31] Supra *th. 55* n. 352.

[32] « Per contritionem, inquit S. THOM. *Cg.* IV c. 72, amota culpa, et reatu pœnæ æternæ soluto, remanet obligatio ad aliquam pœnam temporalem, ut justitia Dei salvetur, secundum quam culpa ordinatur per pœnam. Cum autem subire pœnam pro culpa judicium quoddam requirat, oportet quod pœnitens, qui se Christo sanandum commisit, Christi judicium in taxatione pœnæ expectet; quod quidem per suos ministros exhibet Christus, sicut et cetera sacramenta ».

[33] BASIL. *Reg. brev.* inter. 106 et 288.

[34] GREG. M. in 1 *Reg.* III c. 5 n. 13; INNOC. I Epist. *ad Decen.* 1 c. 7; AUG. *serm.* 351 n. 9; LEO M. *epist.* 108 c. 2.

[35] CONC. LAOD. a. 372 cn. 2; CARTHAG. IV a. 397 cn. 31; TRULL. a. 692 cn. 102; TURON. III a. 813 cn. 22; WORMAT. a. 858 cn. 25; FLOR. *Decr. pro Arm.;* TRID. sess. 14 cp. 8; cn. 15.

[36] De *præsenti disciplina* res est manifesta, quoad *antiquam* revoca quæ diximus de absolutione sacramentali collata sub initio publicæ pœnitentiæ.

spectu Dei, qui cor intuetur, desiderium pro facto reputatur; sicut ergo cum voto sacramenti ex caritate perfecta pœnitens justificatur, manente debito confessionis; ita, manente debito satisfactionis, in ejus voto absolvitur. Adde debitum pœnæ temporalis non obstare remissioni culpæ; potest ergo sacerdos ab hac prius absolvere, quod præstat, ut satisfactio, in gratia elicita, acceptior fiat Deo, et efficacior evadat pro remissione pœnæ reliquæ.

384. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Patres docent, non impleta debita pœnitentia, « irritam et falsam esse pacem, periculosam dantibus et nihil accipientibus profuturam » [37]: ergo pœnitentia debet præcedere absolutionem. **Resp.** Ut patet ex præmissis, Patres objecti loquuntur de absolutione liturgica post publicam pœnitentiam impertiendam, vel de absolutione data sine impositione debitæ satisfactionis, aut concessa non vere contritis [38].

385. **Objic. 2.** Pœna est effectus culpæ: ergo, soluta culpa, solvitur pœna, nec quidquam manet satisfaciendum. **Resp.** Remissa culpa, semper solvitur aliqua pœna, sed non omnis, quia reparatio esse potest vera et inadæquata, ita scil. ut homo *recedat* a culpa, quin sufficienter *accedat* ad Deum.

386. **Objic. 3.** In sacramento applicantur satisfactiones Christi: atqui hæ sunt infinitæ, ac proinde sufficientissimæ pro reparatione totius pœnæ: ergo. **Resp.** Ut alias diximus [39], applicatio meritorum Christi fit in sacramentis juxta dispositiones suscipientium, inter has autem ipsa satisfactio est enumeranda.

ARTIC. 8 - DE MATERIA REMOTA ET DE EFFECTU PŒNITENTIÆ.

387. **Quæ materia remota sacramenti pœnitentiæ.** Materia *necessaria* sunt omnia peccata mortalia commissa post baptismum et nondum absoluta virtute clavium [1]; *libera* sunt mortalia jam valide [2] confessa et venialia. Porro peccata, quæ pertinent ad materiam necessariam, debent

---

[37] CYPR. *De Laps.* 15; TERTUL. *De Pœnit.* 6; AUG. serm. 393 *De Pœn.*; THEOD. *Hær. fab.* IV c. 10.

[38] Cf. DE AUGUST. *De Sacr.* I p. 280 sqq.

[39] Supra n. 88.

[1] Peccata remissa contritione perfecta ante susceptionem sacramenti subjicienda sunt clavibus.

[2] *Valide*, quia si constaret de nullitate sacramenti ex defectu potestatis in confessario vel dispositionum in pœnitente, vel ex quacumque alia causa, adhuc urgeret obligatio confessionis.

confiteri in *numero* et *specie* [3], quia obligatio confessionis attingit peccata prout *sunt,* et res (eorumque privationes) ex specie et numero computantur: quæ vero pertinent ad materiam liberam possunt confiteri *in genere,* quia peccatum etiam juxta speciem remotam habet rationem offensæ Dei et potest *detestari, confiteri* et *absolvi,* ut patet de ipsa materia necessaria, quando specifica vel numerica confessio est physice vel moraliter impossibilis.

388. **Errores — Veritas.** Quoad *materiam remotam* sacramenti pœnitentiæ peccaverunt (sæc. 2-3) MONTANISTÆ et NOVATIANI negantes Ecclesiæ potestatem absolvendi a gravioribus peccatis et maxime ab apostasia et mœchia, et iterum (sæc. 16-7) LUTHERUS et JANSENISTÆ damnantes de præsumptione confitentes venialia. Quoad *effectum* erraverunt REFORMATORES blaterates peccata tantum tegi, et SCHOLASTICI quidam æstimantes per subsequentia peccata pristina redire [4]. **Veritas.** *Amplitudinem potestatis clavium* constat ex damnatione Montanistarum et Novatianorum quos, « remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tamquam hæreticos explosit atque condemnavit » [5]: *utilitas confessionis venialium* definita est in CONC. TRID.: « S. q. d... non licere confiteri peccata venialia; a. s. » [6]: *veram peccatorum remissionem* docet CONC. cum affirmat contritionem, confessionem et satisfactionem requiri ad « perfectam remissionem peccatorum », cujus effectus est « reconciliatio cum Deo » [7]; in reconciliatione enim seu justificatione *non tegi,* sed *tolli* quod habet rationem peccati, idem Conc. definit loquens de effectu baptismi [8]: *peccata* tandem *remissa non redire,* etsi expresse non sit definitum, constat ex PRAXI ECCLESIÆ quæ peccatorum remissorum iteratam confessionem non præcipit [9].

THES. 61. — 1 *Nullum est peccatum, quantumvis grave, quod sacramento pœnitentiæ nequeat relaxari;* — 2 *veniale autem et mortale jam remissum sunt materia sufficiens hujus sacramenti.*

389. **Prima pars.** *Nullum est peccatum quod pœnitentiæ sacramento solvi nequeat.* **Ex Scripturis.** Nam Christus, promittens

---

[3] Ad *speciem* peccati, uti docet theologia moralis, revocandæ sunt *circumstantiæ mutantes speciem,* non simpliciter *aggravantes.*

[4] Supra n. 297.

[5] CONC. TRID. sess. 14 cp. 1.

[6] CONC. TRID. sess. 14 cn. 7.

[7] CONC. TRID. *l. c.* cp. 3.

[8] CONC. TRID. sess. 5 cn. 5.

[9] PESCH n. 305-10.

et conferens potestatem absolvendi a peccatis, nullum excepit, imo positive omnia inclusit dicens *quodcumque solveris - quorum remiseritis* [10]. Profecto si Petro quærenti quoties offensas dimittere debebat, Christus respondit *semper* [11], certe etiam omnia peccata dimitti debent ab Ecclesia, ne homo, qui perfectionis regulam a Deo mutuatur [12], videatur Deo præire. — **Traditio** constat: *a*) ex *praxi Apostolorum,* siquidem PAULUS absolvit incestuosum corinthium [13] et, teste Eusebio, JOANNES Ecclesiæ restituit perditissimum juvenem latrociniis aliisque sceleribus famosum [14]: *b*) ex notissima *controversia cum Montanistis et Novatianis,* qui, cum Ecclesiæ negarent potestatem absolvendi a quibusdam peccatis, damnati sunt [15]: *c*) ex *reservatione peccatorum,* quæ in articulo mortis cessare debebat, ut patet ex reprehensione episc. provinciæ Viennensis et Narbonnensis, quibus, cum absolutionem negassent morientibus, rescripsit CŒLEST. I: « Horremus, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet; quasi non possit ad *se quovis tempore* concurrenti succurrere et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se ille expediri desiderat, liberare » [16]. Tandem *d*) ex apertis PATRUM testimoniis. Revera in Ecclesia *Occidentali* HERMAS docet pœnitentiam esse remedium pro omnibus peccatis *quæ Deus novit* [17]. CYPR. de lapsis statuit « libellaticos *interim* admitti, sacrificatis *in exitu* subveniri: quia exomologesis apud inferos non est » [18]. TERTUL. ante hæresim non solum de quovis peccato per exomologesin promittit remissionem, sed ipsis relapsis post publicam pœnitentiam spem concedit, sic eos exhortans: « Pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat; pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari » [19]. HILAR. negat limitari

---

[10] Matth. **16**. 19; Joan. **20**. 23.

[11] Matth. **18**. 21-2. Testimonium non est de remissione peccatorum, sed de condonatione injuriarum. KNAB. in *Matth.* II p. 129 sqq.

[12] *Estote vos perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. **5**. 48.

[13] 1 Corinth. **5** 1 sqq. coll. 2ª **6**-11.

[14] Apud EUSEB. *H. E.* III c. 23.

[15] Supra n. 297.

[16] COEL. 1 *Epist.* 4 c. 2. — **NB.** Jam in CONC. NICÆN. 1 cn. 13 statutum est: « De his qui excedunt, *antiqua et canonica lex* nunc quoque servabitur; ut, si quis vita excedat, ultimo et maximo necessario viatico ne privetur ». Similia extant apud APHRAATEM (a. 360 cir.), INN. I (a. 405), LEONEM M. (a. 442), uti videre est apud *Pignat.* p. 120-3.

[17] HERMAS *Pastor II* Mand. 4. 1, 7 sqq.

[18] CYPR. Epist. 52 ad *Anton.* n. 6.

[19] TERTUL. *De Pœn.* c. 7.

posse potestatem absolvendi, « cum per evangelii gratiam, *sine modo* nobis a Deo fuerit indulta » [20]. Clarissime AMBR.: « Deus distinctionem non fecit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis *sine ulla exceptione concessit* » [21]. Et AUG.: « Fuerunt qui dicerent quibusdam peccatis non esse dandam pœnitentiam, et exclusi sunt de Ecclesia et *hæretici facti sunt*. In quibuscumque peccatis non perdit viscera pia *mater Ecclesia* » [22]. In Ecclesia *Orientali* DIONYS. Corinth. († 180), teste Euseb., eos, qui « a *quovis lapsu* sive *delicto* sive etiam ab *hæretica pravitate* resiliunt, benigne suscipi jubet » [23]. ORIG. affirmat quod « christiani ut perditos et Deo mortuos lugent eos qui *libidine*, aut *quovis alio crimine* dejecti sunt (excommunicati); eosdem vero quasi e mortuis excitatos ducunt, si eam morum mutationem fecerint, *cujus ratio haberi debeat* » [24]. In CONST. vero APOST. absolute dicitur: « Si quis episcopus aut presbyter eum, qui se convertit a peccato, non receperit sed ejecerit, deponatur » [25]. — **Ex ratione.** Nam vidimus non esse peccatum absolute irremissibile [26]: atqui non datur peccatorum remissio sine ordine ad claves [27]: ergo omnia peccata per claves possunt solvi.

390. **Secunda pars.** *Peccata venialia et peccata jam remissa sunt materia sufficiens hujus sacramenti.* Nam *venialia*, utut levia, sunt vera peccata quæ, si non excludunt a regno cœlorum, ejus consecutionem retardant: atqui sacerdotibus facta est potestas absolvendi ab omnibus peccatis [28], et Petro datæ sunt claves ad solvenda omnia quæ cœlorum ingressum impediunt [29]: ergo [30]. Quis vero non videt hujus rei convenientiam? Profecto, si venialia non essent sacramenti materia, accessio ad sacrum tribunal foret publica confessio mortalium; quare plures, ne infamarentur, a sacramento

---

20 HILAR. in *Matth.* **18** n. 10.
21 AMBR. *De Pœnit.* I c. 3 n. 10.
22 AUG. *Serm.* 352 n. 9.
23 DIONYS. apud *Euseb.* H. E. IV c. 23.
24 ORIG. *C. Cels.* III n. 51.
25 CANON. APOST. cn. 52.
26 Supra n. 321.
27 Supra n. 366.
28 Joan. **20**. 23.
29 Matth. **16**. 19.
30 « Veniale, inquit S. THOM. *IV Dist.* 2 q. 1 a. 1 s. 4, et culpa est et dispositio ad culpam... Et ideo inquantum culpa est, potest tolli per omnia sacramenta quæ contra culpam delendam ordinatur; inquantum vero est dispositio ad culpam, ex ablata mortali culpa remanens, potest tolli etiam per sacramenta illa quæ contra pœnam ex culpa relictam et ad culpam inclinantem ordinantur ».

abstinerent. Nec quoad venialia retorqueri potest argumentum; humana quippe fragilitas non sinit quemquam, absque peculiari privilegio, immunem esse a venialibus, sed *septies cadet justus* [31], et *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* [32]. *Quoad peccata jam remissa* probatio non est difficilior. Profecto *de mortalibus nondum confessis* manet obligatio subjicendi ea clavibus, nec obligatio suscipiendi sacramentum nullum vel sacrilegum esse potest: de venialibus simul et mortalibus *jam remissis* per sacramentum manet aliqua pœna temporalis, quæ nova susceptione sacramenti relaxatur. Ceterum materia *proxima* sacramenti non sunt peccata, sed *actus pœnitentis;* dolor vero, confessio et satisfactio etiam de peccato remisso dari queunt.

THES. 62. *Effectus principalis sacramenti pœnitentiæ est gratia delens peccata, — 2 eamque alii boni fructus comitantur.*

391. **Prima pars.** *Effectus principalis sacramenti est gratia delens peccata.* Nam effectus proprius cujusvis sacramenti est gratia sanctificans cum specialibus quibusdam auxiliis, quæ *significationi* et *fini* sacramenti respondent [33]: atqui pœnitentia non est instituta ad spiritualem vitam incipiendam, vel augendam, vel conservandam, nec ad munia in christiana societate exercenda, sed ad remissionem peccatorum, quam forma absolutionis expresse indicat: ergo effectus proprius sacramenti pœnitentiæ est gratia ordinata ad remissionem peccatorum. — Porro gratiâ peccata non tegi sed *remitti* [34], et quidem ita, ut *nulla de causa redeant* [35], alias ostensum est. — Quod attinet ad *remissionis modum* revocari debet aliter se habere gratiam ad mortale cui repugnat, et ad veniale cui non contradicit [36]: mortale igitur gratia sacramenti *formaliter* remittitur, veniale *radicaliter* prout informat dolorem, qui est materia sacramenti, eumque facit fervorem caritatis excludentem venialia.

392. **Secunda pars.** *Gratiam sacramenti pœnitentiæ alii boni fructus comitantur.* Nam, *a*) cum infusio gratiæ non fiat sine motu liberii arbitrii [37] seu aliquo caritatis fervore, cui opponuntur ve-

---

[31] Prov. **24**. 16.
[32] 1 Joan. **1**. 8.
[33] Supra n. 46.
[34] Vol. 3 n. 425.
[35] Vol. 3 n. 426.
[36] Supra n. 304.
[37] S. THOM. 3 p. q. 87 a. 3. Supra n. 305 *not. 61.*

nialia [38], quando virtute sacramenti infunditur gratia sanctificans diluuntur etiam *quædam venialia* [39] antea non sufficienter detestata. *b*) Quia vero absolutio sacerdotis tendit, juxta dispositionem suscipientium, ad perfectam remissionem peccatorum, quæ subjiciuntur clavibus; « non est inconveniens si per frequentem confessionem tota *pœna tollatur* » [40]. Alius sacramenti effectus est *c*) *collatio auxiliorum* actualium et habitualium, quibus in futuro præcaveantur peccata, necnon *d*) *peculiare quoddam solatium;* « reconciliationem (enim peccatoris) interdum in hominibus piis, qui hoc sacramentum sancte et religiose percipiunt, maxima conscientiæ pax et tranquillitas cum summa spiritus jucunditate consequi solet » [41]. Quia vero, remoto obice, reviviscunt merita peccato mortificata, sacramento pœnitentiæ non solum obtinetur remissio peccatorum et gratia proportionata dispositionibus, quibus sacramentum suscipitur, sed *e*) acquiritur *gratia respondens omnibus meritis præcedentibus* [42], aliâ proportiatâ præsentibus dispositionibus auctâ [43].

393. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES.** Difficultates, quæ desumuntur ex irremissibilitate quorumdam peccatorum, maxime peccati *ad mortem* et *contra Spiritum S.*, alias solvimus [44], quoad ceteras, quæ solent opponi ex *non usu* clavium, negandum est suppositum. Revera quod TERTUL. incuset Callixtum de mutatione disciplinæ [45], est calumnia apostatæ, qui ante defectionem pro amplitudine clavium scripserat [46]: INNOC. I [47] non dicit « priorem consuetudinem » fuisse non *absolvendi* eos qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus sunt dediti, sed non

---

[38] Supra n. 303.

[39] Non quilibet actus virtutis continet implicitam detestationem omnium peccatorum venialium, nam « quamvis sit fervor caritatis quantum ad aliqua, potest tamen esse tepiditas quantum ad alia; et sic non quilibet fervor opponitur culibet veniali ». S. THOM. *IV Dist.* 16 q. 2 a. 1 sol. 1 ad 2.

[40] S. THOM. *IV Dist.* 18 q. 1 a. 3 sol. 2 ad 4.

[41] CATECH. ROM. p. 2 c. 5 n. 18; CONC. TRID. sess. 14 cp. 3.

[42] Opera bona elicita in statu peccati ad rationem meriti de condigno non perveniunt; et ideo, cum *non sint*, nec reviviscere possunt.

[43] Non omnes conveniunt circa modum reviviscentiæ; sed in tract. *De merito* n. 517, ex ipsa natura meriti, quod peccato non destruitur sed frustratur connaturali effectu, diximus meritorum reviviscentiam esse *perfectam* scil. quoad gratiam et quoad gloriam.

[44] Vol. 3. n. 395 sqq.; supra n. 333.

[45] TERTUL. *De Pudic.* c. 5-6; 9.

[46] PIGNAT. p. 116-7.

[47] INNOC. I Epist. 6 *ad Exup.* c. 2.

fuisse consuetudinem *tradendi* eis *Eucharistiam,* quam tamen praxim, uti *duriorem,* revocat [48]: episc. VIEN. et NARB. vere *negarunt absolutionem* iis, qui *studiose* distulerant pœnitentiam usque ad mortem, quod etiam alii fecerunt cum capitis damnatis; sed illi reprobati sunt a CŒLEST. I, hi a pluribus Concil. [49]: *excommunicatis* in articulo mortis est aliquando negata absolutio liturgica, sed non sacramentalis [50]: *clericis* non imponebatur pœnitentia publica, sed dabatur sacramentalis [51]: *relapsi* in Ecclesia occidentali ad secundam pœnitentiam publicam non admittebantur, sed non auferebatur ab eis spes veniæ per claves Ecclesiæ, siquidem saltem in articulo mortis absolvebantur [52].

ART. 9 - DE MINISTRO PŒNITENTIÆ.

394. **Potestas ordinis et jurisdictionis.** Duplex potestas requiritur in ministro sacramenti pœnitentiæ: *ordinis* et *jurisdictionis;* illa acquiritur sacra ordinatione, hæc legitima missione: prima definitur *potestas conficiendi corpus Christi eucharisticum et sanctificandi corpus Christi mysticum per media gratiæ,* altera *potestas regendi fideles subditos in iis quæ pertinent ad finem supernaturalem.* In sua amplitudine jurisdictio includit potestatem legiferam, judicialem et coactivam, atque exercetur in foro externo vel interno, prout directe et primario respicit publicam utilitatem Ecclesiæ vel bonum privatum uniuscujusque fidelis; in præsenti tamen sumitur de *potestate ferendi sacramentale judicium in aliquem tamquam in subditum;* prout vero subditus ei constituitur ratione proprii officii (episcopi vel parochi), vel ratione particularis aut generalis deputationis, jurisdictio dicitur *ordinaria* vel *delegata.*

395. **Casuum reservatio.** Potestas ordinis limites non agnoscit, quia Christus Spiritum S. sacerdotibus contulit ut remitterent *quæcumque* peccata; sed potestas jurisdictionis, pendens a determinatione subditorum, potest limitari ab episcopo et maxime a R. P. cui omnes Christi oves sunt concreditæ [1]. Coarctatio potestatis absolvendi ex subditorum subtractione fit reservatione casuum, quæ definitur: *limitatio potestatis jurisdictionis, in foro pœnitentiæ.* Porro superior personam subtrahere potest a jurisdictione confessarii, tum *absolute* (v. g. excommunicatione), tum *respective* quoad particularem causam (cum scil. aliquod peccatum sibi reservat) [2].

---

48 PIGNAT. p. 121-2.
49 PESCH n. 49 et 57.
50 Supra n. 397.
51 Supra n. 370 *not. 50.*
52 PESCH n. 52; PIGNAT. p. 131 sqq.
1 Joan. **21.** 15-7.
2 De iis, qui valent peccata reservare, agit theologia moralis.

396. **Errores – Veritas.** *Excessu* erraverunt WALDENSES, ALBIGENSES, etc. requirentes in sacerdote pro valore sacramenti statum gratiæ; *defectu* PROTESTANTES necessitatem ordinis impugnantes, et JANSENISTÆ potestatem jurisdictionis non agnoscentes [3]. — **Veritas** prostat in CONC. TRID.: « S. q. d. sacerdotes, qui in *peccato mortali* sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non *solos sacerdotes* esse ministros absolutionis...; a. s. » [4]. Et iterum: « Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum esse Synodus hæc confirmat nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, *in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem* » [5].

THES. 63. *In ministro pœnitentiæ ad valorem sacramenti requiritur* — 1 *potestas ordinis sacerdotalis et* — 2 *jurisdictio;* — 3 *ad licitam vero administrationem status gratiæ.*

397. **Prima pars.** *Soli sacerdotes sunt pœnitentiæ ministri.* Nam in **Scripturis** Christus tribuens potestatem absolvendi, non turbas sed Apostolos alloquitur [6]: ad eos vero sermonem dirigi, prout a fidelium turma distinguebantur, non modo suadet universalis regula de ministeriali potestate in sacramentis [7], atque docet Patrum sententia; verum exigit contextus, siquidem agitur de potestate, quæ per modum judicii est exercenda [8], societatis autem judices non sunt omnes cives, sed eorum præsules. — **Patres** peccatoribus præcipiunt « *presbyteris* advolvi et adgeniculari » [9], « *sacerdoti Domini* indicare peccata » [10], siquidem « remissio facta *per sacerdotes* apud Deum est grata » [11]. « Peccata, inquit BASIL., iis confiteri necesse est quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est » [12]. CHRYS. ex potestate remittendi peccata *sacerdotes* supra reges extollit [13]. AMBR. ait « officium esse *sacerdotis* remittere aut retinere peccata » [14] et

---

3 Supra n. 297.
4 CONC. TRID. sess. 14 cn. 10.
5 CONC. TRID. *l. c.* cp. 4; Condem. *Syn. Pist.* pr. 37.
6 Matth. **16** et **18**; Joan. **20**.
7 Supra n. 72.
8 Supra n. 352.
9 TERTUL. *De Pœn.* c. 9.
10 ORIG. in *Lev.* hom. 2 n. 4.
11 CYPR. *De Laps.* c. 29.
12 BASIL. *Reg. brev.* int. 288.
13 CHRYS. *De Sacerd.* III n. 5.
14 AMBR. *De Pœn.* I c. 11 n. 8.

AUG. docet « ad antistites, per quos in Ecclesia claves administrantur », esse recurrendum [15].

398. **Secunda pars.** *Ad valorem sacramenti requiritur etiam jurisdictio.* Nam Christus sacerdotes constituit *judices* in causa peccatorum: atqui judex sententiam ferre non potest nisi in *subditos,* qui tales constituuntur jurisdictione: ergo. « Oportet, inquit S. THOM., quod ille, qui dispensator hujus sacramenti constituitur, sit talis qui possit imperare aliquid agendum. Imperium autem non competit alicui in alium, nisi ei qui habet super eum jurisdictionem... Et ideo sicut ille, qui non est sacerdos, non potest hoc sacramentum conferre, ita nec ille, qui non habet jurisdictionem » [16]. **Traditio** constat ex casuum reservatione, de cujus antiquo usu testatur CONC. TRID. [17], atque ex expressis verbis conciliorum, quæ loquuntur de confessione peragenda apud *proprium pastorem,* apud illum *cui sunt subditi* [18].

399. **Tertia pars.** *Ad licitam administrationem pœnitentiæ requiritur in confessario status gratiæ.* Nam, ut vidimus in tr. de *Sacr. in Genere,* status gratiæ semper requiritur in ministro *ordinario* sacramenti [19]: atqui minister pœnitentiæ semper est ordinarius, quia ex officio vel delegatione (h. e. jurisdictione) ad munus excipiendi confessiones deputatur: ergo. Licet autem post peccatum præstet sacerdotem confiteri; ut sancte exerceat munus confessarii sufficit quod contritionem perfectam præmittat, *probatio* enim, quæ fit per confessionem, de necessitate præcipitur tantum pro confectione et susceptione Ss. Eucharistiæ.

400. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Patres docent in casu necessitatis confitendum esse diaconis [20]: ergo. **Resp.** Non loquuntur de confessione sacramentali, sed de publica vel de ea quæ fiat ad exercitium humilitatis. Hinc ODO episc. Paris.: « Prohibemus, districte ne diaconi

---

[15] AUG. *Serm.* 351 c. 4 n. 9; *Serm.* 392 c. 3 n. 3. Similia habent LEO M. *Epist.* 108 c. 2; GREG. M. in *Evang.* hom. 26 n. 4-5; CONC. CABIL. I a. 650; REMENS. a. 813; TURON. III a. 813, etc.

[16] S. THOM. *Suppl.* q. 8 a. 4.

[17] CONC. TRID. sess. 14 cp. 7.

[18] CONC. REMENS. a. 630 cn. 8: LEOD. a. 710 cn. 3; TICIN. a. 855; LATER. IV cp. 21.

[19] Supra n. 77.

[20] CYPR. epist. 12 *ad cler.* n. 1; CONC. ELIBER. a. 313 cn. 32; LOND. a. 1200. cp. 3; DECRET. V tit. 18. S. THOM. *Suppl.* q. 8 a. 2.

ullo modo audiant confessiones, *nisi in arctissima necessitate: claves enim* non habet, NEC POSSUNT ABSOLVERE »[21].

401. **Objic. 2.** Sacerdotes in sacra ordinatione accipiunt potestatem remittendi peccata: ergo inutilis est jurisdictio. **Resp.** Accipiunt quidem potestatem, sed exercendam *in subditos,* ideoque non expeditam ante subditorum designationem. « Nullus, inquit S. THOM., potest absolvere nisi eum qui est aliquo modo sibi subditus, quia actus fiunt in propria materia, et absolutio sacramentalis habet judicium annexum; et hoc judicium non est nisi in subditos et inferiores »[22].

402. **Objic. 3.** Si pro absolutione requireretur jurisdictio, inferior superiorem absolvere non posset. **Resp.** Jurisdictio *confertur* in foro externo, sed sacramentaliter *exercetur* in foro interno: hinc R. P., qua Papa, tribuit confessario jurisdictionem exercendam in se non tamquam in Summum Pontificem, sed uti in fidelem, qui Christi legibus subjicitur[23].

APPENDIX.

DE INDULGENTIIS.

403. **Quid indulgentia.** Definiri solet: *remissio pœnæ temporalis facta ab Ecclesia extra sacramentum de thesauro meritorum Christi et Sanctorum.* Est *remissio pœnæ,* quia indulgentia, si *per se*[1] non ordinatur, ad remissionem *culpæ*[2], coarctari tamen nequit[3] ad solam remissionem pœnæ *canonicæ*[4]: est remissio pœnæ *tempo-*

---

21 ODO *Synod. Paris.* n. 56.

22 S. THOM. *Quodl.* XII q. 19 a. 1.

23 S. THOM. *Suppl.* q. 20 a. 3: ad 3.

1 *Per accidens,* prout intuitu boni operis et meritorum Ecclesiæ Deus dat gratiam contritionis, indulgentia cooperari potest ad remissionem venialium n. 97.

2 Cum indulgentiæ conceduntur pro *remissione peccatorum,* peccatum metonimice sumitur de pœna ei debita. Hinc *absolutio,* quæ indulgentiis fiat *a culpa et a pœna,* reprobatur a CLEM. V *Decr.* V. t. 9 c. 2.

3 Dicimus *coarctari nequit;* nil enim vetat ut, cum BILLOT p. 221 sqq., juxta *etymologiam* et plurium indulgentiarum *formulas* dicamus indulgentiam *per prius* respicere remissionem pœnæ canonicæ, quam tamen consequitur relaxatio pœnarum temporalium eisdem respondentium.

4 Profecto indulgentiæ *a*) conferuntur etiam iis quibus canonicæ pœnæ non sunt impositæ, *b*) applicantur animabus purgatorii, *c*) non relaxant pœnas impositas ab Ecclesia, et *d*) multo minus eas quæ in sacramento pœnitentiæ sunt injunctæ a confessario. Cf. PESCH n. 473.

ralis, quia æterna semper remittitur cum culpa: est remissio *facta ab Ecclesia*, h. e. a suprema auctoritate (scil. a R. P. et a Prælato, cui legitime concessum est), quia indulgentia stricte accepta est actus potestatis judicialis, omnino distinctus a relaxatione pœnæ quæ alterius satisfactione obtineatur a Deo [5]: est remissio facta *extra sacramentum*, quia etiam in sacramento ex opere operato simul cum culpa remittitur pœna æterna et aliqua temporalis [6]: *facta de thesauro meritorum Christi et sanctorum*, [7] quia remissio per indulgentiam non est gratuita condonatio pœnæ, sed satisfactio quæ perficitur applicatione meritorum qui sunt in thesauro Ecclesiæ [8].

404. **Indulgentiarum divisiones.** Præcipuæ divisiones indulgentiarum, sumuntur ex *quantitate* remissionis et ex *subjecto*. Primo modo indulgentia est *partialis* et *plenaria;* altero *pro vivis* et *pro defunctis*. Indulgentia *partialis* ordinarie effertur formulis pœnitentiæ canonicæ, unde ipsâ relaxatur tanta pœna temporalis, quanta solveretur implemento pœnæ canonicæ ejusdem mensuræ. Quia vero efficacia pœnæ canonicæ maxime pendent a dispositionibus pœnitentium, videtur quod fructus indulgentiæ partialis commensuretur fervori acquirentium [9]. Indulgentia *plenaria*, cum non est obex, scil. nullus, utut levis, affectus peccaminosus, *plenarie* acquiritur, et exsolvit omne debitum pœnæ; cum vero est aliquis obex venialis peccati, non acquiritur plenarie, siquidem manente affectu peccaminoso manet culpa, et manente culpa, manet pœna ei debita; valet tamen ad plenam remissionem pœnæ peccatorum de quibus est dolor [10].

---

[5] Quisque potest pro alio satisfacere (S. THOM. *IV Dist.* 20 q. 1 a. 2 sol. 3); sed hujusmodi privata applicatio propriæ satisfactionis non est indulgentia.

[6] Supra n. 392.

[7] Nomen *thesauri* derivatur a SCRIPTURIS (1 Corinth. **6**. 20; **7**. 23; 2ª **8**, 9; Col. **1**. 27; 1 Petr. **1**. 18-9), innuitur a CHRYS. serm. *De SS. Invent. et Max.*, proponitur ab antiquis scholasticis A. HALENS. *IV Dist.* q. 23 m. 3 n. 7; ALB. M. *IV Dist.* 20 a. 16, BELLAR. *De indul.* a. 1 c. 2 etc., et firmatur usu RR. PP. CLEM. VI Extrav. *Unig.;* PII IV *Decret.* III c. 14; LEONIS X *cond. pr. 17 Luth.;* PII VI *cond. pr. 41 Syn. Pist.;* PII IX *All.* 11 Apr. 1869, etc. Cf. *Hergenr.* IV p. 447; *Pesch* n. 485-6; *Tepe* 672 sqq.

[8] « Ille qui indulgentiam suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo a debito pœnæ, sed datur ei unde debitum solvat ». S. THOM. *Suppl.* a. 1 ad 2.

[9] PESCH n. 470; BALLER.-PALM. *Opus Morale* V De indul. 19. 3°.

[10] Cum raro contingat humanum cor ab omni inordinato affectu liberari, si indulgentia plenaria solum *plenarie* valeret, vix umquam acquireretur, unde ei præstarent indulgentiæ partiales. Sic ergo exponenda est mens Ecclesiæ, quod ipsa absolvat ab omnibus pœnis quæ *possunt remitti*. PESCH n. 483. — BERINGER tamen (*Les Indulgences* Paris 1890 I p. 65) æstimat frequenter Communione obtineri remissionem omnium venialium, et sic indulgentiam absolute plenariam facile acquiri.

— Indulgentia *pro vivis* specialem difficultatem non habet; hi enim subsunt potestati clavium Ecclesiæ, quæ judicialiter potest eos solvere a vinculis pœnarum, eis auctoritative applicando sua bona. At defuncti non subsunt potestati judiciali Ecclesiæ, siquidem mors vincula hujus vitæ solvit; eis ergo indulgentiæ prosunt tantum *ad modum suffragii.* Sicut nempe ex sanctorum communione quilibet potest suas satisfactiones Deo offerre pro alio; ita Ecclesia, quæ eadem communione conjungitur cœlitibus et animabus purgatorii, potest satisfactiones sui thesauri Deo offerre pro defunctis. — Ex hoc applicationis modo quidam concludunt indulgentias pro defunctis non semper prodesse in *mensura* qua conceduntur, nec semper applicari *eis* pro quibus acquiruntur [11], nam, dicunt, suffragium pendet ab acceptatione Dei, qui non tenetur semper exaudire preces Ecclesiæ [12]. Verum hoc non consonat sensui fidelium, nec formulis *absolutis* quibus ad Ecclesia indulgentiæ conceduntur [13]; unde dicendum est quod semper prosunt juxta suscipientium dispositiones, quæ quidem dispositiones considerandæ videntur secundum prædicta de applicatione Missæ [14].

405. **Indulgentiarum conditiones.** Præter operis impositi [15] perfectam [16] executionem, requiruntur ad indulgentiæ valorem nonnullæ conditiones ex parte *concedentis* et ex parte *acquirentis,* siquidem in nulla societate bene ordinata bona communia pro lubito vel indignis possunt conferri. Hinc S. Thom.: « Indulgentiæ simpliciter valent quantum prædicantur; dummodo ex parte dantis sit *auctoritas,* et ex parte recipientis *caritas,*

---

[11] Cajet. et Lehmkuhl apud *Pesch* n. 479.

[12] Supra n. 97.

[13] « Omnes tam vivos quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, *a tanta temporali pœna...* liberari, *quanta* concessæ et acquisitæ indulgentiæ æquivalet ». Leo X ad *Card. Cajet.;* S. Thom. *Suppl.* q. 25 a. 2. — Extat tamen de indulgentia *altaris privilegiati* hoc decretum S. Congr. 24 Jul. 1840: « Per indulgentiam altaris privilegiati, si spectetur mens *concedentis* et usus *clavium potestatis,* intelligendam esse indulgentiam plenariam quæ animam liberat ab omnibus purgatorii pœnis. Si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam cujus mensura divinæ misericordiæ *beneplacito* et et *acceptationi* respondet ».

[14] Cf. supra n. 290.

[15] Pro acquisitione indulgentiæ generatim imponitur aliquod *opus,* v. g. oratio, eleemosyna, jejunium, etc.: hoc non tamen non est necessarium; sicuti enim in societate civili bona communia retribuuntur etiam præcedentibus benefactis, ita « indulgentia concedi potest pro meritis præteritis, ut alii excitentur ad similiter bene merendum de re publica christiana ». Pesch n. 482.

[16] Nam agitur de actu judiciali, qui *sententia* regulatur; si ergo quis proprio marte opus mutaret, indulgentiam non acquireret, etiamsi opus assumptum majoris esset meriti coram Deo.

et ex parte causæ *pietas,* quæ comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem »[17]. — De AUCTORITATE DANTIS nulla difficultas, nam bona socialia distribuuntur a præsulibus; unde dare indulgentias est R. P. primario et absolute pro tota Ecclesia, Episcoporum vero secundario pro suis diœcesibus et in mensura qua a R. P. concessum est[18]. — Quod attinet ad CARITATEM RECIPIENTIS distingue inter indulgentias pro vivis et pro defunctis. Ad acquirendam indulgentiam *pro vivis* requiritur status gratiæ *a*) quia *non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus*[19], unde justorum satisfactiones peccatoribus non sunt applicandæ; *b*) quia indignum est solvi minora debita, manentibus majoribus; et *c*) quia opus indulgentiatum in gratia fieri debet ut saltem radicaliter sit satisfactorium[20]. Si agitur de indulgentiis *pro defunctis* disputant auctores an status gratiæ sit necessarius in acquirente. Nobis videtur distinguendum inter indulgentias quæ proveniunt animabus purgatorii *ex quasi opere operato,* uti v. g. indulgentia altaris privilegiati, et indulgentias quæ eis proveniunt *ex operibus acquirentium,* uti sunt indulgentiæ concessæ Ss. Communioni et quibusdam precibus; cum enim indulgentia supponat *opus bonum,* seu acceptum coram Deo, opus peccatoris non videtur implere conditionem requisitam quo concessione indulgentiarum: et ideo, non ex defectu *subjecti,* ut quidam opinantur[21], sed ex defectu *operis* æstimamus non valere indulgentias pro defunctis, cum in peccato eliciuntur opera indulgentiata[22]. — Requiri CAUSAM RATIONABILEM[23] seu *justam et piam*[24], manifestum est, siquidem Ecclesia de thesauro satisfactionum Christi et Sanctorum non habet *dispoticum imperium* sed *administrationem,* quæ pro valore actus requirit causam justam et proportionatam[25]. Porro causæ sufficientia non debet ponderari ex sola

---

[17] S. THOM. *Suppl.* q. 25 a. 2.

[18] Qinam sint in particulari qui indulgentias possint concedere, et quo limite, docet jus canonicum.

[19] Matth. **15**. 26.

[20] « Æqualitas in satisfactione non est secundum æquivalentiam, sed magis secundum acceptationem ipsius (Dei). Et ideo oportet quod etiam, si jam offensa sit dimissa per præcedentem contritionem, opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat eis caritas. Et ideo sine caritate opera facta non sunt satisfactoria ». S. THOM. *Suppl.* q. 14 a. 2.

[21] TEPE n. 687 putat indulgentias pro defunctis immediate concedi *vivis,* qui defunctis dein cedunt; sed communissime tenetur ab Ecclesia per modum suffragii immediate applicari animabus purgatorii.

[22] S. THOM. *IV Dist.* 45 q. 2 a. 3 sol. 2 distinctionem sumit ex *verbis concessionis.*

[23] CLEM. VI *Extrav. com.* V tit. 9 c. 2.

[24] MART. V. Bulla *Inter cunctas.* — **NB.** Causa *pia,* ut audivimus a S. THOMA « comprehendit *honorem* Dei et proximi *utilitatem* ».

[25] « Ad hoc quod indulgentiæ valeant requiritur causa conveniens indulgentiam concedendi ». S. THOM. *IV Dist.* 45 q. 2 a. 3 sol. 2.

magnitudine operis impositi, siquidem agitur de gratuita condonatione [26], sed maxime ex *fine,* quo modo assistentia ad fores basilicarum, cum R. P. benedicit, fit gravis prout ordinatur ad publicam professionem fidei de primatu R. P. [27].

406. **Quæ indulgentiarum utilitas.** Indulgentiæ magnae sunt utilitatis. *Primo,* quia, dum solvunt debitum pœnæ, purgatorii dolores extinguunt vel imminuunt: *secundo,* quia in indulgentiis pro defunctis magnus caritatis actus exercetur, siquidem ad aliorum pœnas sublevandas, propria spernitur [28]: *tertio,* quia « indulgentiis illustrantur et inculcantur varia doctrinæ catholicæ capita, ut de justitia et misericordia Dei, de necessitate satisfactionis pro peccatis, de Communione sanctorum, de potestate Ecclesiæ, de Purgatorio: *(quarto,* quia) indulgentiis promoventur studium virtutum, cordis contritio, opera misericordiæ et pietatis, studium orationis, usus isque diligens sacramentorum, cultus Christi et sanctorum » [29]. Hinc S. Ignatius scribebat: « Dei amorem et cœlum quærentibus indulgentiæ sunt ingens thesaurus et gemmæ pretiosæ », *Voltaire,* autem dixisse fertur de Jubileo 1775: « Encore un Jubilé pareil et c'en est fait de la philosophie » [30]. — Cave tamen ne ex utilitate indulgentiarum quidquam detrahas exercitio pœnitentiæ [31]; finis enim operum pœnitentialium non est sola remissio pœnarum temporalium, sed maxime concupiscentiæ refrenatio [32] et acquisitio meritorum; « quamvis (autem) indulgentiæ multum valeant ad remissionem pœnæ, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu præmii essentialis; quod in infinitum melius est quam dimissio pœnæ temporalis » [33]. Ex hoc autem, quod meritum æternæ vitæ in infinitum excedit diminutionem pœnæ temporalis, intelliges excellentiam actus heroicæ caritatis, a RR. PP. approbati et privilegiis ditati, quo omnes indulgentiæ simul cum universo

---

[26] Hinc S. Thom. *Suppl.* q. 25 a. 2 negat necessitatem *proportionis* in causis indulgentiarum.

[27] Bellar. *De Indul.* I c. 12. — **NB.** Examen sufficientiæ causæ pertinet ad dantem, nullumque dubium admitti potest de indulgentiis concessis a RR. PP.

[28] Profecto qui indulgentiam acquirit pro animabus purgatorii a debito pœnæ propriæ non exsolvitur.

[29] Pesch n. 505.

[30] Apud *Pesch* l. c.

[31] Licet olim plures opinaverint indulgentiis (maxime plenariis) indirecte relaxari satisfactiones impositas a confessario, merito nunc negatur. Pesch n. 473.

[32] S. Thom. *IV Dist.* 20 q. 1 a. 2 sol. 3.

[33] S. Thom. *Suppl.* q. 24 a. 2 ad 2.

fructu satisfactionum applicantur animabus Purgatorii ; commutatur enim *bonum temporale* cum *æterno gloriæ pondere.*

407. **Errores — Veritas.** *Potestatem Ecclesiæ* concedendi indulgentias *implicite* negarunt MONTANISTÆ et NOVATIANI limites ponentes auctoritati Ecclesiæ in causis peccatorum, *explicite* WALDENSES, WICLEFFITÆ, HUSSITÆ et REFORMATORES [34] : *naturam indulgentiarum* corrupit BAJUS concipiendo uti præparationem ad remissionem culpæ [35], eumque secuta est SYNOD. PIST. quæ thesaurum Ecclesiæ impugnavit, indulgentias pro defunctis non agnovit, et fructum coarctavit ad relaxationem pœnitentiæ canonicæ impositæ ab Ecclesia [36] : *excellentiam indulgentiarum* impugnavit MICHAËL DE MOLINOS eorum acquisitionem tribuens « amori nostri interessato » [37]. — **Veritas** definita est in CONC. TRID. : « Sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo *maxime salutarem* et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut *inutiles* esse asserunt vel eas concedendi *in Ecclesia potestatem* esse negant » [38].

THES. 64 — 1 *Est in Ecclesia satisfactionum Christi et Sanctorum infinitus thesaurus,* — 2 *quem ipsa potest per indulgentias applicare fidelibus vivis atque defunctis.*

408. **Prima pars.** *Est in Ecclesia infinitus thesaurus satisfactionum Christi et Sanctorum.* Satisfactiones Christi esse infinitas ostendimus in tractatu de *Verbo incarnato* [39], pertinere vero ad thesaurum Ecclesiæ sequitur ex Apostolo docente quod Christus *tradidit semetipsum pro ea* [40] quae, facta *corpus ipsius et plenitudo ejus* [41], communicat in omnibus bonis capitis sui. Similiter dicendum est de satisfactionibus sanctorum ; siquidem in omni ordinata societate bona, quæ sine speciali destinatione a divitibus relinquuntur, in communem cedunt utilitatem. In Ecclesia, inquit S. THOM.,

---

[34] Apud *De August.* p. 313; *Hergenr.* V p. 190, 203.

[35] BAJUS prop. 60 damn. a *Pio V.*

[36] SYN. PIST. pr. 40-3 damn. a *Pio VI.*

[37] MICH. DE MOLINOS damn. ab *Inn. XI.*

[38] CONC. TRID. sess. 25 *Decr. de Indulg.* Cf. LEON. X *Exurge Dom.* contra Luther. et pr. damn. a PIO V et VI, atque ab INN. XI.

[39] Vol. 3 n. 168 et 173.

[40] Eph. **5.** 25 sqq.

[41] Eph. **1.** 23.

« multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum ; et multi etiam tribulationes injustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiari, si eis deberentur : quorum meritorum tanta est copia quod omnem pœnam debitam nunc viventibus excedunt... Dictum est autem supra [42] quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, hujusmodi opera fecerunt... sed communiter pro tota Ecclesia... Et sic prædicta merita sunt communia totius Ecclesiæ » [43], seu constituunt ejus *thesaurum* [44].

409. **Secunda pars.** *Ecclesia potest applicare vivis atque defunctis satisfactiones sui thesauri, seu indulgentias concedere.* **Ex Scripturis.** Nam Christus fecit Apostolos *ministros et dispensatores mysteriorum Dei* [45] : si itaque inter Ecclesiæ bona sunt satisfactiones Christi et Sanctorum, eas Apostoli eorumque successores sub dependentia R. P., capitis Ecclesiæ, applicare poterunt. Ceterum nonne Christus dedit Ecclesiæ potestatem solvendi *omnia* quæ impediunt vel retardant regnum cœlorum [46] ? Atqui reatus pœnæ obstat possessioni regni cœlorum : ergo ab Ecclesia potest relaxari ; hoc autem fit per indulgentias [47]. **Ex praxi Ecclesiæ.** Nam imprimis pro vera indulgentia haberi potest receptio incestuosi Corinthi, cui in persona Christi Apostolus partem pœnæ temporalis, quam imposuerat, condonavit [48] ; non enim credibile est illum solvisse a pœnitentia, manente reatu pœnæ [49]. Item indulgentia plenaria videtur absolutio quæ in primitiva Ecclesia dabatur in fine pœnitentiæ publicæ [50], quæque habebatur quasi novus baptismus [51] ; constare enim non poterat num poenitentiâ canonicâ adaequate satisfactum

---

[42] S. Thom. *Suppl.* q. 13 a. 2.

[43] S. Thom. *Suppl.* q. 25 a. 1.

[44] De origine hujus vocis vide n. 403 *not. 7.*

[45] 1 Corinth. **4**. 1.

[46] Matth. **16**. 19 ; **18**. 18.

[47] Ne dicas potestatem Ecclesiæ exerceri in *sacramento ;* nam pœnæ temporales manent etiam suscepto sacramento, remissio vero extrasacramentalis non repugnat, quippe unus potest pro alio satisfacere.

[48] 2 Corinth. **2**. 10.

[49] « *Primo* quia... Petro datum... est, ut quod in terra remitteret, in cœlo remitteretur... Et *præterea* (quia remissio solius pœnæ canonicæ) magis damnificaret quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores pœnas, scil. purgatorii ». S. Thom. *Suppl.* q. 25 a. 1.

[50] Supra n. 379.

[51] Const. Apost. II c. 41 ; Ambr. *De Pœnit.* II c. 10 n. 95.

esset pro peccatis commissis. Certius erat indulgentia condonatio pœnitentiæ canonicæ data intercessione martyrum, siquidem Patres condonationem legitimabant satisfactionibus ipsorum martyrum, qui tamen non per se, sed per episcopos absolvebant [52]. Accedunt CONCILIA quæ a sæc. IV. et deinceps concedunt episcopis ut, maxime in articulo mortis, aliquid de pœnis relaxent [53]. A sæc. VII incipiunt *redemptiones* seu commutationes pœnæ canonicæ in alia opera et præcipue in eleemosynam et peregrinationem romanam [54]. Sæc. XI promulgantur indulgentiæ expeditionis Terræ Sanctæ [55], nec desunt exempla indulgentiarum pro defunctis [56]. A sæc. XIII indulgentiæ fiunt frequentiores et saltem cum BONIF. VIII inducuntur indulgentiæ plenariæ in forma Jubilæi [57], quibus sub URB. V adduntur speciales facultates pro absolutione a censuris [58]. — **Ratio** confirmat, nam « ea, quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium ejus qui multitudini præest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfecisset, ita si satisfactio alterius sibi, per eum, qui potest, distribuatur » [59]. Atqui Ecclesiæ præest R. P. et sub ipso episcopi regunt fideles. Ergo hi possunt aliorum satisfactiones applicare, quod est indulgentias concedere.

410. **SOLVITUR DIFFICULTAS. Objic.** Scriptum est: *Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem* [60]: ergo indulgentia, qua, pœna non soluta, remittitur debitum, repugnat. **Resp.** « Remissio quæ per indulgentiam fit, non tollit quantitatem pœnæ ad culpam, quia pro culpa unius alius sponte pœnam sustinuit [61] ». Scil. Ecclesia meritis Christi et Sanctorum solvit debitum quod indulgentiâ remittit.

---

[52] TERTUL. *Ad Martyr.* c. 1; CYPR. *De Laps.* c. 18; *Epist.* 12 n. 1; 13 n. 2; 16 n. 2; 18 n. 17-8.

[53] Citari solent CONC. ANCYR. c. 2-3 a. 314; NICÆN. c. 2 a. 325; ARELAT. 1 cn. 12 a. 314; CARTAG. IV cn. 4 a. 398.

[54] Auctores disputant an *redemptiones* essent mere commutationes pœnæ canonicæ, vel partiales relaxationes pœnæ temporalis debitæ peccatis; si tamen attenditur a *sæc. 10* commutationes universaliter concedi, et *auctoritatem Ecclesiæ* invocari, altera sententia probabilior videtur, unde *redemptiones* haberi possunt pro initialibus quibusdam indulgentis. Cf. PESCH n. 500; SCUOLA CATT. *Sett.* 1910 p. 449-55.

[55] URB. II a. 1096; PASCH. II a. 1101; ALEX. III a. 1169; INNOC. III a. 1208.

[56] PASCH. I, JOAN. VIII, JOAN. IX apud *Pesch* n. 503.

[57] Probabilius BONIF. VIII non instituit, sed renovavit Jubilæum. Cf. PALMIERI p. 453-5; JUNGHMANN *Diss. Hist.* XXX n. 37.

[58] HERGENR. V p. 374.

[59] S. THOM. *Suppl.* q. 25 a. 1.

[60] Matth. 5. 26.

[61] S. THOM. *Suppl.* q. 25 a. 1 ad 1.

CAPUT II.

De Extrema Unctione.

411. **Historia dogmatis et divisio capitis.** Sacramentum extremæ unctionis, præfiguratum a miraculosis unctionibus in Evangelio relatis [1], et post resurrectionem a Christo institutum [2], ac promulgatum a Jacobo [3], ex sua ipsa conditione privatæ administrationis [4] pauca testimonia habet in primordiis Ecclesiæ. De ipso tamen loquuntur **sæc. 3** *Orig.* et *Sacram. Serapionis,* **sæc. 4** *Chrys.* et *Isaac.* Anth., **sæc. 5** *Inn. I.,* **sæc. 6** *Cæsar.* Arel., **sæc. 7** *Greg. M.,* quibus a **sæc. 9** accedunt *Conciliorum* decreta [5]. **Sæc. 11-4** SCHOLASTICI disputarunt de immediato auctore hujus sacramenti [6] deque ejus iterabilitate [7] et fructu [8], WALDENSES vero et ALBIGENSES rationem sacramenti impugnarunt [9]. Horum hæresis, **sæc. 15** probabiliter renovata a WICLEFFITIS et HUSSITIS [10], **sæc. 16** magno apparatu est proposita a Reformatorum coryphæis LUTH., CALV., KEMN., MELANCHTHON, etc. [11], qui a *Scholasticis* sunt impugnati et damnati in *Conc. Flor.* (a. 1439) et *Trid.* (a. 1551) [12]. Ut vero taceamus de quibusdam disputationibus quæ a **sæc. 17** inter SCHOLASTICOS exarserunt quoad

---

[1] Marc. **6**. 12-3. Quidam cum MALD. *(De Ext. Unct.* q. 1) testimonium intellexerunt de sacramento; sed melius cum CONC. TRID. dicitur apud Marcum sacramentum esse tantum *insinuatum,* siquidem tunc α) Apostoli nondum erant sacerdotes, β) unctionem dabant non baptizatis, et γ) conferebant ad salutem corporis potiusquam animarum. Vide infra n. 412 *not.* 4.

[2] De tempore institutionis nihil est certum; cum tamen extr. unct. sit sacramentum perfectionis, institutum videtur *post* resurrectionem J. C. Cf. n. 128.

[3] Jac. **5**. 14-5.

[4] Cf. supra n. 297 *not. 9.*

[5] Testimonia, infra dabimus.

[6] HUGO Vict., MAGIST. sent. et BONAV. institutum dixerunt a Jacobo ex instinctu Spiritus S., sed post CONC. TRID. omnino tenendum est a Christo immediate esse institutum.

[7] GOFFRIDUS Vendom. et IVO Chart. affirmabant, sed communius negabatur. *Hergenr.* IV p. 454.

[8] Quidam *(apud S. Thom.* Suppl. q. 30 a. 1) opinarunt extr. unct. ordinari principalius contra venialia, DURANDUS vero *IV Dist.* 23 q. 1 n. 7 dixit movere ad actus detestationis peccatorum.

[9] BELLARM. *De Extr. Unct.* c. 1.

[10] Cf. CONC. CONST. sess. 8 et 15.

[11] BELLARM. *De Extr. Unct.* c. 1.

[12] CONC. FLOR. *Decr. pro Arm.;* TRID. sess. 14 *De Ext. Unct.* cn. 1.

extremæ unctionis formam[13] et materiam proximam[14], ipsum sacramentum iterum aggressi sunt **nostris temporibus** PROTESTANTES[15] et MODERNISTÆ[16] impugnati a *J. Kern*[17] et damnati decr. *Lamentabili*[18]. — Ut ordinate quæ attinet ad hoc sacramentum explicemus, caput in tres articulos dividimus: 1 *De sacramenti existentia,* — 2 *de ejus essentia* — 3 *de ministro, subjecto et fructu.*

ART. 1 — DE EXTREMÆ UNCTIONIS SACRAMENTI EXISTENTIA

412. **Quid extrema unctio.** Pœnitentiæ complementum, quo homo proxime disponitur ad futuram gloriam, est *extrema unctio,* verum N. L. sacramentum a Christo Domino institutum et a B. Jacobo promulgatum. Ex materia aliquando vocatur *oleum sanctum* vel *oleum benedictionis;* ex materia simul et forma dicitur a græcis εὐχέλαιον seu *oleum cum oratione;* ex effectu *animæ corporisque medicina,* vel etiam *medicina sancta*[1]. — FIGURAS, ut notat S. THOM.[2], non habuit in V. T., quia non secus a confirmatione est sacramentum ultimæ perfectionis, *nihil* vero *ad perfectum adduxit Lex*[3]; in N. autem T. est adumbratum cum Apostoli *ungebant oleo multos ægros et sanabant*[4]. — Potest DEFINIRI: *Sacramentum a C. D. institutum, quo fideli graviter ægrotanti per olei benedicti unc-*

---

13 An scil. forma absoluta seu *indicativa* valeret, vel *deprecativa*: essentialiter requireretur.

14 Disputabant de necessitate benedictionis episcopalis, et de numero unctionum.

15 F. W. PULLER *The Anointing of the sick in Scripture, and Tradition.* London 1904.

16 LOISY *L'Evang. et Egl.* p. 201 institutionem hujus sacramenti tribuit sæc. 12.

17 J. KERN *De sacram. extr. unct.* Ralisb. 1907.

18 DECR. *Lament.* pr. 48. Vide n. 413 *not.* 7.

1 DE AUGUST. II p. 344.

2 S. THOM. 1-2 q. 102 a. 5 ad 2.

3 Hebr. **7**. 19.

4 Marc. **6**. 13. Unctionem hujusmodi fuisse aliquod *signum,* manifestum est; non enim habere poterat in se virtutem sanandi. Si vero quæris cujus rei erat signum, respondet KNAB. in *Marc.* p. 162-3, fuisse « symbolum quoddam virtutis illius (unctionis) a Christo, qui Unctus vocatur, communicatæ et ægris applicatæ ». Quia vero salus corporis ordinatur ad salutem animæ, unctio, quæ erat signum symbolicum applicationis virtutis Christi ad salutem corporis, præfigurabat aliam unctionem qua virtus Christi practice applicanda erat ad salutem animæ. « Quemadmodum itaque ritus lotionis vel baptismi et impositionis manuum postmodum a Christo ad dignitatem sacramentalem sunt assumpti et evecti; ita quoque unctio olei sacramentalis præfigurata est in hac unctione, quæ recte vocari potest adumbratio quædam sacramenti ».

tionem et sacerdotis orationem remittuntur reliquiæ peccatorum et salus corporis impetratur; ubi prima verba sacramenti *subjectum* exprimunt, sequentia *materiam, formam* et *ministrum* signant, ultima vero *fructum* efferunt.

413. **Errores — Veritas.** Extremæ unctionis sacramentum negavere WALDENSES, ALBIGENSES, WICLEFFITÆ, quos secuti sunt REFORMATORES cum *Calvino* irridentes hoc sacramentum, quasi *histrionicam hypocrisim* [5]. Accedunt MODERNISTÆ negantes in testimonio Jacobi agi de sacramento, atque ejus institutionem amandantes ad sæc. XII, cum de numero septenario sacramentorum cogitatum est [6]. - **Veritas** definita est in CONC. TRID.: « S. q. d., extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; a. s. » [7].

THES. 65. *Extremæ unctionis sacramenti existentia — 1 vindicatur ex Jacobo* **5.** 14-5, *— 2 demonstratur Traditione, atque — 3 suadetur ratione.*

414. **Prima pars.** *Extrema unctio promulgatur a beato Jacobo.* **Testimon.**: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei* [8]. **Argum.** In hoc testimonio est sermo de *a)* signo symbolico et sacro, *b)* pratico seu causativo *c)* gratiæ: atqui signum symbolicum et practicum gratiæ est sacramentum: ergo. MINOR demonstratione non eget [9]; licet enim de ratione sacramenti N. L. sit etiam institutio Christi, de hac ambigi nequit cum agitur de

---

[5] CALVIN. *Inst.* IV c. 19 § 18.

[6] Supra n. 411.

[7] CONC. TRID. *De Ext. Unct.* cn. 1. DECRET. *Lament.* proscribitur p. 48: « Jacobus in sua ep. (**5.** 14-5) non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem, et si in hoc more forte cernit medium aliquod gratiæ, id non accepit eo rigore, quo acceperunt theologi qui notionem et numerum sacramentorum statuerunt ».

[8] Jac. **5.** 14-5. — **NB.** Post definitionem CONC. TRID. et DECR. *Lament.* si de *modo argumentandi* adhuc licet disputare, de *ipso tamen objecto* (h. e. esse sermonem de extrema unctione), nullatenus in dubium potest vocari.

[9] Respondet ad verbum definitioni sacramentorum. Cf. n. 3 sqq.

signo practico gratiæ; solus quippe gratiæ auctor eam potuit sensibilibus signis adnectere [10]. MAJOR *probatur per partes.* — *a)* Est sermo de SIGNO SYMBOLICO. Nam apostolus ad obtinendam salutem animæ et corporis præcipit ut infirmus graviter decumbens [11] ungatur *oleo:* atqui oleum nullam physicam virtutem habet ad effectum prædictum; ergo ejus efficacia ordini intentionali seu simbolicæ rationi debetur. Esse autem symbolum SACRUM, patet ex *forma* adhibenda quæ est oratio fidei, ex *ministro* qui est sacerdos, ex *effectu* qui est remissio peccatorum et corroboratio infirmi in ordine ad vitam æternam. — *b)* Est sermo de SIGNO PRACTICO seu causativo; nam testimonium non potest exponi de signo *speculativo,* neque de simplici *invocatione.* Intelligi nequit de signo *speculativo,* quia unctio non ordinatur ad significandam salutem, quæ abest, sed ad eam consequendam; non potest explicari de simplici *invocatione,* quia promissio est absoluta et infallibiliter consequenda « oratio fidei *salvabit,* Dominus *alleviabit, remittentur* ei ». Adde nexum inter signum et rem regnificatam in testimonio exprimi part *et,* quæ nexum causalitatis indicat. [12] — *c)* Est sermo de SIGNO GRATIÆ. α) *Ex verbis.* Nam, etsi verbum σώζειν (*salvare)* intelligatur etiam de miraculosa sanatione corporis [13], tamen cum de salute absoluta et perenni agitur, constanter sumitur sensu spirituali [14], quo in tota epistola utitur Jacobus [15]: atqui verba sunt sumenda in sensu auctoris [16], et insuper in textu salus absolute et perenniter repromitti-

---

[10] Supra n. 62-3. Ceterum Christi institutio sufficienter indicatur verbis *in nomine Domini,* quæ dicunt sacram unctionem *nomine et auctoritate Dei* esse administrandam. Nec obstat Christum præcepisse etiam *lotionem pedum* (Joan. **13**. 14), quæ non est sacramentum; « cadit enim præceptum Domini non adeo in *signum,* lotionem pedum, quam in *rem significatam,* obsequia scil. caritatis et humilitatis proximis exhibenda » (KNAB. in *Joan.* p. 406); unde praxis Ecclesiæ, quæ Scripturæ sensum explicat, extremam unctionem semper et ubique dedit infirmis, lotionem vero pedum nec semper neque ubique peregit.

[11] « Vox ἀσθενεῖν ubicumque in Scriptura occurrit, si omittimus sensum translatum et spiritualem, semper fere significat gravem morbum » (Marc. **6**. 56; Luc. **7**. 2. 10; Joan. **4**. 46; **11**. 1 sqq.; Act. **9**. 37; Phil. **2**. 26). PESCH n. 513.

[12] Supra n. 27.

[13] Matth. **8**. 25; **9**. 21 sqq.; etc.

[14] Matth. **10**. 22: **16**. 24; **24**. 13; Marc. **16**. 16; Luc. **9**. 24; Joan. **10**. 9; etc.

[15] Jac. **1**. 21; **2**. 14; **4**. 12; **5**. 20.

[16] CORNELY *Comp. Intr. in Sacr. Script.* Diss. III § 5 n. 2 et 4.

tur; ergo verbum σώσει *(salvabit)* in nostro testimonio principalius [17] debet explicari de salute animæ, seu de ordine gratiæ. Etiam verbum ἐγερεῖ *(alleviabit)* esse intelligendum de ordine gratiæ manifestum est, siquidem in Scripturis excitatio a somno spiritali hoc verbo exprimi solet [18], et alii sensus excitationis a somno corporali [19], a paralisi [20], et a morte [21], locum habere nequeunt, quia medium infallibile ad hæc consequenda non datur. Tertium quoque verbum esse exponendum de gratia, explicatione non indiget; effert enim remissionem peccatorum [22] quæ gratiâ tantum potest obtineri [23]. β) Ex appositione *in nomine Domini*. Nam hæc verba sonant *jussu et auctoritate Christi* [24]; Christus autem, qui venit ut mundus salvetur per ipsum, non instituit signa efficacia bonorum temporalium, sed causativa gratiæ. γ) *Ex ministris*. Nam infirmorum unctio committitur sacerdotibus: his autem non reservatur gratia curationum quæ, gratis data, independens est a quovis officio, sed sanctificatio animarum, ipsi enim sunt constituti *dispensatores mysteriorum Dei* [25].

415. **Secunda pars.** *Extremam unctionem esse sacramentum N. L. probatur Traditione.* ARGUM. 1 sumitur a *consensu hæreticorum,* qui sola antiquissima traditione potest explicari [26]; licet enim nestoriani et armeni extremam unctionem nunc non administrent, non secus a ceteris orientalibus, in eorum libris ritualibus habent ordines hujus sacramenti [27]. ARGUM. 2 *Ex Patrum testimonio.* Revera ORIG. († 254) et CHRYS. († 407) [28] potestatem *remittendi peccata,* ideoque conferendi gratiam, vindicant sacerdotibus non solum ex

---

[17] *Principalius,* siquidem *secundarie* promittitur etiam salus corporis.

[18] Rom. **13**. 11; Eph. **5**. 4; 2 Petr. **3**. 1.

[19] Matth. **2**. 13 sqq.

[20] Matth. **9**. 6–7.

[21] Matth. **9**. 25; **11**. 5; 1 Corinth. **15**. 12 sqq.

[22] Græce κἂν ἁμαρτίας; ἁμαρτία vero sumitur in Scripturis de peccato mortali, de quo ab initio epistolæ (**1**. 16–5) loquitur Jacobus.

[23] Ad infirmandum argumentum quidam verba *et si in peccatis sit, remittentur ei,* separant a præcedentibus, et referunt ad sequentia; sed hoc repugnat *traditionali* interpunctioni in omnibus codicibus servatæ, imo *textui* κἂν enim, forma contracta ex καὶ ἐάν, addens novum *et* duobus præcedentibus, remissionem peccatorum salvationi et alleviationi prædictis conjungit.

[24] PESCH n. 513.

[25] 1 Corinth. **4**. 1. Cf. supra n. 72.

[26] Supra n. 13.

[27] DENZINGER *Rit. orient.* II. 483 sqq.

[28] ORIG. in *Lev.* hom. 2 n. 4; CHRYS. *De Sacer.* III n. 5.

Matth. et Joan., qui loquuntur de pœnitentia, sed ex epistola Jacobi, qui nec de baptismo, nec de pœnitentia potest explicari. INNOC. I († 417) docet quod publice « pœnitentibus (h. e. excommunitatis) istud (sanctum oleum chrismatis, de quo loquitur Jacobus), infundi non potest, quia genus est *sacramenti*. Nam quibus *reliqua sacramenta* negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? » [29]. CÆSAR. Arelat. († 542) præcipit ut infirmo tribuatur viaticum, et dein ejus corpus ungatur oleo, juxta illud: *infirmatur quis* etc., ut sic « corporis sanitatem recipere et peccatorum indulgentiam mereatur obtinere » [30]. Et P. DAM. († 1072): « Ait divus Jacobus: *Infirmatur quis?*... solemnis unctio, liquor excellens, quo sanitas redditur, *peccatum dimittitur*, immittitur timor Domini » [31]. Accedunt Concilia, de nostro enim sacramento testantur CONC. CABILLON. II (a. 813). AQUISGR. (a. 830), MOGUNT. (a. 847), TICIN. (a. 850), WORMAT. (a. 868), LUGDUN. (a. 1207), FLORENT. (a. 1439), TRID. (a. 1551). [32].

416. **Tertia pars.** *Extremæ unctionis institutio congruit rationi.* ARGUM. 1 *Ex analogia ad vitam naturalem.* Nam gratia imitatur naturam; sicut ergo in ordine naturali non sunt tantum remedia quo infirmi sanantur, sed quo convalescentes ex morbo ad perfectam salutem redeunt; ita in spirituali post pœnitentiam, quæ ordinatur ad remissionem peccatorum, dari debet extrema unctio, qua peccatorum reliquiæ solvuntur, et homo proxime disponitur ad æternam requiem [33]. ARGUM. 2. *Ex sacramentorum fine.* Sacramenta enim sunt instituta ut quovis tempore et quavis conditione vitæ adsint remedia salutis: atqui sine extremæ unctionis sacramento daretur conditio in qua homo reconciliationis esset capax (utpote attritus) et justificari non posset defectu sacramenti [34]: ergo.

---

[29] INNOC. I Epist. ad *Decent.* n. 8.

[30] CÆS. Arel. apud *Aug.* epist. 265 n. 3.

[31] P. DAM. Serm. 1 *De ded. eccl.* — His *Hurter* addit VICT. Ant. (sæc. 5), *De August.* Sacram. GREG. M. (sæc. 6), et *Pesch* ISAAC Ant. (sæc. 4).

[32] Apud *De August.* De Extr. Unct. a. 1.

[33] Supra n. 13.

[34] Sacramentum extremæ unctionis, non secus a baptismo, exigit in subjecto solam remotionem obicis per retractationem affectus peccaminosi, et habitualem saltem implicitam voluntatem suscipiendi; unde etiam extra sensus raptis potest conferri: sacramentum e contra pœnitentiæ actus pœnitentis habet pro materia sacramenti; et ideo, si confessio *nullatenus* est, invalide confertur. Dico *nullatenus*, nam in Theol. Morali plures examinantur casus in quibus sensibus destitutis saltem conditionate dari potest absolutio. Cf. LEHMKUHL *Casus Consc.* II n. 621; 56.

Argum. 3. *Ex peculiari conditione moribundorum.* « Etsi enim adversarius noster occasionem per omnem viam quærat et captet ut devorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendum nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit » [35]. Ne itaque, aucta acerbitate pugnæ et imminuto ob infirmitatem animi robore, impares ad supremam luctam inveniamur, paravit Christus sacramentum fortitudinis, quo, divina gratia adjuti, inimicum superare et æternam ingredi requiem valemus.

417. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Sacramentorum effectus est *infallibilis* et *ex opere operato:* atqui teste Jacobo effectus sacræ unctionis debetur *orationi fidei,* nec *semper obtinetur,* siquidem multi sanitatem non recipiunt: ergo. **Resp.** *Oratio fidei* non est opus operantis, sed sacramenti forma, quæ dicitur *oratio* quia est deprecativa, *fidei* vero quia pertinet ad cultum et est protestativa fidei Ecclesiæ. Porro sanitas corporalis est effectus secundarius, qui potest frustrari utilitate animæ et gravitate morbi.

418. **Objic. 2.** Testimonia Orig. et Chrys. frustra adducuntur, siquidem agunt de sacramento pœnitentiæ [36]. **Resp.** *Nego omnino,* nam etsi Orig. et Chrys. sæpe locuti sint de virtute et de sacramento pœnitentiæ, numquam eorum partem fecerunt *unctionem.* In objectis testimoniis Orig. conjungit pœnitentiam cum extrema unctione quia utraque ostendit potestatem Ecclesiæ remittendi peccata; Chrys. vero cum baptismo effert extremam unctionem, ut probet in spirituali affectu sacerdotes *a*) non cedere parentibus, quia baptismo generant ad vitam spiritualem; *b*) præesse vero, quia parentes mortem corporalem non possunt arcere, dum sacerdotes extrema unctione suos filios in æternam vitam inducunt [37].

419. **Objic. 3.** Innoc. I oleum, de quo loquitur Jacobus, dicit *chrisma* et supponit datum a simplici fideli: ergo vel non est sacramentum, vel est confirmatio. **Resp.** Testimonium Jacobi non posse exponi de confirmatione, patet ex contextu, qui est de sacramento infirmorum; Innoc. vero, qui de confirmatione loquitur in præcedentibus, *chrisma* sumit large de quavis sacra unctione. Porro fideles oleum infirmorum non adhibebant uti sacramentum, sed uti sacramentale, non secus ac aquam baptismalem, et interdum ipsam Eucharistiam [38].

---

[35] Conc. Trid. *De Ext. Unct.* exord.

[36] Protestantes passim. — Ex Chrys. *Kern* adducit etiam com. in *Matth.* hom. 32 n. 6, ubi S. Doct. loquitur de oleo infirmorum in Ecclesiæ lampade asservato; etenim tantum sacra asservabantur in Ecclesia.

[37] Cf. Pesch n. 514.

[38] De August. *De Euch.* a. 1.

ART. 2 - DE EXTREMÆ UNCTIONIS ESSENTIA SEU DE EJUS MATERIA ET FORMA

420. **Secundariæ quædam quæstiones expediuntur.** Quoad *materiam remotam* disputatum est an benedictio olei essentialiter spectet ad episcopum, vel a R. P. possit deligari cuilibet sacerdoti; et contra SUAREZ [1] affirmandum est, siquidem, ut notat BENEDICT. XIV, « in Ecclesia orientali mos viget a mille et amplius annis ab ea receptus, ut ipsimet presbyteri... oleum benedicant » [2]; vidimus autem consensum vel solius Ecclesiæ orientalis esse infallibile veritatis testimonium [3]. Quoad *materiam proximam* post S. THOM. [4] plures e recentioribus [5] contendebant unctionem quinque sensuum esse de essentia sacramenti; sed hoc quoque contradicit praxi Ecclesiæ orientalis, et modo « disputatio finita est decreto S. Off. [6] quo determinatur: In casu veræ necessitatis sufficere formam: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti. Amen,* quæ forma supponit unam sufficere unctionem » [7]. Quoad *formam* acriter disputatum est utrum indicativa valeat [8]; at si sermo non sit de sensu, sed de verbis ipsis, ambigi nequit; in pluribus enim ritualibus antiquis, a MENARDO et MARTÈNE productis, adhibetur verbum *ungo* absque alio additamento [9].

421. **Errores - Veritas.** Ex his qui hoc sacramentum agnoverunt, nemo forte dubitavit de ejus materia et forma, siquidem in S. Jacobo expresse recensentur. **Veritas** clare proponitur in CONC. FLOR. « Quintum sacramentum est extrema unctio, cujus *materia* est oleum olivæ per episcopum benedictum... *Forma* hujus sacramenti est hæc: Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, etc. » [10].

---

[1] SUAREZ *De Ext. Unct.* Disp. 40 sect. 1 n. 8.

[2] BENED. XIV *De Syn. diœc.* VIII c. 1 n. 4.

[3] Vol. 1 n. 599.

[4] S. THOM. *Suppl.* q. 32 a. 5 et 6.

[5] Cf. BALLER.-PALM. *Opus. theol.* V De Ext. Unct. n. 5.

[6] DECR. S. OFF. 25 apr. 1906.

[7] ACTA S. SEDIS XXXIX p. 273.

[8] RICHARD., PALUD., DURAND., TOURNELY, BECAN., JUENIN, etc. negabant.

[9] BENEDICT. XIV *De Syn. diœc.* VIII c. 2 n. 3.

[10] CONC. FLOR. *Decr. pro Arm.;* TRID. cp. 1 et cn. 2.

THES. 66. *Extremæ unctionis* materia remota *est oleum olivæ ab episcopo benedicto, et* — 2 proxima *unctio quinque sensum ;* — 3 forma *vero deprecatio pro infirmo, optime expressa a* RITUAL. ROM. *verbis : Per istam sanctam unctionem etc.*

422. **Prima pars.** *Materia remota extremæ unctionis est oleum.* Nam in **Scripturis** S. Jacobus expresse dicit : *ungent eum oleo.* **Patres** vero cum CYRIL. Alex. [11], INNOC. I, GREG. M. item loquuntur de *oleo,* quod omnes RITUALES et CONC. commemorant. [12] **Ratio** a CATECH. ROM. inde sumitur quod, sicut « oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita sacramenti virtus animæ tristitiam ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini tamquam pabulum præbet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accomodatum est. Quæ omnia, quid in ægroto divina virtute per hujus sacramenti administrationem efficiatur, declarant » [13] — Porro oleum *benedicendum esse ab episcopo* [14], iterum constat ex **Traditione** ; hoc enim affirmant INNOC. I, Sacram. GREG. M., CONC. CABIL., FLOR., TRID. [15]. **Ratio** sumitur ex prædictis de confirmatione ; scil. instrumentum gratiæ, non minus quam naturæ, debet ab expertis efformari : quia ergo Christus oleum per se non consecravit, consecrari debet ab his qui plenitudine sacerdotii Christum repræsentant; hi autem sunt episcopi [16].

423. **Secunda pars.** *Materia proxima est unctio quinque sensuum.* Quod sacramentum non absolvatur consecratione materiæ [17], sed perficiatur administratione, ideoque unctionem esse vere ejus materiam proximam, patet ex verbis Jacobi qui non de oleo, sed de *unctione* oleo perficienda, loquitur. *Quinque* vero *sensus* ordinarie esse ungendos S. THOM. inde concludit quod « curatio interiorum vulnerum non potest perfecte significari nisi per appositionem medicinæ ad diversas vulnerum radices » [18], omnium vero peccatorum radices sunt quinque sensus.

---

[11] Verius VICT. Anth.

[12] Testimonia sunt ipsa quæ dedimus pro *thes. 65.*

[13] CATECH. ROM. p. 2 c. 6 n. 5.

[14] Oleum esse debere *olivæ,* probatione non eget; ipsum enim solum per antonomasiam dicitur *oleum,* et ipso solo solebant antiqui corpora *inungere.*

[15] Supra *th. 65.*

[16] Supra n. 136; S. THOM. *Suppl.* q. 29 a. 5 et 6.

[17] Aliqui SCHOLASTICI (apud *S. Thom.* et *Bonav.* in IV Dist. 23) sacramentum constituerunt in ipsa consecratione olei, sed ab omnibus sunt improbati.

[18] S. THOM. *Suppl.* q. 29 a. 2.

424. **Tertia pars.** *Forma extremæ unctionis formaliter est deprecativa, unde bene exprimitur verbis* RIT. ROM.[19]: *Per istam etc.* Nam **Scriptura** loquitur de *oratione fidei;* oratio autem non exprimitur forma indicativa, sed deprecativa. **Ratio** triplex assignatur a S. THOMA « *Primo,* quia suscipiens sacramentum hoc est viribus propriis destitutus, unde indiget orationibus sublevari. *Secundo,* quia datur exeuntibus, qui jam desinunt esse de foro Ecclesiæ, et in solius Dei manu requiescunt, unde et ei per orationem committuntur. *Tertio,* quia hoc sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper ex operatione ministri consequatur...[20]. Et ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi »[21]. BILLOT idem deducit ex prærequisitis ad sacramenti valorem, quia scil. « in hoc sacramento curantur reliquiæ peccati secundum solam Dei misericordiam, quin ex parte hominis aliquid requiratur ad opus operatum sicut in pœnitentia. Est enim homo propriis jam viribus destitutus, qui sibimetipsi succurrere non potest, et ideo... post *judicium* clavium, ultimo resignatur *in manu misericordiæ* sempiternæ »[22].

ART. 3 - DE EXTREMÆ UNCTIONIS SUBJECTO, MINISTRO ET FRUCTU.

425. **Sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum.** *Sacramentum tantum* constituitur materia et forma, ideoque est quinque sensuum unctio ex oleo benedicto sub debita forma a sacerdote ministrante prolata: *res tantum* est gratia allevians infirmum et salutem corporis ex consequenti tribuens: *res et sacramentum* est commendatio infirmi in manu misericordiæ Dei. Porro hæc commendatio non perdurat quousque vivit homo, sed quousque manet infirmitas, ob quam in manu Dei infirmus est constitutus in ordine ad recipiendam alleviationis gratiam; quare, manente eadem infirmitate, extrema unctio reviviscere potest et repeti nequit; infirmitate renovata vel mutata, potest iterari; sanitate vero recepta, reviviscere nequit.

426. **Errores - Veritas.** De *ministro* extremæ unctionis errant REFORMATORES presbyteros Ecclesiæ interpretantes de senibus[1]:

---

[19] RIT. ROM. *De sacr. extr. unct.*

[20] Loquitur non de omni effectu extremæ unctionis, sed de restitutione sanitatis corporalis.

[21] S. THOM. *Suppl.* q. 29 a. 8.

[22] BILLOT II *th.* 25 p. 236.

[1] LUTH., KEMN., CALV. *apud Bellar* De Extr. Unct. c. 3.

de *subjecto* et *fructu,* potius quam hæreses, extant disputationes theologorum [2]. — **Veritas** proponitur a CONC. TRID. quod de *ministro* ait: « S. q. d. presbyteros Ecclesiæ... non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate...; a. s. »: de *fructu:* « S. q. d. sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos...; a. s. »: de *subjecto* vero declarat « hanc unctionem esse infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur » [3].

THES. 67. *Extremæ unctionis* — 1 subjectum *est adultus baptizatus et graviter infirmus* — 2 minister *est sacerdos rite ordinatus,* — 3 fructus *vero principalis est corroboratio infirmi per infusionem gratiæ, et secundarius remissio peccatorum necnon sanitatis corporalis restitutio.*

427. **Prima pars.** *Subjectum est adultus baptizatus et graviter infirmus.* Constat ex ipsis promulgationis verbis, siquidem Jac. loquitur de christianis, qui profecto sunt *baptizati:* loquitur de alleviatione eorum qui in peccatis quoque mortalibus esse possunt, et alleviatio seu corroboratio contra animarum pericula supponit libertatem, quæ *rationis usum* consequitur: loquitur de *gravi infirmo* quia verbum ασθενεῖν, non minus quam nomen ὁ κάμνων, in Scripturis adhibetur de gravi infirmitate spirituali vel corporali [4]; in præsenti autem de spirituali non esse intelligendum ex toto contextu apparet, siquidem spiritualiter infirmus salvatur sacramento pœnitentiæ, et non debet sacerdotem ad se vocare, sed ad eum accedere. **Ratio** sumi potest *ex fine;* corroboratio enim contra pericula animæ tunc maxime est necessaria, cum ex infirmitate corporis imminuitur libertas et diabolus *descendit habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet* [5]. — Porro gravis est

---

[2] GOFFRIDUS Vend. et IVO Chart. putarunt fidelem semel inunctum, amplius oleo infirmorum non posse liniri (Supra n. 411 *not. 7).* — SAINTE BEUVE etiam sanos posse inungi affirmavit, sed improbatus est a BENED. XIV (apud *Pesch* n. 555). — ALIQUI præcipuum fructum dixerunt remissionem venialium (apud *S. Thom.* Suppl. q. 30 a. 1) et DURANDUS *(IV Dist.* 23 q. 1 n. 7) reposuit in excitatione doloris peccatorum.

[3] CONC. TRID. sess. 14 *De Ext. Unct.* cn. 4 — cn. 2 — cp. 3.

[4] PESCH n. 313; supra n. 413 *not. 11.*

[5] Apoc. **12.** 12.

infirmitas cum *de morte timetur*[6], nec expectari debet momentum in quo, lumine rationis amisso, infirmus animam agitat; tunc enim fructus principalis ex languore animi valde imminuitur, et secundarius ex gravitate morbi frustratur[7].

428. **Secunda pars.** *Minister est sacerdos rite ordinatus.* **Ex Scripturis.** « Nam etsi vox illa græca πρεσβυτέρος ambigua sit, et tam seniorem ætate, quam dignitate significare possit, tamen secundum usum Scripturæ T. N. et Ecclesiæ non significat nisi sacerdotes »[8]; hoc autem sensu in nostro testimonio esse accipiendam non solum suadet genitivus specificationis *(Ecclesiæ)*[9], sed contextus, siquidem senioribus ætate non est demandata sacramentorum administratio, et multo minus curatio infirmorum, cum senectus vetet ne cito ad eos convolent. Quare « ipse GROTIUS in *Com. in ep. Jac.* fassus est apostolum hic nomine *presbyterorum* appellare sacerdotes, et hos apertissime significari in versione Syriaca »[10]. **Traditio** patescit ex constanti *praxi Ecclesiæ*, ex *libris liturgicis*[11], et ex *testimoniis Patrum* qui numquam de senibus, sed de episcopis et sacerdotibus[12], vel simpliciter de sacerdotibus[13] testimonium intellexerunt, inde etiam sacerdotum dignitatem supra laicos desumentes[14]. Etiam **ratio** suadet ad sacerdotes pertinere administrationem hujus sacramenti; est enim consummativum pœnitentiæ, et congruit ut, qui opus cœpit, perficiat. Nec valet quemquam esse baptismi validum ministrum et tamen ad episcopos spectare administrationem confirmationis; nam « illa sacramenta dispensanda solis episcopis reservantur quæ suscipientem in aliquo statu perfectionis super alios constituunt; hoc autem non est in hoc sacramento, cum omnibus detur »[15]. — Observa tandem pro *licita administratione* requiri in ministro jurisdictionem, quia ad animarum pastores spectat gregem suum pascere, unde parochi sunt ordinarii

---

[6] CONC. FLOR. Decr. *Pro Armen.*

[7] Dicemus infra n. 429

[8] BELLAR. *De Ext. Unct.* c. 9.

[9] Act. **14**. 22; **16**. 41; Tim. **5**. 17; Tit. **1**. 5; 1 Petr. **5**. 1 etc.

[10] DE AUGUST. *l. c.* a. 4.

[11] SACRAM. *Greg. M.*; LITURG. inde a sæc. 7.

[12] INNOC. 1 Epist. ad *Decent.*

[13] P. DAM. Sem. 1 *De Dedic. cult.* — **NB.** BEDA commentans nostrum testimonium consulit quidem *confessionem* peragere apud seniores et doctiores, sed aperte docet extremam unctionem dari a *presbyteris.*

[14] ORIG. in *Lev.* hom. 2 n. 4; CHRYS. *De Sacer.* III n. 6.

[15] S. THOM. *Suppl.* q. 31 a. 3.

ministri hujus sacramenti [16]; non requiritur tamen jurisdictio pro *validitate,* quia extrema unctio non confertur judiciali sententia, sed per modum medicinæ [17].

429. **Tertia pars.** *Principalis effectus extremæ unctionis est corroboratio infirmi per infusionem gratiæ, secundarius vero peccatorum remissio et sanitatis restitutio.* Extremam unctionem conferre gratiam sanctificantem, non solum constat ex generica ratione sacramenti [18], sed ex remissione peccatorum a Jacobo expresse signata, quæ sine infusione gratiæ sanctificantis non obtinetur [19]. Porro gratiam hanc ordinari principalius ad corroborationem infirmi, docent verba *salvabit* et *alleviabit,* quæ, ut vidimus [20], indicant spiritualem quamdam confirmationem qua infirmus proxime præparatur ad æternam requiem consequendam [21]. Hinc CONC. TRID.: « Gratia (h. s.) est Spiritus S. cujus unctio... peccati reliquias abstergit et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert; et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit » [22]. Scil. sicut in baptismo, remissa culpa et pœna, remanet concupiscentiæ fomes, ita in pœnitentia, remissa culpa, manet quædam spiritualis debilitas removens ab exercitio virtutum: contra hanc debilitatem ordinatur gratia extremæ unctionis. — Jam age: reliquiæ peccatorum præsupponunt remissionem culpæ: ergo extrema unctio inter sacramenta *vivorum* connumerari debet. Quia tamen perfectum imperfectum continet, secundarie hoc sacramentum habet quod gratiam primam aliquando conferat, secundum illud Jacobi: *Et si in peccatis sit, remittentur ei* [23]. — Alius secundarius effectus signatur a TRID. cum ait quod

---

16 PIUS IX Const. *Apost. Sed.* ser. 2 n. 14.

17 Quamvis Jacobus pluraliter loquatur (τοῦς πρεσβυτέρους), *multitudo* tamen *sacerdotum* non est de necessitate sacramenti, siquidem « Jacobus non tam de numero, quam de qualitate fuit sollicitus; quemadmodum, cum dicimus confitenda esse peccata sacerdotibus, non intelligimus confitenda esse multis, sed uni ». BELLAR. *De Ext. Unct.* c. 3.

18 Supra n. 72.

19 Supra n. 301.

20 Supra n. 414.

21 « Hoc sacramentum immediate hominem ad gloriam disponit ». S. THOM. *Suppl.* q. 29 a. 1 ad 2. — Idem docent A. MAGN., BONAV., SCOT., SUAREZ, etc. apud *Kern* l. c. p. 88 sqq.

22 CONC. TRID. *De Ext. Unct.* cp. 2.

23 Cum in ipsis promulgationis verbis enuntietur *peccatorum remissio,* apparet hunc fructum esse quidem *secundarium,* sed *non per accidens,* ut contingit in ce-

hoc sacramento infirmus « sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur » [24]. Et bene quidem. Licet enim verbum *salvabit* principalius intelligatur de vita animæ, adæquate sonat *plenitudinem salutis* quæ ad corpus quoque extenditur: quia ergo in testimonio de eo agitur qui corpore est infirmus, sensus verbi ad salutem animæ non debet coarctari. — Salus tamen corporis non est effectus infallibilis, siquidem nonnunquam obstat saluti animarum, nec potest supponi Deum nociva sacramentis conferre [25]. Imo ut notat BILLOT, salus corporalis potest impediri gravitate morbi. Non est enim extrema unctio sacramentum immortalitatis, vel medium ordinarium ad obtinenda miracula. Sicut ergo effectus ceterorum sacramentorum impeditur contraria dispositione, ita salus corporis extrema unctione non obtinetur cum, sanitatis principio corrupto, vita hominis non amplius in ancipiti manet, sed mors est irreparabiliter determinata. Hoc clarius intelligitur si, uti Trid. suadere videtur, effectum secundarium ex primario deducimus; non enim « incongrue diceret quis, effectum hunc pendere ab ipsa *alleviatione spirituali,* quæ est effectus primarius et omnino proprius unctionis infirmorum; bonus enim status spiritus noscitur quam maxime *juvare* naturam et artem ad instaurationem valetudinis, convenienter disponendo potentias tam sensitivas, quam speculativas. Atqui constat efficaciam hujusmodi, in ordine ad recuperandam sanitatem, amplius haberi non posse, si jam corruptum sit convalescentiæ principium » [26]. Ergo.

---

teris sacramentis vivorum. Hinc, ut vidimus n. 416 *not. 34,* datur casus infirmi extra sensus rapti, cui pro ipsa mortalium remissione directe confertur. — **NB.** Cum peccatorum remissio non perficiatur sola relaxatione culpæ sed etiam solutione pœnæ debitæ peccatis, patet per extremam unctionem remitti, juxta suscipientis dispositiones, aliquid de pœna temporali solvenda in Purgatorio.

[24] CONC. TRID. *De Extr. Unct.* cp. 2.

[25] Hæc ratio indicatur a CONC. TRID. Notat autem PESCH n. 543 ex infirmi sanatione sanctiorem ejus vitam et meliorem finem non sequi, quia « potest Deus velle restitutionem ægroti, ut hic aliquem certum fructum spiritualem acquirat, licet eum postea sua culpa amittat ».

[26] BILLOT *De Sacr.* II th. 25 p. 258.

TRACTATUS XV.

De sacramentis in bonum societatis seu DE ORDINE ET MATRIMONIO.

430. **Tractatus ratio.** Diximus de sacramentis quæ per se et per accidens ordinantur in bonum individui, manet ut loquamur de his quæ spectant ad societatem ipsam religiosam, in qua occurrunt quatuor status, scil. *virginitatis, religiosæ perfectionis, matrimonii* et *principatus*. Jamvero non fuit conveniens ut institueretur sacramentum pro sanctificatione status *virginitatis*, quia virginitas *a*) non importat specialem deputationem ad particularia officia, et *b*) sufficienter firmatur Eucharistia, quæ est *vinum germinans virgines* [1]. Item non fui conveniens sacramentum pro statu *religioso*, *a*) quia ad Ecclesiæ decorem, ad proximi utilitatem, et ad multiplex hominum ingenium congruebat summa religiosarum familiarum varietas earumque successiva institutio, quod sacramentorum naturam præterit [2]; et *b*) quia status religionis non supponit specialem sanctitatem, sed in illam ordinatur quasi medium ad finem [3]. Et ideo duo tantum sacramenta sunt instituta in bonum societatis, scil. *ordo* quo eliguntur Ecclesiæ duces, et *matrimonium* quo sanctificantur conjuges ut Ecclesiæ filios gignent et educent. Hinc duplex tractatus caput: 1 *De sacramento Ordinis* et — 2 *De sacramento Matrimonii*.

---

[1] Zach. 9. 17.

[2] Vidimus n. 63–4 omnia sacramenta immediate a Christo esse instituta.

[3] S. Thom. 2-2 q. 186 a. 1 ad 3; a. 2 ad 1.

CAPUT I.

De sacramento Ordinis.

431. **Capitis divisio.** « Duplex sacerdotium in sacris Litteris describitur: alterum interius, externum alterum... Quod igitur ad *interius* sacerdotium attinet, omnes fideles, postquam salutari aqua abluti sunt, sacerdotes dicuntur, præcipue vero justi, qui Spiritum Dei habent et divinæ gratiæ beneficio Jesu Christi summi sacerdotis viva membra effecti sunt. Hi enim fide, quæ charitate inflammatur, in altari mentis suæ *spirituales* Deo *hostias immolant* [4], quo in genere bonæ omnes et honestæ actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandæ sunt... *Externum* vero sacerdotium non omnium fidelium multitudini, sed certis hominibus convenit, qui... ad aliquod proprium sacrumque ministerium adscribuntur » [5]. De externo sacerdotio agentes, caput in quatuor articulos dispescimus; 1 *præmissis* scil. quibusdam *notionibus fundamentalibus,* dicemus — 2 *de sacramenti ordinis existentia,* — 3 *de ordinum distinctione,* et — 4 *de his quæ ad sacramenti naturam pertinent.*

ART. 1 - NOTIONES PRÆVIÆ.

432. **Quid ordo.** Secundum nomen, *ordo* dicit relationem prioris et posterioris, quæ quomodocumque inter plura viget: atqui in societate ratio prioris et posterioris non attenditur secundum situm, locum, tempus et originem, sed secundum *potestatem,* qua unus aliis præest dignitate et auctoritate: ergo in societate religiosa non minus quam in civili, *ordo* constituitur relatione qua membra societatis majori aut minori dependentia vel auctoritate colligantur. « Et quia ratio ordinis, prout est relatio, invenitur ubi primo aliquid superius altero occurrit, ideo hic *gradus eminens per potestatem spiritualem* ordo nominatur » [1]. Porro notâ synecdoche nomen effectus ad causam venit; quia ergo prædictus gradus emines per spiritualem potestatem inducitur sacramentali ritu, hic quoque nuncupatur *ordo* [2].

---

[4] Hinc S. Petr. 1 ep. **2**. 5 fideles vocat *regale sacerdotium.*

[5] CATECH. ROM. p. 2 c. 7 n. 23-4.

[1] S. THOM. *Suppl.* q. 34 a. 2 ad 4.

[2] Quæri potest an *ordo* melius dicatur de sacramento, quo character imprimitur vel de ipso charactere, et S. THOM. *l. c.* ad 1, considerans quod *ordo* per prius dicit aliquid permanens, concludit quod specialius de charactere est intelligendum. « Illud quod est *res* tantum, inquit, non est de essentia

433. **Episcopus, presbyter, diaconus.** Sunt tres præcipui gradus ordinis sacri [3] de quibus clara notio in ipso tractatus limine est habenda. EPISCOPUS, vox græca (ἐπίσκοπος), a radice σκεπ = *observare,* juxta etymologiam significat *inspectorem* et *præfectum;* unde sicut in V. T. ea voce LXX vertunt nomen פָּקִיד *pechid* [4], quod in Vulgata sonat præpositum et præfectum [5], ita in N. T. Christus dicitur episcopus animarum nostrarum [6]. In Actibus tamen Apost. et in epistolis canonicis *episcopus* arctiori sensu effertur de eo, qui a Spiritu S. positus regere [7] Ecclesiam Dei [8], proprium officium assumit impositione manuum apostolorum [9], ac religiosæ societatis verus princeps effectus [10], auctoritatem in spiritualibus [11] et temporalibus [12] exercet, ordinando quoque presbyteros [13]. – PRESBYTER (πρεσβυτέρος) tam in sacro, quam in profano usu, est nomen ætatis [14] et dignitatis [15]; « in libris (vero) novi fœderis presbyteri sunt ii quos apostoli (sacra ordinatione) [16] cœtibus christifidelium præfecerunt [17], ut eos regerent, docerent, et sacra [18] peragerent » [19]. An et quomodo apostolico tempore presbyteri ab episcopis distinguerentur, infra discutietur [20]; modo pro certo habeatur presbyteratum non esse nomen ætatis

---

sacramenti; quod est *sacramentum* tantum transit; *sacramentum et res* manere dicitur. Unde relinquitur quod ipse character interior sit essentialiter et principaliter ipsum sacramentum ordinis ».

3 An *subdiaconatus* et *quatuor ordines minores* pro sacramentis habendi sint, infra discutietur.

4 Nehem. **11**. 12.

5 Cf. etiam Gen. **41**. 34; 4 Reg. **25**. 19; Ps. **108**. 8.

6 1 Petr. **2**. 25.

7 Hæc vox potestatem veræ jurisdictionis in alios tamquam in subditos exprimit. Cf. vol. 1 n. 446.

8 Act. **20**. 28.

9 1 Tim. **4**. 14; 2ª **1**. 6.

10 Sæpe donantur titulo *præpositorum.* Cf. 1 Thess. **5**. 10; Hebr. **13**. 7, 17, 24.

11 1 Tim. **1**. 3; **3**. 1–7; **4**. 11; **5**. 1 sqq.; Tit. **1**. 5–14; 1 Petr. **5**. 1–4.

12 Cf. Act. **2**. 45 collat. 1 Tim. **3**. 4-5.

13 Tit. **1**. 5.

14 Eccl. **6**. 36; **7**. 15 etc.: usus profanus communis est.

15 Num. **4**. 16; **31**. 4; Ps. **60**. 17; **108**. 8; Judith. **6**. 20; **8**. 9, 21, 28; **10**. 6; **13**. 14; **15**. 9; Eccl. **4**. 7; 2 Esdr. **11**. 22; Act. **4**. 8. — De usu profano testimonium habes in CICER. Epist. *ad Attic.* VII n. 11; imo « in quibusdam papyris ex Fayum nuper inventis hoc nomen *(presbyter)* dicitur de sacerdotibus ». (KNAB. in *Act.* p. 252 ex *Revue biblique* 1898 p. 481). — **NB.** HAGEN in *Lexicon* probat etiam vocem *seniores* sæpissime dici de magnatis et præsulibus.

16 Licet de presbyteris impositio manus expresse non commemoretur, innuitur tamen, ut videbimus in *th. 69.*

17 Act. **14**. 22; 1 Tim. **5**. 17.

18 Jac. **5**. 14. Cf. Supra n. 428.

19 KNAB. apud *Hagen* Lexic. v. *Presbyter.*

20 Ut clare ab episcopis distinguerentur, simplices presbyteri dicti sunt *sacerdotes secundi ordinis.* Cf. OPT. Mil. *C. Schis. Donat.* I c. 13; INNOC. I epist. 1 ad *Decent.* c. 3; LEO M. *Serm.* 48 n. 1; GREG. M. in *Ezech.* **2**. hom. 10 n. 13.

sed ecclesiastici officii. — DIACONUS (διάκονος) juxta etymologiam dicit *ministrum,* unde in sacro textu dicuntur *diaconi* famuli in genere [21], et *diaconissæ* mulieres quæ pauperum curam gerebant [22]; antonomastice tamen in N. T. vocantur diaconi personæ sacræ, addictæ Ecclesiæ et impositione manus constitutæ [23], quæ cum episcopis nominantur [24] ac peculiari virtutum ornatu fulgentes [25], sacra munia obibant [26].

434 **Historia dogmatis.** Sacerdotium christianum, divina concretizatio officii naturæ [27], præfiguratum in sacerdotio Aaranonico [28], est institutum a Christo qui, tradita suis apostolis potestate conficiendi suum corpus [29], absolvendi a peccatis [30], et regendi fideles [31], sacrum ritum, quo prædictæ potestates [32] obtinerentur, post suam resurrectionem constituit [33]. Hujus divinæ institutionis antiquissima extant documenta; nam in *Actibus* et *Epistolis* canonicis commemorantur episcopi, presbyteri, diaconi qui impositione manus recipiunt gratiam Spiritus S. et præficiuntur fidelibus in iis quæ sunt ad Deum [34]. *Patres Apostolici* non solum supradictos ordines commemorant, sed eorum distinctionem et hierarchicam coordinationem testantur [35], ita ut historice constet sub **fine sæc. 1** et **initio 2** quamlibet christianam communitatem rectam fuisse uno capite qui erat *episcopus,* cui famulabantur *presbyteri* et ministrabant *diaconi* [36]. A **medio sæc. 2 ad 4** in catacumbis et apud Patres apparent *ordines minores,* scil. prius lectores, dein exorcistæ et subdiaconi, ac tandem fossores seu ostiarii [37]. Qui primus in materia de ordine erravit, ut taceamus de MANICHÆIS **sæc. 3** cum ceteris sacramentis hoc quoque respuentibus [38], fuit AËRIUS qui **sæc. 4** « epi-

---

21 Matth. **4**. 11; **25**. 44; Luc. **4**. 39; **8**. 3; **10**. 40; **12**. 37 etc.

22 Rom. **16**. 1 Cf. *Hagen* v. *Diaconus.*

23 Act. **6**. 6.

24 Phil. **1**. 1; 1 Tim. **3**. 8.

25 Act. **6**. 3; 1 Tim. **3**. 8 sqq.

26 Officium diaconorum fuisse *sacrum* infra ostendemus.

27 Sacerdotium esse officium naturæ patet ex prædictis n. 245 de sacrificio, cui intime nectitur sacerdotium.

28 Cf. 1 Corinth. **10**. 11; et Hebr. **10**. 1-9, attendens sacerdotes christianos non succedere Christo, sed ejus sacerdotium perpetuare (Vol. 3 n. 185).

29 Luc. **22**. 19.

30 Joan. **20**. 22-3.

31 Matth. **18**. 18; **28**. 18–20.

32 An Christus tradens suæ Ecclesiæ potestantem, eo ipso Apostolis sacerdotalem characterem infuderit, non est certum; plures enim opinantur apostolos a Petro esse ordinatos. Cf. vol. 1 n. 474.

33 Christum *instituisse* saltem in genere (cf. n. 60) materiam et formam sacramenti ordinis certum est; constituisse vero *post suam resurrectionem,* colligi potest ex Act. **1**. 3.

34 Testimonia dedimus n. 433.

35 Ut videbimus in thesi, hæc distinctio manifesta est in IGNAT. M., CLEM. ROM., TERTUL., ORIG., etc.

36 HERGENR. I p. 134-5; P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 1 c. 4 a. 2-4; *Manuale di Arch.* p. 311 sqq.

37 P. SYXT. *Not.* l. c. a. 5-9; *Manuale* p. 326 sqq.

38 HERGENR. I p. 378.

scopum ac presbyterum adæquare »[39] ausus est; sed ab *Epiph.* irrisus[40], vix sectatores habuit. Sub initio **sæc. 10** incipiunt catholicorum disputationes de modo quo episcopatus a presbyteratu distinguitur [41], de sacramentali ratione subdiaconatus et ordinum minorum [42], et de materia sacræ ordinationis [43]. **Sæc. 14** MARS. Patav. Ecclesiæ auctoritatem a plebis voluntate deducere volens, evolutionem sacerdotii induxit [44], unde et proscriptus est a *Joan XXII* [45]. **Sæc. 15** WICLEFFITÆ et HUSSITÆ, renovantes hæresim Aërii, distinctionem inter episcopatum et presbyteratum respuerunt [46], viam struentes Reformatoribus qui **sæc. 16** cum LUTHER., ILLYRIC. et KEMN. sacramentum ordinis non agnoverunt, sacerdotum potestatem omnibus fidelibus communem fecerunt, et Ecclesiæ hierarchiam quasi humanum figmentum respuerunt [47]. Hi, ut sæpius diximus, a *Scholasticis* sunt impugnati et damnati a *Conc. Trid.*, quod definivit in Ecclesia catholicam hierarchiam divina ordinatione esse institutam eamque constare episcopis, presbyteris et ministris; episcopos esse superiores presbyteris, qui carent potestate confirmandi et ordinandi; sacram ordinationem esse verum sacramentum; ac tandem præter sacerdotium dari ordines majores et minores, quibus veluti per gradus quosdam in sacerdotium tenditur [48]. Waldensium errorem de æqualitate presbyterorum cum episco-

---

[39] EPIPH. *Hær.* 75 n. 4; AUG. *De hær.* q. 53.

[40] *L. c.* doctrinam Aërii vocat dogma « totum stoliditatis plenissimum ».

[41] Ut enervarent ordinationes simoniacorum et excommunicatorum, theologi quidam sæc. 11-2 superioritatem episcopi ex sola *jurisdictione*, quæ in excommunicatis et simoniacis cessat, repetebant. HERGENR. III p. 395; IV p. 453.

[42] *Sententiam negantem* tenebant HUGO Vict., MAG. SENT., DURAND., CAJET., D. SOTO, quibus accesserunt VASQUEZ, GRAT., MORIN., BENED. XIV, S. ALPHONS. et ultimis temporibus PERRONE *De Ord.* n. 81; GURY II n. 699; LEHMKUHL II n. 586; PALMIERI *Prol. de Eccl.* § 15 schol. p. 97-8; PESCH n. 586; TEPE n. 725-6. — Pro *sententia affirmante* stabant S. THOM. *Suppl.* q. 37 a. 2 ad 1; a. 3; BONAV., CANUS, SYLV., BELLAR., ESTIUS, VALENT., BILLUART, GOTTI, etc. quibus nostris diebus adhæserunt DE AUGUST. *De ord.* th. 6 p. 478; BILLOT II th. 29 p. 264 sqq. — THOMASS. *De vet. et nov. Eccl. discipl.* P. 1. l. II. c. 40 viam mediam proponit, dicendo Christum fecisse Ecclesiæ potestatem *scindendi in plures ordines* plenitudinem potestatis ministerialis, quæ est in diacono. Huic sententiæ adhæserunt HURTER n. 709 et TANQUEREY *De Ord.* n. 16. — **NB.** *Sæc. 14* DURAND. in verum errorem incidit rationem sacramenti removens a diaconatu. *Hergenr.* V p. 70 in nota.

[43] BONAV., SCOT., MENARD. etc. solam impositionem manuum habuerunt uti materiam essentialem, VALENTIA solam traditionem instrumentorum, BELLAR. VASQUEZ, WIRCEBURG. utramque. Cf. *Pesch* n. 622.

[44] HERGENR. V p. 32 -3.

[45] JOAN. XXII *4 Kal. Nov.* 1327.

[46] PESCH n. 613.

[47] BELLARM. *De Ord.* c. 1.

[48] CONC. TRID. sess. 23.

pis renovarunt in Anglia **sæc. 17** PRESBYTERIANI [49] qui, licet numero imminuti [50], adhuc supersunt. **Sæc. 19-20** RATIONALISTÆ et MODERNISTÆ naturali humanitatis progressu omnia explicare cupientes, presbyteros et episcopos apostolicæ quidem esse originis dixerunt, sed eorum distinctionem negarunt, transfusionem missionis et potestatis apostolicæ ab eis removerunt, et characterem sacerdotalem deduxerunt ex evolutione primitivæ agapis [51]. Hi, ut vidimus, impugnantur a *Scholasticis* et sunt proscripti a *Pio X.* [52].

ART. 2 - DE SACRAMENTO ORDINIS EXISTENTIA.

435. **Sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum.** Quid hæc sint in sacramento ordinis, haud difficulter intelligitur. *Sacramentum tantum* est externus ritus quo spiritualis potestas confertur; *res* est gratia sanctificans prout secum habet specialia auxilia ad exercenda munia propria; *res et sacramentum* est character quo homo permanenter ad sacra munia deputatur, potestatem recipiens eadem peragendi.

436. **Errores - Veritas.** Divinam institutionem sacramenti ordinis negarunt sæc. 3 MANICHÆI, sæc. 14 MARS. Patav., sæc. 16 REFORMATORES et sæc. 19-20 MODERNISTÆ [1]. — **Veritas** definita est in CONC. TRID.: « S. q. d., ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Ch. Dom. institutum...; a. s. » [2].

THES. 68. *Ordinem seu sacram ordinationem esse verum et proprie dictum N. L. sacramentum — 1 docet Scriptura, — 2 testantur Patres, et — 3 suadet ratio.*

---

[49] Hoc nomine distinguuntur ab *episcopalibus* qui superioritatem episcoporum agnoscunt. HERGENR. VI p. 383.

[50] HERGENR. VII p. 147.

[51] LOISY *Autour* etc. 282-3; DECR. *Lament* pr. 49-50; ANONYM. *Il Program.* p. 84. — His nonnihil accesserunt BATIFFOL *Etudes d'Histoire* chap. *La Hierarch. primit.;* SEMERIA *Dog., Gerar. e Cul.;* DUCHESNE *Stor. della Ch. ant.* I p. 49-55.

[52] PIUS X Enc. *Pascendi.* — DECR. *Lament.* damnantur pr. 49-50 quæ sic sonant: « Cœna christiana paullatim indolem actionis liturgicæ assumente, hi, qui cœnæ præesse consueverunt, characterem sacerdotalem acquisiverunt. — Seniores qui in christianorum cœtibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariæ crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem apostolicam ».

[1] Supra n. 434.

[2] CONG. TRID. sess. 23 cn. 3.

437. **Prima pars.** *Ordinem esse verum N. L. sacramentum docet Scriptura.* **Testimon.** *Noli negligere gratiam..., quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. — Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum* [3]. **Argum.** In his et similibus testimoniis [4] proponitur ritus symbolicus et practicus (seu causativus) gratiæ, quo constituuntur hierarchici gradus Ecclesiæ: atqui signum symbolicum causativum gratiæ est sacramentum N. L.; ritus vero, quo constituuntur gradus hierarchici Ecclesiæ, nomine proprio, vocatur ordo [5]: ergo ordo est verum sacramentum N. L. — MINOR probatione non eget; ut enim alias notavimus, institutio Christi, etsi sit de necessitate sacramenti, semper supponitur cum de signo causativo gratiæ agitur [6]. MAJOR prob. per partes. *a*) *Est sermo de signo symbolico.* Nam signum symbolicum habetur cum res, cui inest aliqua analogia cum alia, positiva institutione assumitur ad eam practice exprimendam [7]: atqui in ordinatione impositio manuum adhibetur ad conferendum officium et ad efficiendam gratiam [8], quæ illa potest analogicæ exprimere [9], sed non potest sua virtute operari: ergo. Hinc DIONYS: « Pontificis manus impositio designat hierarchicam protectionem, qua sanctos filios paterno affectu fovet et statum virtutemque sacri ordinis impertitur » [10]. *a*) *Est sermo de signo practico.* α) Nam Apostolus intimum et infallibilem nexum supponit inter signum et effectum, nec alius infallibilis nexus præter nexum causalitatis inter ea dari potest; β) maxime quia Apostolus nexum exprimit præp. *per* et *cum*, quæ communiter de causa instrumentali assumuntur [11]. *c*) *Effectus impositionis manus est gratia sanctificans.* Licet

---

[3] 1 Tim. **4.** 14; 2ª **1.** 6.

[4] Alia testimonia indicavimus n. 433. et dabimus art. sequenti.

[5] Supra n. 432.

[6] Cf. n. 414.

[7] Supra n. 4.

[8] Manuum impositionem assumi ad conferendum officium, patet ex contextu testimoniorum; nam adhibetur ad constituendos diaconos et episcopos; ipsâ vero dari gratiam, infra probabimus.

[9] Vide n. 132.

[10] DIONYS. *De Eccl. Hier.* c. 5 n. 23. — **NB.** Etiam in V. T. impositio manuum erat symbolum et quasi vehiculum collationis boni et mali. Sic Moyses impositione manus replevit Josue spiritu sapientiæ (Num. **27.** 18, Deut. **34.** 9); Levitæ impositione manuum segregati sunt a plebe et dedicati Deo (Num. **8.** 10); victima peccatorum impositione manus substituebatur peccatoribus et eorum loco offerebatur Deo (Lev. **4.** 4; 15; 24; 29). Cf. n. 132.

[11] Supra n. 27.

enim græca vox χάρισμα etiam de donis gratis datis adhibeatur, in nostro tamen testimonio non solum potest [12], sed debet intelligi de gratia sanctificante, quia α) dona gratis data non conferebantur signo externo et infallibili, sed libera Spiritus S. divisione [13]; β) quia impositio manuum, quam Timotheus a Paulo acceperat, in perpetuum erat renovanda ad constituendos rectores Ecclesiarum [14], gratiæ vero gratis datæ non erant in perpetuum multiplicandæ, et multo minus conferendæ omnibus et solis sacerdotibus [15]; γ) quia Apostolus non dicit tantum χάρισμα, sed χάρισμα τοῦ θεοῦ, *gratia* vero *Dei* constanter intelligitur de gratia gratum faciente [16]; et δ) quia gratia, quam Timotheus debebat resuscitare, erat illa quam Deus dat infundendo spiritum virtutis, dilectionis et sobrietatis [17], quæque in indignis esse nequit [18]; talis autem non est gratia *gratis data*, sed *gratum faciens*.

438. **Secunda pars.** *Ordinem esse verum sacramentum N. L. testantur Patres.* Nam ordinem *a*) sacramentis connumerant, *b*) Spiritui S. tribuunt, *c*) ejusque effectum in bonis esse gratiam aperte docent. — *a*) « Sacrorum ordinum *sacramenta*, inquit GREG. M., ab Ecclesiæ doctoribus foris accipimus, sed sacramentorum virtute ab omnipotenti *Deo interius roboramur* » [19]. *b*) « Nisi esset arrhabo Spiritus, ait CHRYS..., sacerdotes non habuissemus; neque enim has ordinationes sine *tali descensu* fieri est possibile » [20]. Et CYRIL. Alex.: « D. N. J. C. divinorum altarium sacerdotes per se ipsum perfecit... Perfecit vero *per veram sanctificationem*, suæ naturæ participes *communicatione Spiritus* efficiens » [21]. *c*) GREG. Nyss., postquam dixerat panem, vinum, oleum verbo consecrari, prosequitur: « Eadem item verbi vis etiam sacerdotem augustum et honorandum facit... Quod ad speciem externam attinet, ille sit, qui erat, *invisibili quadam vi* et *gratia* invisibilem animam in melius transformatam gerens » [22]. Et GREG. M.: « Virtus sacramenti *gratia*

---

[12] Cf. Rom. **5**. 15; 1 Corinth. **12**. 13.
[13] 1 Corinth. **12**. 4–11.
[14] Tit. **1**. 5.
[15] Supra n. 414.
[16] Rom. **3**. 24; **6**. 23; **7**. 25; 1 Corinth. **1**. 4; **3**. 18; **15**. 10; 2ª **1**. 12; **6**. 1; **9**. 14; Gal. **2**. 16; Colos. **1**. 6; Ephes. **3**. 2; 7; 1 Tim. **1**. 4; **2**. 11; **3**. 3; 15; Hebr. **2**. 9; **12**. 15; necnon ex quibusdam testimoniis *Sap.*, *Eccl.*, *Luc.*, *Act.*, et *Petr.*
[17] 1 Tim. **4**. 7.
[18] 1 Tim. **5**. 22.
[19] GREG. M. Expos. in *1 Reg.* IV. c. 5 n. 23; LEO M. *Epist.* 12 c. 3 et 9; AUG. *C. Parm.* II c. 13.
[20] CHRYS. Hom. *De resur. mort.* n. 8.
[21] CYRIL. Alex. in *Joan.* VII c. 56.
[22] GREG. Nyss. Or. in *Bapt. Chr.*

est Spiritus septiformis. Quam certe gratiam qui accipiunt, quasi alio accepto corde, immutantur, quia, quos *gratia sua* Spiritus S. roborat, eos facit esse protinus, quod non erant » [23].

439. **Tertia pars.** *Veritas sacramenti ordinis suadetur congruentiis rationis.* « *a*) Si enim ritus, quo homines *aggregantur* Ecclesiæ et *filii* fiunt Dei, sacramentum est; sacramentum erit ritus, ille, quo Ecclesiæ *præficiuntur* et constituuntur *patres* filiorum Dei. *b*) Si ritus ille, quo Christi subditi promoventur in ejusdem *milites*, gratiæ est efficax; quanto magis ille, quo seliguntur in militum *duces*, Christi ministros et fidei doctores. *c*) Si status *matrimonialis*, propter adnexas difficultates et onera, diuturnitatem, momentum, gratia sanctificatur et fovetur; a fortiori status *clericalis*, imprimis *sacerdotalis*, qui excellentior, altior, difficilior est, quo quis totum se Ecclesiæ devovet. *d*) Cum denique Ecclesiæ ministri, sacerdotes in primis, ministri quoque sint *Eucharistiæ*, quæ omnium mysteriorum est apex, decet divinam providentiam, eos condigne ad tam celsum munus gratia præparare et disponere » [24]. *e*) Quod si sacerdotes V. T. non simplici deputatione, sed generatione constituebantur, convenit profecto ut sacerdotes N. T. realitate quadam spirituali (h. e. charactere) munus suum suscipiant, spiritualiterque generentur sacramento, causæ rationem habente [25].

440. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Qui primis temporibus præficiebantur Ecclesiæ erant *seniores:* atqui sacramenta Ecclesiæ ætati non poterant ligari: ergo primis Ecclesiæ temporibus ordo non erat sacramentum [26]. **Resp.** Nego *suppositum*, quia seniores non computantur sola ætate, sed maxime dignitate [27]: nego etiam *consequentiam*, quia subjecti dispositiones non ex sola validitate sacramenti mensurantur, sed ex requisitis ad convenientem exercitium officii; patet autem ætatem maturam, ceteris paribus [28], præstare in præsulibus ut scientia et experientia

---

[23] GREG. M. Exp. in *1 Reg.* IV c. 5 n. 23; INNOC. I Epist. *ad Alex. Antioch.* n. 4; HIER. *C. Lucif.* n. 11. — THEOD. *Hist. Eccl.* IV c. 20 enarrat ordinationem cujusdam Mosis, qui noluit episcopatum accipere a schismatico Lucio, ne privaretur gratia Spiritus S., ac dein, a catholicis episcopis ordinatus, « percepta admirabili fide *gratia* pontificali, ad eos profectus est qui ipsum postularant ».

[24] HURTER III n. 683.

[25] Supra n. 27 sqq.

[26] Cf. DECR. *Lament.* pr. 59–50.

[27] HAGEN *Lexicon* in *h. v.;* supra n. 413 *not. 15.*

[28] Sæpe virtus supplet ætatem, siquidem *cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* Sap. 4. 8–9,

in gubernatione Ecclesiæ juventur, et facilius subditorum obsequium obtineat[29]. Si ergo constasset pristinos episcopos fuisse etiam ætate seniores [30], nil contra veritatem sacramenti ordinis conficeretur.

441. **Objic. 2.** Manuum impositio adhibebatur etiam pro absolutione ab excommunicatione [31]: ergo non erat ritus sacramentalis. **Resp.** Nostrum argumentum non procedit ex *solo* ritu impositionis manum, sed ex contextu, ex quo patet tali ritui assignari causalitatem gratiæ.

442. **Objic. 3.** Nil evincitur pro causalitate impositionis manuum ex part. *per*, quia in eodem testimonio dicitur de *prophetia*, quæ non est causa ordinationis. **Resp.** Etiam in prima parte testimonii part. *per* servat sensum causativum; significat enim Timotheum fuisse ordinatum episcopum, quia Deus per prophetas revelaverat suam electionem et ejus fidelitatem [32].

ART. 3 - DE ORDINUM NUMERO ET DISTINCTIONE.

443. **Ordinum multitudo unitati sacramenti non obstat.** Cum ordo per prius dicatur de *re et sacramento*, seu de potestate quæ sacra ordinatione confertur[1], et potestas unitatem habeat prout in supremo gradu continentur inferiores, merito sacræ ordinationes unum sacramentum constituere dicuntur. « Dicendum, inquit S. THOM., quod divisio Ordinis non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed *totius potestativi*, cujus hæc est natura quod *totum secundum completam rationem est in uno*, in aliis autem est quædam *participatio ipsius*. Et ita est hic: tota enim plenitudo hujus sacramenti est in uno ordine, scil. sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio Ordinis. Et hoc significatum est in hoc quod Dominus dixit Moysi: *Auferam de spirito tuo, tradamque eis, ut sustineant tecum onus populi* [2]. Et ideo omnes ordines sunt unum sacramentum » [3].

444. **De septenario ordinum numero.** « Ordinis sacramentum ad sacramentum Eucharistiæ ordinatur quod est sacramentum sacramentorum....; et ideo distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam, quia potestas ordinis aut est ad *consecrationem* ipsius Eucharistiæ, aut ad *aliquod ministerium* ordinatum ad hoc sacramentum Eucharistiæ. Si primo modo, sic est *sacerdotium*... Cooperatio autem ministrorum est

---

[29] Cf. 1 Tim. **3**. 2–7. Hinc jam sæc. 4 episcopi eligebantur saltem 35 et presbyteri 25 annorum. HERGENR. II p. 158.

[30] Timotheus certe non erat provectioris ætatis, cum ab Apostolo factus est episcopus. Cf. 1 Tim. **4**. 12.

[31] Supra n. 379.

[32] PADOV. in 1 *Tim.* p. 143.

[1] Supra n. 432 *not.* 2.

[2] Num. **11**. 17.

[3] S. THOM. *Suppl.* q. 37 a. 1 ad 2.

vel *in ordine ad ipsum sacramentum* vel *in ordine ad suscipientes*. Si primo modo, sic est tripliciter. Primo enim est ministerium, quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento quantum ad dispensationem...; et hoc pertinet ad *diaconum*... Secundo est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti ordinandam in vasis sacris ipsius sacramenti; et hoc pertinet ad *subdiaconos*... Tertio est ministerium ordinatum ad præsentandam materiam sacramenti; et hoc competit *acolytho*. Sed ministerium ad præparationem recipientium ordinatum, non potest esse nisi super immundos, quia, qui mundi sunt, jam sunt ad sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum... quidam enim sunt omnino infideles, credere nolentes; et hi totaliter etiam a visione divinorum et cœtu fidelium arcendi sunt; et hoc pertinet ad *ostiaros*. Quidam autem sunt volentes credere, sed nondum instructi, scil. catechumeni; et ad horum instructionem ordinatur *ordo lectorum*... Quidam vero sunt fideles, instructi, sed impedimentum habentes ex dæmonis potestate, scil. energumeni; et ad hoc ministerium est *ordo exorcistarum*. Et sic patet ratio et numeri et gradus ordinum » [4].

445. **De ordinibus majoribus et minoribus.** « S. q. d., inquit CONC. TRID., præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines et *majores* et *minores*, per quos, velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur; a. s. » [5]; ostiariatum vero, lectoratum, exorcistatum, acolythatum aperte dicit *minores*, de subdiaconatu autem affirmat quod « ad *majores* ordines a Patribus et sacris conciliis refertur » [6]. Notat tamen PESCH subdiaconatum non semper majoribus ordinibus esse adnumeratum, sed a sæc. IV., cum GREG. M. statuit « ut a præsenti die episcopis omnibus dicatur, ut nullum subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum caste promiserit » [7]. Porro in quo formaliter ordines majores a minoribus differant, an scil. quia illi sacramenta, hi sacramentalia tantum sint, vel quia illis et non istis continentia præcipiatur, vel quia illis detur facultas immediate ministrandi ad altare cum aliquo principatu, hæc autem ad officia secundaria tantum deputent, non est certum.

446. **De modo quo episcopatus a presbyteratu differat.** Episcopatum a presbyteratu realiter distingui omnes catholici dicunt; at de modo, quo hoc fiat, disputant theologi. Ut præscindamus a falsa opinione eorum

---

[4] S. THOM. *Suppl.* q. 37 a. 2. — **NB.** Tamen qui episcopatum æstimant ordinem distinctum ab ordine sacerdotali, sine difficultate concedunt *octo* ordines: imo non desunt qui cum tonsura *novem* affirment. Cf. HURTER III n. 710, qui notat titulum cp. 2 sess. 23 Conc. Trid. non esse authenticum, sed dein appositum.

[5] CONC. TRID. sess. 23 cn. 2.

[6] CONC. TRID. sess. 23 cp. 2.

[7] GREG. M. apud *Pesch* n. 595.

qui excellentiam episcopatus a sola jurisdictione repetebant[8], antiquiores cum S. THOMA et BONAV. negabant eos distingui ut *duo* ordines[9]; at post BELLARM. non modo plures affirmant, sed vel cum P. SOTO docent tenendum esse de fide, vel cum VASQUEZ sine gravi nota impugnari non posse ajunt[10]. Prima sententia cum BILLOT præplacet, quia si ordo episcopalis adæquate distingueretur a sacerdotali, valide posset conferri non sacerdoti, quod ab omnibus negatur[11]. Inde tamen non sequitur quod episcopali ordinatione non conferatur nova spiritualis potestas, vel non infundatur nova gratia sanctificans; episcopatus enim est ordinis presbyteratus complementum, plenitudo et consummatio. Quia vero « character et ordo convertuntur, illud quoque consequens esse videtur, in consecratione episcopali novum characterem non dari, sed præexistentem characterem presbyteralem ulterius determinari ac perfici, pro quanto ad eas sacrorum ministrationes ampliatur quas simplex sacerdotium in sui muneris ambitu non habet »[12].

447. **De duplici sacerdotali potestate.** Ex ritu sacræ ordinationis et ex omnium sententia, notissimum est duplicem esse sacerdotis potestatem: alteram circa *corpus physicum* Christi, quam sacerdos exercet in confectione Eucharistiæ, alteram circa ejus *corpus mysticum*, quam in actum deducit baptizando et absolvendo a peccatis. Jamvero si ordinationis ritus attenditur, hæ potestates successive conferri videntur, ac proinde esse separabiles; episcopus enim primam exprimit in traditione instrumentorum, alteram in fine Missæ, cum dicit: *Accipe Spiritum S.: quorum remiseris peccata etc.;* communior tamen sententia tenet potestatem absolvendi a peccatis conferri cum datur potestas consecrandi, siquidem in illa imbibitur. Profecto sacerdos constituitur, ut offerat sacrificia[13]: atqui sacrificium N. L. ex Christi institutione et ex conditione naturæ elevatæ completur communione[14]: ergo sacerdos N. T. ex proprio officio debet Eucharistiam consecrare, et saltem aliquando fidelibus distribuere: atqui rursus Eucharistia non est omnibus indiscriminatim administranda, sed dignis[15]; qui vero debet ex officio *distribuere* Eucharistiam, debet etiam *præparare* ad ejus susceptionem, quod fit sacramento pœnitentiæ: ergo cum potestate consecrandi etiam potestas absolvendi traditur[16].

---

[8] Supra n. 434 *not. 41.*

[9] PERRONE *De Ord.* c. 2 n. 78 in nota pro hac sententia adducit S. THOM., BONAV., SCOT., INNOC. V, ESTIUM.

[10] PESCH n. 614 adducit ALTISSIOD., DURAND., PALUD., NAVAR., BELLAR., SOTO, MEDINA, VASQUEZ etc.

[11] Asseclæ Photii accusabant Latinos quasi ordinassent in episcopos simplices diaconos; sed hæ, teste NICOL. I, sunt meræ calumniæ: quod si quando factum esset, quorumdam ignorantiæ tribuendum esset. Cf. PESCH n. 646.

[12] BILLOT *th.* 31 p. 286.

[13] Hebr. 5. 1.

[14] Supra n. 243.

[15] Supra n. 233.

[16] « Redditur aptus et congruus

448. **Errores – Veritas.** Quoad *sacramenti rationem,* ut præscindamus a theologorum opinionibus de subdiaconatu et ordinibus minoribus, errarunt DURANDUS dignitatem sacramenti removens a diaconatu, et MODERNISTÆ episcopatum et presbyteratum habentes ut œconomicæ quædam institutiones ætatis apostolicæ: quoad *ordinum distinctionem* peccarunt AËRIUS, WICLEFFITÆ, et PRESBYTERIANI presbyteros sacra potestate pares episcopis faciendo [17]. — **Veritas** prostat in CONC. TRID.: « S. q. d., in Ecclesia non esse hierarchiam *divina ordinatione institutam,* quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris; a. s. »; « S. q. d., Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem...; a. s. » [18].

THES. 69. — 1 *Subdiaconus et quatuor ordines minores probabilius sacramenta non sunt;* — 2 *diaconatus vero, presbyteratus et episcopatus veram sacramenti ordinis rationem habent, atque* — *ex divina institutione diverso potestatis gradu distinguuntur.*

449. **Prima pars.** *Subdiaconatus et quatuor ordines minores probabilius non sunt sacramenta.* Nam non videtur probabile quod vera sacramenta *a*) vestigium non habeant in Scripturis et in primis documentis, *b*) non commemorentur a Patribus qui ex professo sacra officia recensent, et *c*) in magna parte Ecclesiæ oblivioni sint data. Atqui in Scripturis recensentur quidem episcopi, presbyteri et diaconi, sed subdiaconi apparent tantum sub fine sæc. 3 et ostiarii sæc. 4 [19]: *b*) IGNAT. M., CLEM. Alex. et ORIG. [20], cum sacra officia recensent, diaconos tantum, presbyteros et episcopos

---

fidelis ad hujus sacramenti perceptionem, per hoc quod est a peccatis immunis; non enim potest aliter Christo spiritualiter uniri, cui sacramentaliter conjungitur, hoc sacramentum percipiendo. Oportet igitur quod potestas ordinis (sacerdotalis) se extendat ad remissionem peccatorum per dispensationem illorum sacramentorum, quæ ordinantur ad peccati remissionem, cujusmodi sunt Baptismus et Pœnitentia ». S. THOM. *Cg. IV* c. 74. — **NB.** De nexu inter potestatem *ordinis* et *jurisditionis* vide vol 1. n. 329.

17 Supra n. 434.

18 CONC. TRID. sess. 23 cn. 6-7.

19 P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 1 a. 5-9. — Art. 5 arguit subdiaconos esse institutos a papa Fabiano († 250).

20 IGNAT. M. *Ad Magn.* 6. 1; CLEM. Alex. *Pædag.* III c. 12; ORIG. *De orat.* n. 28.

nominant [21]: *c*) a sæc. 6 ostiarii non sunt in Ecclesia Græca [22]: ergo. — Accedit quod in Scripturis et apud priores Patres materia ordinis semper assignatur *manuum impositio* [23]; hæc autem in prædictis tantum tribus ordinibus habetur. — Hinc URBAN. II in CONC. BENEV. (a. 1091): « Nullus deinceps in episcopum eligatur, nisi qui in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatum et presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse, super his solum præceptum habemus Apostoli » [24].

450. **Secunda pars.** *Episcopatus, presbyteratus et diaconatus veram sacramenti rationem habent.* **Ex Scripturis.** DE EPISCOPATU res est manifesta ex prædictis in thes. 68; nam testimonia adducta sunt præcise de ordinatione Titi, qui a Paulo creatus est episc. Cretæ [25]. De PRESBYTERIS expresse non commemoratur manuum impositio; si tamen attendatur eos constitutos esse *oratione et jejunio* [26], et animadvertatur admonitionem factam Timotheo, de non imponendis manibus cito, immediate sequi elogium boni presbyteri [27], nullo modo dubitari poterit manuum impositione eos fuisse ordinatos [28]. Ceterum sacra presbyterorum dignitas inde apparet, quod cum Apostolis sistunt in Conc. Jerosolimitano [29], sacra munia obeunt [30], et digni speciali honore reputantur [31]. DIACONI clare constituuntur oratione et impositione manuum [32], atque enumerantur cum episco-

---

[21] Adnotare præstat ORIG. aliquos ordines minores agnovisse, et tamen, cum *l. c.* de munere sacro loquitur, dicere quod « aliud *diaconi*, aliud *presbyteri, episcopi* denique officium gravissimum est ».

[22] P. SYXTUS *l. c.*

[23] Dicemus infra cum de *materia.*

[24] Apud *Mansi* XX p. 738.

[25] Tit. **1**. 5.

[26] Act. **14**. 22.

[27] *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur... Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus... Manus cito nemo imposueris.* 1 Tim. **5**. 17–22.

[28] Act. **6**. 6 de ordinatione diaconorum dicitur: *orantes imposuerunt eis manus;* et **13**. 3. de episcopali ordinatione Pauli et Barnabæ: *jejunantes et orantes, imponentesque eis manus:* cum ergo de constitutione presbyterorum dicitur — *quum... orassent cum jejunationibus* —, cæremonia sacræ ordinationis innuitur. KNAB. in *Act.* p. 251.

[29] Act. **15**. 2.

[30] Sequitur ex munere regendi Ecclesias, et aperte docetur a Jac. **5**. 14.

[31] 1 Tim. **5**. 17, 19. Cf. *not.* 27.

[32] Act. **6**. 6. — **NB.** Cum occasio ordinationis septem diaconorum fuerit murmur græcorum, omnesque diaconi ex hellenistis sint electi, interpretes

pis [33] quorum virtutibus fulgere debent [34]: atqui manuum impositio cum oratione est ritus sacramentalis, ut patet ex episcoporum consecratione; episcopis vero simplices fideles nequeunt comparari: ergo. — **Patres** de EPISCOPIS docent *a*) ordinari sacramento quod *b*) gratiam confert et *c*) characterem imprimit. *Primum* docet AUG.: « Si quando... *præpositi* (id est episcopi)... suscepti sunt... non sunt rursus ordinati..., quia in *præcisione* fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est; non in *sacramentis,* quæ ubicumque sunt, ipsa sunt » [35]. *Alterum* tradunt CHRYS., THEOD. et LEO M., qui ait: « Eos rectores Ecclesia accepit *quos Spiritus S. præparavit;* ut in populo adoptionis Dei... *dignatio cœlestis gratiæ gignat Antistitem* » [36]. *Tertium* iterum affirmat AUG. contra Donatistas: « Invocatio nominis Dei super caput ipsorum, *quando ordinantur episcopi,* invocatio illa Dei est, non Donati... In errante et deserente milite crimen est desertoris, *character* autem non est desertoris, sed *Imperatoris* » [37]. — Etiam PRESBYTEROS habent uti personas sacras et hierarchicas [38], quæ Spiritus S. descensu [39] et invisibilis gratiæ sanctificatione constituuntur [40], et ad sacra deputantur [41]. — Quod attinet ad DIACONOS, non solum *a*) de ipsis explicant testi-

---

opinantur prius constitutos fuisse diaconos de hebræis. KNAB. in *h. l.* p. 113.

[33] *Omnibus sanctis... cum episcopis et diaconibus.* Philip. **1**. 1.

[34] *Oportet episcopum irreprehensibilem esse... Diaconos similiter pudicos,* etc. 1 Tim. **3**. 2-10; Act. **6**. 3. — **NB.** Etiam de diaconissis additur v. 11 *mulieres similiter pudicas,* sed hoc ad præcedentia ordinatur. Scil. quia diaconissæ debebant adjuvare sacerdotes, eorum quoque sanctitatem participare debebant.

[35] AUG. *C. Parmen.* II c. 13.

[36] LEO M. *Serm.* 3 n. 1; CHRYS. in 2 *Tim.* I n. 2; THEOD. *Eccl. Hist.* IV c. 20.

[37] AUG. Serm. ad *pleb. Cæsar.*

[38] « Cuncti revereantur *diaconum* ut J. C., sicut et *episcopum,* qui est typus Patris, *presbyteros* autem ut senatum Dei et concilium apostolorum ». IGNAT. M. ad *Trall.* c. 8 n. 1; CYPR. *Epist.* 61. 3; etc.

[39] « Nisi esset arrhabo Spiritus S.... *sacerdotes* non habuissemus; neque enim has ordinationes sine tali descensu fieri est possibile ». CHRYS. Hom. *De Resur. mort.* n. 8; GREG. M. in 1 *Reg.* IV c. 5 n. 23.

[40] « D. N. J. C. ... sacerdotes per se ipsum perficit... Perficit vero per veram sanctificationem, suæ naturæ participes communicatione Spiritus efficiens ». CYRIL. Alex. in *Joan.* XII c. 56; CREG. Nyss. Or. *in bapt. Chr.;* GREG. M. *l. c.*

[41] « Singuli divino sacerdotio honorati et in clerico ministerio constituti, nonnisi *altari* et *sacrificiis* deservire et *precibus* atque *orationibus* vacare debent ». CYPR. *Epist.* 1 n. 2; *epist.* 5 n. 2; CONST. APOST. VIII c. 28.

monium Act. 6 [42]; sed *b*) eos opponunt laicis, habentque uti personas sacras [43], quæ « eliguntur ex omnibus et sanctificantur » [44], pertinent ad sacram hierarchiam [45] et exercent sacra officia [46], cujusmodi sunt distribuere Eucharistiam [47] et de licentia episcopi baptizare [48] ac prædicare [49]. *c*) Imo de diaconis dicunt quod *consecrantur* divino opere. « Diaconus ordinandus, inquit DIONYS., supra caput habet dexteram pontificis ipsum consecrantis, et ab eo *consecratur invocationibus* ad ministrorum consecrationem accomodatis » [50]. Et CHRYS.: « Vide... quod ordinati sint impositione manus et prece. Hoc enim est ordinatio. Manus viri superimponitur, *totum vero Deus operatur*, ejusque manus est, quæ tangit caput ordinati » [51]. — **Ratio** potest deduci ex analogia ad V. T. Sicut enim in antiquo fœdere quædam cæremoniæ reservabantur Summo Pontifici [52], sacrificia vero erant propria Sacerdotum, quibus Levitæ inserviebant in secundariis ministeriis [53]; ita convenit ut in N. T. sacra hierarchia constet sacerdotibus primi et secundi ordinis atque eorum ministris seu diaconis.

---

[42] Act. **6**. 6. « Catholicorum nemo dubitat hos esse quos Ecclesia in diaconorum ordinem cooptavit ». PATR. apud *Knab.* p. 114. — Revera directe vel indirecte idem testantur CLEM. Rom. 1 *Corinth.* n. 42; IREN. *Adv. hær.* I c. 26 n. 3; III c. 12 n. 10; IV c. 15 n. 1; CONC. CARTH. IV a. 254; EUSEB. Cæsar. *Hist. Eccl.* II c. 1; CYPR. *epist.* 65 n. 3; CHRYS. in *Act.* hom. 14 n. 3 (alii tamen negant); ARATOR *De Act.* I vers. 552-6; BEDA in *Act.* **6**. et in *Retract.*

[43] « *Summo sacerdoti* (episcopo) sua munia tributa sunt; et *sacerdotibus* (presbyteris) locus proprius assignatus est; et *levitis* (diaconis) sua ministeria incumbunt; homo *laicus* præceptis laicis constringitur ». CLEM. Rom. 1 *Corinth.* 40; ORIG. in *Jerem.* hom. 11 n. 3.

[44] AMBR. *De Offic.* I c. 50.

[45] « Ii, qui hic in Ecclesia sunt gradus *episcoporum, presbyterorum, diaconorum,* imitationes sunt, ni fallor, angelicæ gloriæ ». CLEM. Alex. *Strom.* VI c. 13; VII c. 1.

[46] AMBR. *De Off.* 50; AUG. *Epist.* 21 n. 1.

[47] « Qui apud nos dicuntur diaconi panem et vinum et aquam, in quibus gratiæ actæ sunt *(scil. post consecrationem)* unicuique præsentium participanda distribuunt et ad absentes deferunt ». JUST. M. *Apol.* I n. 65; DOCT. 12 APOST. c. 2 n. 57; AMBR. *De Offic.* I c. 41; HIER. ad *Vigil.* n. 2.

[48] « Dandi (baptismum) habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate ». TERTUL. *De Baptis.* c. 17.

[49] GREG. M. *Lib. Epist.* append. Decr. V n. 1288.

[50] DIONYS. Areop. (?) *De Ecc. Hier.* c. 5 n. 23.

[51] CHRYS. in *Act.* hom. 14 n. 3.

[52] Lev. **16**. 2-17; Hebr. **9**. 7.

[53] Paral. **23**. 28 — **26**. 32. Cf. VIGOUROUX *Manuale Bibl.* I n. 365.

451. **Tertia pars.** *Divina institutione diaconatus, presbyteratus et episcopatus distinguuntur.* Nam in **Scripturis** *diaconi* connumerantur cum *episcopis* [54], minora officia suscipiunt et, excepto baptismo, non exhibentur sacramenta administrare [55]: *presbyteri* distinguuntur a diaconis, quia administrant extremam unctionem [56] et, cum præficiantur Ecclesiis [57], potestate consecrandi et absolvendi pollent; distinguuntur vero ab *episcopis*, quia plures in eodem loco numerantur [58]. — **Patres** distinctionem diaconorum, presbyterorum et episcoporum testantur *simultanea* eorum *commemoratione* et *officiorum distinctione*. De illa jam plura dedimus testimonia [59], quibus addes IGNAT. M. præcipientem: « Episcopo obedite et presbytero et diaconis » [60]. Quod attinet ad officia, *diaconis* Patres negant potestatem consecrandi et absolvendi [61] et eos postponunt presbyteris [62]; *presbyteros* vero subesse volunt episcopis [63], qui soli sunt apostolorum successores [64], et soli habent potestatem consecrandi oleum [65], confirmandi [66], absolvendi [67], et ordinandi [68].

452. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** CONC. FLOR. agens de sacramento ordinis etiam subdiaconatum et ordines minores enumerat; TRID. vero anathema comminatur his qui ordines majores et minores

---

[54] Phil. **1**. 1; 1 Tim. **3**. 1-10.

[55] Act. **6-8**.

[56] Jac. **5**. 14.

[57] Act. **14**. 2; 1 Tim. **5**. 17.

[58] Act. **14**. 22; Jac. **5**. 14. An tamen vere agatur de sacerdotibus secundi ordinis, non omnes conveniunt, ut videbimus in solutione difficultatum.

[59] Supra *not. 38* sqq.

[60] IGNAT. M. *ad Philad.* c. 7 n. 1; *ad Trall.* c. 3 n. 1; *ad Magnes.* 6. 1; 13. 1; *ad Smyr.* n. 8; CLEM. Rom. 1 *Corinth.* c. 40; CLEM. Alex. *Strom.* VI c. 13; ORIG. *De Orat.* n. 28; TERTUL. *De Bapt.* c. 17; CYPR. *Epist.* 3 n. 3; etc.

[61] De *potestate consecrandi* cf. CONST. APOST. VIII c. 28; JUST. M. *Apol.* I n. 65; CYPR. *Epist.* 4; ORIG. in *Num.* hom. 4 n. 3; EPIPH. *Hær.* 79 n. 4; HIER. *Ad Lucif.* n. 21; CHRYS. *De Sacerd.* III n. 4; GAUD. Brix. *Migne* 20 c. 860; ISID. Pelus. III *epist.* 75. — De *ministro pœnitentiæ* vide supra n. 397 et 400.

[62] IGNAT. M. ad *Magn.* n. 2; CYPR. *epist.* 3 n. 3; HIER. ad *Evang.* epist. 146.

[63] « Plus a me (presbytero) exigitur quam a diacono, plus a diacono quam a laico. Qui vero totius ecclesiæ arcem obtinet (episcopus), *pro omni* reddet rationem ». ORIG. in *Jer.* hom. 11 n. 3; TERTUL. *De Baptis.* c. 17 (supra *not. 48);* LEO M. *Serm.* 3 n. 1.

[64] CLEM. Rom. 1 *Corinth.* c. 44 n. 3-4; IREN. *Adv. Hær.* V c. 20; TERTUL. *De præscr.* c. 32; CYPR. *epist.* 3 n. 3.

[65] BASIL., CYR. Hier., BEDA n. 136.

[66] CYPR., FIRM., INNOC. I, CHRYS., AUG. supra n. 140,

[67] TERTUL., ORIG., CYPR., BASIL., CHRYS., AMBR., AUG., etc. supra n. 397.

[68] Testimonia dabimus n. 463.

negent: ergo subdiaconatus et quatuor ordines minores sunt sacramenta [69]. **Resp.** CONC. FLOR. noluit quæstionem de subdiaconatu et minoribus ordinibus definire, sed, statuta existentia sacramenti, voluit *suadere* græcis praxim latinorum; si enim dogmaticam quæstionem pertractasset græcorum praxim aperte reprobasset. CONC. vero TRID., qui rectitudinem sacrarum cæremoniarum definivit, potuit etiam docere ordinem *integrari* ordinibus minoribus, quamvis hi sacramentalium tantum naturam habeant. Nonne TRID. signum collationis gratiæ ponit verba: *Accipe Spiritum S.* [70]? Atqui hæc de solis episcopis, presbyteris et diaconis efferuntur. Profecto si CONC. FLOR. et TRID. de ordinibus minoribus rationem sacramenti definissent, sententia contraria dein communior non evasisset [71].

453. **Objic. 2.** Etiam subdiaconatu et ordinibus minoribus homo deputatur ad sacra munia: ergo his confertur gratia, quod sacramentorum proprium est. **Resp.** Non quælibet deputatio ad officia, quæ sine gratia imperfecte exercentur, fit sacramento; congregationes enim conciliares, cardinales, seminariorum vel ecclesiarum rectores, etc. gratiis specialibus egent; et tamen eorum institutionis ritus non est sacramentum.

454. **Objic. 3.** Officii natura ex muneribus pensatur: atqui munera diaconorum non erant sacra, siquidem instituti sunt ut ministrarent mensis [72]: ergo diaconatus non est officium sacrum, ideoque nec sacramentum. **Resp.** « cum agapis conjungi solebat confectio et distributio Eucharistiæ, (unde) dicere possumus et debemus eos fuisse ministros *sacræ et profanæ* mensæ » [73]. Ceterum affirmatio unius non est negatio alterius, videmus enim in ipsis Actibus Apostolorum diaconos prædicare [74], et baptizare [75].

455. **Objic. 4.** « Antiquitus presbyteri vocabantur episcopi, et episcopi presbyteri » [76]: ergo distinctio inter presbyterum et episcopum recentioris est originis, ideoque ecclesiasticæ institutionis. **Resp.** Tres quæstiones sunt distinguendæ: de *nomine,* de *facto,* et de *jure.* Si agitur de NOMINE, de quo expresse loquitur Chrys. loco objecto, simpliciter concedendum est in Scripturis et apud priores Patres episcopos vocari presbyteros et diaconos [77]; vocem enim, quæ etymologice genericum sensum

---

[69] CONC. FLOR. *Decr. pro Armen.;* TRID. sess. 23 cn. 2.

[70] CONC. TRID. sess. 23 cn. 4.

[71] PESCH n. 589-90.

[72] Act. **6**. 2-3.

[73] KNAB. in *Act.* p. 113-4. Adde *bona Ecclesiæ,* quæ pauperibus distribuebantur, non fuisse profana sed *mixta.*

[74] S. Stephanus *prædicabat.* Act. **6**. 9 sqq.

[75] Philippus *baptizavit* eunuchum reginæ Candacis. Act. **8**. 38.

[76] CHRYS. in *Philip.* hom. 1 n. 1.

[77] CHRYR. *l. c.;* THEOD. in *Philip.* **1**. 1; HIER. in *Tit.* 1. 5; ŒCUM., THEOP., AMBROSIAS., apud *Pesch* De Eccl. n. 342; S. THOM. 2-2 q. 184 a. 6 ad 1; VIGOUROUX ET BACUEZ *Man. Bibl.* IV n. 571. — **NB.** Justos tamen fines prætergredi videtur E. BRUDERS, *La constituzione della Chiesa* ed. 1906

perferunt, longo tantum usu in specifico firmantur [78]. Si de JURE, ordinum distinctio est absolute affirmanda, siquidem repugnat sacramentum non esse divinæ institutionis, ideoque non extitisse tempore apostolico. Si de FACTO, dissentiunt auctores; alii enim æstimant apostolos solos presbyteros creasse, sibi reservata episcopali dignitate [79], alii omnes presbyteros ad dignitatem episcopalem evexisse [80], alii demum episcopos et simplices sacerdotes ordinasse [81]. At prima sententia manifeste contradicit Apostolo qui Tito præcipit ordinare alios presbyteros [82], necnon notioni *pastorum* quæ in episcopis a Scripturis commendatis ubique elucet: altera solido fundamento non innitur, siquidem non cogimur omnia testimonia, quæ agunt de presbyteris, explicare de episcopis [83], sed cum FRANZ. dicere prossumus in ipsis Scripturis episcopos a presbyteris *inadæquate* secerni [84]: tertia, ut notat HERGENR., vel inde maxime suadetur quod primi fideles, traditionibus mordicus adhærentes, graves mutationes in ordine hierarchico nullatenus inducere sivissent, vel certe post diuturnam luctam tantum alicubi tolerassent; dum e contra sub initio sæc. secundi videmus supradictos tres ordines ubique distingui, et sine discussione pro sacris haberi [85].

456. **Objic. 5.** « *Idem* est presbyter qui et episcopus... Sicut ergo presbyteri sciunt se ex *Ecclesiæ consuetudine* ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita episcopi noverint se *magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate,* presbyteris esse majores » [86]. Ergo distinctio inter episcopum et presbyterum est juris ecclesiastici, temporis tantum processu inventa. **Resp.** Etiam dato HIER. putasse presbyteros episcopis pares [87], nil sequeretur; sententia enim unius vel alterius Patris consensum aliorum non infirmat. Sed insuper negandum est assertum; Hier.

---

p. 75 sqq. 121 sqq. etc., cum contendit primis temporibus hæc nomina non solum non fuisse *propria* singulorum ordinum, sed fuisse communia omnibus baptizatis et quibuscumque officis, solo sæc. 2 sacris ordinibus appropriata. Aliud profecto est quod, attenta etymologia, hæc verba *aliquando* in Scripturis et apud priores Patres adhiberentur etiam de aliis, aliud quod nullo modo fuerint appropriata sacris ordinibus.

[78] Supra n. 433.

[79] Apud *Ballerini* L'originaria dist. dei gradi gerarchici p. 16.

[80] PETAV. *Diss. Eccl.* I c. 2; CHRIST. LUPUS, THOMASS. et PERRONE apud *Ballerini* l. c.

[81] HERGENR. I p. 134-5, et theologi fere omnes.

[82] Tit. **1**. 5,

[83] De *presbyteris* mentio recurrit Act. **14**. 22; **15**. 2; 1 Tim. **4**. 14; **5**. 16; 19; Tit. **1**. 5; Jac. **5**. 14.

[84] Ita scil. ut omnes episcopi dicantur presbyteri, sed non e converso. FRANZ. *De Eccl.* th. 16 p. 289 sqq.

[85] HERGENR. I p. 135. Cf. etiam p. 131 et 262.

[86] HIER. in *Tit.* **1**. 5.

[87] Concedunt MEDINA et VASQUEZ apud *Pesch* De Eccl. n. 361.

enim superbiam cujusdam diaconi, qui supra presbyteros se extollebat[88], retundere volens, excellentiam presbyterorum exaggerat, quia olim *a)* eodem episcoporum nomine donabantur, *b)* ecclesias regebant [89] et *c)* episcopos de proprio sinu eligebant. Ceterum essentialem differentiam inter episcopos et presbyteros signat Hier. cum episcopis reservat successionem apostolicam et protestatem conferendi ordines [90].

457. **Objic. 6.** Si non omnes presbyteri in primitiva Ecclesia fuissent episcopi, connumerarentur cum episcopis et diaconis quando personæ sacræ recensentur, nec nomen episcoporum sumerent cum plures in una Ecclesia commendantur: atqui Paulus epist. ad Philip. inscribit *episcopis et diaconis* tantum [91]; in Actibus vero omnes presbyteri ecclesiæ ephesinæ dicuntur episcopi [92]: ergo. **Resp.** Epistola ad Philip. non est scripta uni civitati, sed universæ provinciæ quæ, plures civitates complectens, plurimos quoque episcopos habebat; cum episcopis vero non recensentur presbyteri, quia, ut notat EPIPH., primis temporibus « cum copia non suppeteret, non reperiebantur qui crearentur presbyteri, unde solo episcopo per loca singula contenti erant; sine diacono autem episcopum esse non decet » [93]. Porro Ephesi non convenerant tantum presbyteri, qui forte episcopum illius civitatis adjuvabant, sed, ut expresse docet IREN., alii quoque *proximarum civitatum* [94].

ART. 4 - DE HIS QUÆ AD SACRAMENTI ORDINIS NATURAM PERTINENT.

458. **De quibus est agendum.** Post quæstionem de sacramenti existentia, uti de more agendum est de *materia* et *forma* quæ sacramenti essentiam constituunt, de *ministro* et *subjecto* quibus sacramentum perficitur, et de *fructu* in quem sacramentum ordinatur. De singulis pauca.

459. **Secundariæ quæstiones expediuntur.** Quod attinet ad *materiam,* impositio manuum necessaria in ordinatione presbyteri, non est illa quæ datur in fine missæ, sed illa qua ab initio ordinationis episcopus tangit caput ordinandi, super eum dein extendens manus [1]. Quoad *formam,* nota

---

[88] De hac diaconorum superbia vide etiam HERGENR. II p. 142-3.

[89] Non independenter ab episcopo, sed vera jurisdictione, ut nunc est de parochis.

[90] Cf. PESCH *De Eccl.* n. 361.

[91] Philip. **1**. 1.

[92] Act. **20**. 17-8.

[93] EPIPH. *Hær.* 75 n. 5.

[94] IREN. *Adv. hær.* III c. 14 n. 2.

[1] BONAV., ALPH., PERRONE, FRANZ., DE AUGUST., LEHMKUHL, PESCH n. 622. — Manus extensio supra ordinatos communiter dicitur *secunda* impositio, sed videtur potius moralis quædam permanentia *primæ*. - Ut vidimus n. 434 *not. 43* VALENTIA putat materiam essentialem esse solam *traditionem* instrumentorum,

CONC. TRID. definiens non frusta dici ab episcopo *Accipe Spiritum S.*[2], non statuisse formam sacramenti, sed vindicasse rationem sacramenti ordinationi in qua illa verba proferuntur ; in ordinatione enim sacerdotis dicuntur in fine missæ, quando sacerdos jam est ordinatus[3]. Quoad *ministrum* tene ordines minores etiam a simplici sacerdote ex delegatione R. P. posse conferri[4], ut autem episcopus licite ordinet, jurisdictionem in ordinatum habere debet[5]. In ordinatione episcopi, ordinarie tres consecratores adhibentur; ad valorem tamen sacramenti unum sufficit, imo ex indulto pontificio etiam *licet*, sicut concessum est a GREG. M. S. Aug. pro *Anglis*, a GREG. XIII Patriarchæ Æthiopiæ, et ab ALEX. VII et INNOCENT. X pro quibusdam aliis[6]. In *subjecto* pro licita susceptione ordinis insequentis requiritur receptio et exercitium ordinum præcedentium, interstitiorum exitus vel dispensatio, ætas a jure statuta, et approbatio episcopi consequens testimonium de scientia[7]. *Fructus* sacramenti est gratia et character; sed an collatione ordinis superioris infundatur semper novus character adæquate distinctus a præcedenti, disputatur a theologis[8].

460. **Errores - Veritas.** De *materia* et *forma* sunt potius theologorum opiniones, quam errores fidei; de *ministro* vero errarunt AËRIUS, WICLEFFITÆ, NOVATORES et PRESBYTERIANI qui, presbyteros episcopis æquantes, potestatem ordinandi omnibus sacerdotibus concessere[9]. — **Veritas** est definita in CONC. TRID.: « S. q. d., episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem...; a. s. »[10].

THES. 70. *Sacramenti ordinis — 1 materia essentialis sola manuum impositio esse videtur, — 2 forma vero est oratio quam manus imponendo profert episcopus.*

BELLAR. vero, LUGO, VASQUEZ, WICERBURG., BILLOT esse dicunt *utramque*, impositionem scil. manuum et traditionem instrumentorum.

[2] CON. TRID. sess. 23 cn. 4.

[3] Supra n. 447, 452.

[4] CONC. NICÆN. II cp. 14 ; GELAS. *epist.* 9 c. 6; ALEX. III in *Decret. Greg.* IX I tit. 13 c. 1.

[5] CONC. TRID. sess. 23 c. 8.

[6] PESCH n. 649-70.

[7] De his agit theol. moralis.

[8] DURAND. characterem constituit in mera deputatione. Characterem episcopalem alii adæquate distinguunt a sacerdotali (BELLARM., VALENTIA, PESCH), alii, considerantes invalide ordinari episcopum qui non est sacerdos, tenent esse extensionem characteris sacerdotalis (PALUD., CONINCK, SYL. MAUR. [apud *Pesch* n. 638], BILLOT *th. 31* p. 286.)

[9] Supra n. 434.

[10] CONC. TRID. sess. 23 cn. 7.

461. **Prima pars.** *Materia essentialis ordinis sola manuum impositio esse videtur.* Nam Patres constanter impositioni manuum tribuunt ordinationem sacerdotalem et episcopalem, quin traditioni instrumentorum quidquam adscribant [11]. Accedit quod materia sacramentorum, utpote divinæ institutionis, est immutabilis: atqui primis temporibus instrumentorum traditio non fuit (imo nec esse potuit, siquidem diaconi et episcopi ante evangeliorum scriptionem sunt instituti), nunc autem abest in Ecclesia Græca, quæ sola impositione manuum ordinat: ergo.

462. **Secunda pars.** *Forma est oratio quam, manus imponendo, profert episcopus.* Nam forma materiam comitari debet: atqui cum manus imponit episcopus *orationem* pro ordinando fundit: ergo. Revera legimus Apostolos diaconos, presbyteros et episcopos ordinasse impositione manuum et *oratione* [12], et MARTÈNE probat verba *Accipe Spiritum S.* recentioris esse institutionis, dum antiquitus sola oratione conficiebatur sacra ordinatio [13]; quod patet etiam ex DIONYS. qui, agens de consecratione diaconi, ait: « Supra caput habet dexteram pontificis ipsum consecrantis, et ab eo consecratur *invocationibus* ad ministrorum consecrationem accomodatis » [14].

THES. 71. — 1 *Minister sacramenti ordinis est solus episcopus,* — 2 *subjectum baptizatus masculini sexus,* — 3 *effectus vero gratia sanctificans et character.*

463. **Prima pars.** *Solus episcopus est minister sacramenti ordinis.* Nam in **Scripturis** ordinationes constanter tribuuntur episcopis, scil. Apostolis [15], Paolo et Barnaba [16], Timotheo [17] et Tito [18]. — **Patres**

---

[11] CORNELIUS († 253) apud *Euseb.* H. E. VI c. 43; CYPR. († 258) *Epist.* 67 n. 5; BASIL. († 379) Epist. can. *ad Amphil.* cn. 1; EPIPH († 403) *Hær.* 75 n. 4; INNOC. I († 417) *Epist.* 17 ad episc. Maced. c. 3; HIER. († 420) in *Isai.* XVI c. 58; LEO M. († 461) *Epist.* 12 c. 2. Cf. *Pesch* n. 624; *Hergenr.* II p. 157.

[12] Act. **6.** 6; **13.** 3; **14.** 22.

[13] MARTÈNE apud *Pesch* n. 631. Etiam MANY *De Sacr. ordin.* n. 259 notat quod « ex omnibus formis, quæ occurrunt in variis ritibus tum latinis, tum orientalibus, forma continet semper *orationem,* qua pontifex Deum adprecatur ut mittat Spiritum S. ad hoc, ut ordinatus recipiat dignitatem ordinis determinati, eoque rite et digne fungatur ».

[14] DIONYS. *De Hier. Eccl.* c. 5 n. 23.

[15] Act. **6.** 6.

[16] Act. **14.** 22; 1 Tim. **1.** 6.

[17] 1 Tim. **3.** 1 sqq.; **5.** 22.

[18] Tit. **1.** 5.

hanc doctrinam *practice* docuerunt, cum validos non habuerunt ordines collatos a simplicibus presbyteris, ut patet ex ATHAN. reprobante ordinationem Ischyræ, eo quod Colluthus, qui eum ordinaverat, non erat episcopus [19]; approbantes e contra ordinationes factas per episcopos, sicut de monaco Mose audivimus a THEOD. [20]. *Theoretice* hanc doctrinam Patres aperte testarunt dicentes presbyterum facere omnia quæ episcopus, *excepta ordinatione* [21]; quippe episcopi *ordinatione superiores sunt* sacerdotibus [22]; non enim presbyter jus habet imponendi manus, nec potest gignere *patres* Ecclesiæ, sed *filios* tantum *regenerationis lotione* efficere [23]. Congruit et **ratio**; sicut enim in profanis solus princeps de plebe eligit eos, quos ad publica munia deputat; ita in sacris soli episcopi, qui Ecclesiæ sunt principes, administratores mysteriorum Dei debent constituere.

464. **Secunda pars.** *Ordinis subjectum est tantum mas baptizatus* [24]. De necessitate *baptismi* nihil est specialiter addendum; baptismus enim est sacramentum regenerationis, quo homo fit membrum Ecclesiæ, capax eorum quæ ad Ecclesiam pertinent [25]. Quod vero attinet ad *sexum*, nota quod in **Scripturis** non sunt exempla feminarum, quæ ad sacra officia impositione manuum sint destinatæ; Apostolus vero prohibet mulieri *docere* aut *dominari in virum* [26], *turpe est enim mulieri loqui in ecclesia* [27]; qui autem sacro ordine ad cultum Dei destinantur, debent ex officio prædicare in ecclesia et fidelium cœtui præesse. — **Ex Patribus** TERTUL. damnat quasdam hæreticas mulieres quæ audebant docere, exorcismos agere et baptizare [28]: et EPIPH. ait: « Numquam, ex quo mundus conditus est, sacerdotio est functa mulier... si sacerdotium mulieribus mandatum foret... nulli potius quam Mariæ illud in N. T. committi sacerdotii officium debuit... Episcoporum ac presbyterorum successiones sunt in domo Dei constitutæ, nec inter illos tamen mulier ulla coaptata legitur » [29]. — **Ratio** est quia « sacramentum est

---

19 ATHAN. *C. Arian.* n. 12.
20 THEOD. *Hist. Eccl.* IV c. 20.
21 HIER. *Epist.* 146 n. 1.
22 CHRYS. in 1 *Tim.* hom. 11.
23 EPIPH. *Hær.* 75 n. 4.
24 S. THOM. *(Suppl.* q. 39 a. 2) in episcopo ordinando requirit *usum rationis,* sed communiter negatur.
25 Cf. supra n. 52, 121.
26 1 Tim. **2.** 12.
27 1 Corinth. **14.** 35.
28 TERTUL. *Præscr.* n. 41.
29 EPIPH. *Hær.* 79 n. 2.

signum, (unde) in iis, quæ in sacramento aguntur, requiritur non solum res, sed significatio rei... Cum igitur in sexu femineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subjectionis habet, ideo non potest ordinis sacramentum suscipere »[30].

465. **Tertia pars.** *Sacramenti ordinis effectus est character et gratia sanctificans.* Sacramentum ordinis imprimere *characterem* ostendimus in tractatu de *Sacram. in Genere*[31]; conferre autem *gratiam*, expresse docet Apostolus, cum hortatur Timotheum ut resuscitet gratiam, quæ data ei erat per impositionem manuum suarum[32]. — Cum vero gratia sacramentalis addat communi specialia auxilia ad agenda ea, quæ ad sacramenti finem spectant[33], patet ordinem cum gratia habituali conferre jus ad gratias actuales necessarias pro implemento onerum sacerdotalium. — Ex doctrina tandem de reviviscentia sacramentorum[34] sequitur eum, qui sacrilege vel tepide ordinem suscepit, pœnitentiâ et fervore ordinationis gratiam posse resuscitare et augere.

466. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** CONC. FLORENT. aperte docet materiam sacramentorum esse traditionem instrumentorum: ergo sola manuum impositio non sufficit[35]. **Resp.** CONC. FLOR. non dixit de materia *essentiali*, siquidem de manuum impositione siluit, sed *integrantem* et secundariam ex Latinorum usu Græcis suadere voluit[36].

467. **Objic. 2.** Christus primos sacerdotes consecravit verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*[37]: ergo hæc est forma sacramenti ordinis. **Resp.** An Christus illis verbis sacerdotalem characterem singulis apostolis impresserit, vel solum instituerit officium sacerdotale, disputant theologi[38]; hoc tamen concesso[39], nil contra thesim sequitur, siquidem Christus sine sacramentis sacramentorum effectum operabatur[40]. Quæ fuerit materia et forma sacramenti ordinis ex aliis testimoniis Scripturæ et ex Patribus, juxta prædicta in thesi, scimus.

468. **Objic. 3.** Episcopus, tradens calicem, dicit: *Accipe potestatem*

---

30 S. THOM. *Suppl.* q. 39 a. 1.
31 Supra n. 55.
32 1 Tim. **4.** 14; 2ª **1.** 6.
33 Supra n. 46, 49.
34 Supra n. 89.
35 CONC. FLOR. *Decr. pro Armenis.*
36 BENED. XIV apud *Pesch* n. 628.
37 Luc. **22.** 19; 1 Corinth. **11.** 24.
38 BELLARM. *de Rom. Pont.* I c. 23; supra n. 434 *not. 32.*
39 Hoc conformius videtur verbis CONC. TRID. sess. cn. 2: « S. q. d., illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse apostolos sacerdotes....; a. s. »
40 Supra n. 58.

offerendi sacrificium: ergo tunc confert sacerdotium, et quia forma materiæ coëxistere debet, patet instrumentorum traditionem esse de essentia sacramenti [41]. **Resp.** Prædicta verba episcopi sunt potius declarativa quam collativa ordinis, sicut jam prædictum est de verbis *Accipe Spiritum S.*, quæ episcopus profert in fine missæ [42].

469. **Objic. 4.** Verba quæ episcopus profert in secunda manuum impositione sunt « mera deprecatio, seu imploratio gratiæ, cum tamen constet formam Ordinis debere esse non deprecativam, sed assertivam sive imperativam, prout exigit ea, quæ tunc fit, investitura potestatis » [43]: ergo non pertinent ad formam sacramenti. **Resp.** In collatione sacramenti non tam verborum sonus, quam sensus est reputandus; formam autem ordinis orationis speciem posse induere, patet, ut vidimus, ex Scripturis et ex Patribus [44].

470. **Objic. 5.** Docet Apostolus Timotheum esse ordinatum cum impositione manuum *presbyterii* [45]: ergo simplices sacerdotes possunt ordinare. **Resp.** Timotheus est ordinatus a Paulo [46]; loco autem citato presbyteri sunt episcopi [47] assistentes [48].

471. **Objic. 6.** Juxtam antiquam traditionem presbyteri alexandrini consecrabant proprium episcopum: ergo potestas ordinandi non est prærogativa episcoporum [49]: ergo. **Resp.**. Objecta traditio, quæ sæc. 4 apparet contra manifesta testimonia ATHAN., EPIPH., THEOD., HIER. [50], fictio est arianorum contra S. Athanasium; « textus vero CLEMENTIS et ORIGENIS, sicut eorum silentium, contrarium potius ostendunt » [51].

472. **Objic. 7.** In Scripturis commemorantur *diaconissæ* [52] et in primitivis documentis *presbyteræ* et *episcopæ:* ergo sacri ordines mulieribus possunt conferri. **Resp.** *Presbyteræ* et *episcopæ* non habebant officium sacrum, sed erant uxores vel parentes sacerdotum et episcoporum [53]. « Porro *diaconissarum* officium erat infirmas mulieres invisere, catechumenas instruere, presbyteris fœminas baptizantibus pudoris et honestatis causa ministrare » [54], mulieribus ad ecclesiam accedentibus sedes assi-

---

41 BILLOT *th. 30* p. 275.

42 Supra n. 447.

43 BILLOT p. 272.

44 Supra n. 462

45 1 Tim. **4**. 14.

46 2 Tim. **1**. 7.

47 Sæpe episcopos in Scripturis dici presbyteros vidimus n. 455.

48 PADOV. in *1 Tim.* p. 181–2.

49 DUCHESNE *Storia d. Ch. Ant.* I p. 54.

50 Supra n. 463.

51 F. CABROL *Dict. d'Arch. chret.* I p. 1210.

52 Rom. **16**. 1.

53 P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 1 c. 4 a. 3 in fine. — PESCH n. 611 notat aliquando præfectam diaconissarum esse vocatam presbyteram.

54 PADOV. in *1 Tim.* p. 167; HERGENR. I p. 266.

gnare [55]; at numquam inter clericos sunt computatæ [56], nec sacro ordine exornatæ [57].

CAPUT II.

De Matrimonio.

473. **Historia dogmatis et divisio capitis.** Matrimonium a Deo in prima hominis conditione institutum [1], et in V. T. pro re sacra jam habitum [2], in N. T. ad originariam monogamiam et indissolubilitatem est restitutum per Christum [3], qui insuper illud ad dignitatem sacramenti evexit [4], sicut Apostolus promulgavit [5]. Doctrinæ sui magistri fidelis custos Ecclesia, licet cum Paulo virginitatem conjugio prætulerit [6], eamque a primis sæculis suis ministris consuluerit [7], matrimonium tamen non solum licitum habuit, sed uti rem sanctam episcopi benedictione sacravit [8]. At ab ipsis Ecclesiæ incunabulis non defuerunt hujus sacramenti inimici; ut enim taceamus de illis qui, apostolico jam tempore, dicebant a diabulo inductas esse nuptias [9], quosque Paulus damnavit [10], **sæc. 2-4** GNOSTICI [11], MANICHÆI [12] et PRISCILLIANISTÆ [13] simpliciter reprobarunt matrimonium, MONTANISTÆ [14] vero et NOVATIANI [15] secundas nuptias respuerunt, unde

---

[55] CONST. APOST. II c. 57–8.

[56] CONST. APOST. II c. 26 expresse præcipit ut « ad diaconum vel episcopum nulla mulier sive diaconissa accedat ».

[57] PESCH n. 605.

[1] Gen. **1**. 28; **2**. 18.

[2] Prov. **2**. 18; Malach. **2**. 14.

[3] Matth. **19**. 4–10.

[4] Christus sacramentalem rationem matrimonii adumbravit cum sua præsentia sanctificavit nuptias in Cana (Joan. **2**. 1–11), sed quando instituerit nescimus.

[5] Ephes. 5. 31-2.

[6] 1 Corinth. **7**. 7, 38.

[7] DUCHESNE *Stor. d. Ch. ant.* I p. 288 contendit cœlibatum clericorum inductum esse *sæc. 4*, ne clerici viderentur inferiores virginibus. Sed hoc non tantum adversatur sanctitatem Ecclesiæ, quæ humanis finibus non regitur, sed *historiam*. Etsi enim ante sæc. 4 Ecclesia non *præceperit* cœlibatum (HERGENR. I p. 396), Apostolorum tamen exemplum secuta, a primis temporibus in usu habuit et laudavit, ut patet ex TERTUL., ORIG., qui floruerunt sæc. 3, et ex testimonio EPIPH. *Hær.* 48 n. 9 Cf. etiam HERGENR. I p. 267.

[8] HERGENR. I p. 285.

[9] HERGENR. I p. 137.

[10] 1 Tim. **4**. 1-3.

[11] SIMON apud *Aug.*, SATURNINUS apud *Iren.* — Accesserunt MARCIONITÆ apud *Hier.*, EUCRATITÆ apud *Epiph.*, ADAMIANI apud *Aug.* Cf. *Bellarm.* De Matr. c. 1.

[12] HERGENR. I p. 377.

[13] HERGENR. II p. 127.

[14] HERGENR. I p. 229.

[15] DE AUGUST. *De Matr.* a. 7.

ab *Iren., Tertul., Orig., Epiph., Ambr., Aug., Cyril.* Alex., etc. sunt impugnati [16] et damnati universali praxi Ecclesiæ [17] quæ in *Conc. Tolet.* est confirmata [18]. **Sæc. 4-7** multi in Oriente solutionem vinculi ob fornicationis causam sunt professi, sed negativa sententia, Occidentalium maxime ope, prævaluit [19]. **Sæc. 5** JOVINIANUS et VIGILANTIUS virginitati matrimonium prætulerunt, sed impugnati sunt a *Hieron.* et *Aug.*, ac proscripti a *Siricio* [20]. **Sæc. 9** GRÆCI contra laicorum cœlibatum insurrexerunt [21], sed Occidentales, qui post *Conc. Nicæn.* decretis *Siricii, Innoc. I* et *Leon. M.* ac plurium *Synodorum* etiam pro diaconis et subdiaconis illum firmaverant [22], laboribus *Hincmari, Æneæ* Paris. et *Ratramni* [23] strenue defenderunt, unde post luctas *Leon. IX, Steph. X* et *Greg. XII* adversus clericos concubinarios, in *Conc. Later. II* (a. 1159) clericorum conjugia nulla sunt declarata [24]. **Sæc. 12** ALBIGENSES liceitatem nuptiarum aggressi sunt [25], unde et proscripti sunt ab *Innoc. II* et *Luc. III* [26]. Quod autem imprudenter **sæc. 14** DURANDUS scripserat contra veritatem sacramenti matrimonii [27], **sæc. 16** ad exitum duxerunt REFORMATORES, rationem sacramenti ab eo amoventes [28], polygamiam [29] et divortium [30] approbantes, ac potestatem Ecclesiæ imponendi impedimenta negantes [31]. Hi sunt impugnati a *Thom.* Wald., *J. Roffensi, Alphons.* a Cast., *Tappero, Hosio, J. Eckio, Bellarm.*, etc. [32], et proscripti in *Conc. Trid.* [33], cujus præcipua documenta suo loco dabimus. **Sæc. 17-8** JANSENISTÆ et REGALISTÆ potestatem Ecclesiæ in re matrimoniali *dependentem* fecerunt a Statu [34], GALLICANI vero dixerunt *non exclusivam,* quasi Status posset

---

16 Testimonia dabimus in thesibus.

17 HERGENR. I p. 285. Aliqui tamen ut *Athen., Clem.* Alex., *Herm., Orig.*, etsi absolute secundas nuptias non reprobarent, valde eas adversabantur. HERGENR. *l. c.*

18 DENZINGER n. 104 et 129.

19 HERGENR. II p. 195. — **NB.** Græcis schismaticis accesserunt CAJET., CATHAR., LAUNOY apud *De August.* De Matrim. a. 8.

20 HERGENR. II p. 172-3.

21 HERGENR. III p. 301 sqq. et 333.

22 HERGENR. II p. 160.

23 HERGENR. III p. 303 sq.

24 SCUOLA CATT. *Marzo* 1911 p. 400.

25 S. ANTON. *Sum. Theol.* p. 4 t. 11 c. 2 § 5.

26 Apud *Denzinger* n. 309, 339.

27 DURAND. *IV Dist.* 26 q. 3.

28 LUTHER, CALV. etc. apud *Bell.* De Matr. c. 1.

29 LUTHER et ANABAPT. apud *Bellarm.* l. c. c. 10. — Excessu contrario CALV. (apud *De August.* l. c.) polygamiam simultaneam dixit contra prima præcepta naturæ; unde et de peccato damnavit Patres V. T. qui plures duxerant uxores.

30 LUTHERANI, CALVINISTÆ, ANABAPTISTÆ apud *Bellarm* l. c. c. 15.

31 MELANCHTHON, BRENZ, KEMN. apud *Bellarm* l. c. c. 32.

32 BELLARM. *De Matr.* exord.

33 CONC. TRID. sess. 24.

34 DE DOMINIS, J. LAUNOY, FEBRONIUS, JOSEPHISTÆ, SCIP. DE RICCIS, etc. apud *Hergenr.* VI p. 408, VII p. 225, 238; DE AUGUST. *De Matr.* a. 9.

jure proprio et independenti quædam impedimenta superaddere his, quæ ab Ecclesia constituuntur [35]: impugnati sunt a *Ballerini, Zacharia, Schmidt,* etc [36], ac proscripti a *Pio VI* [37]. **Sæc. 19** JURISTÆ LIBERALES matrimonium prætulerunt virginitati, clericorum cœlibatum quasi naturæ contrarium vituperarunt, et, distinguentes inter matrimonium sacramentum et officium naturæ, hoc subjecierunt legibus Status, impedimentis Ecclesiæ spretis [38]: a theologis nostræ ætatis sunt eversi, et damnati a *Pio IX* et *Leone XIII* [39]. **Sæc. 20** MODERNISTÆ non solum objurgant cœlibatum clericorum [40], sed ipsam notionem sacramenti evertunt, ex evolutionis principiis serius inductum blaterantes [41]; quare a *Pio X* sunt proscripti [42]. — Ex his patet quod *prima* lucta ex corruptione morum [43] orta est contra honestatem matrimonii, *secunda* ex novitatis insania contra existentiam sacramenti, *tertia* ex statolatiæ principiis contra naturam sacramenti. Ut autem breviter simul et clare matrimonii inimicos impugnemus, caput in quinque articulos dispescimus: 1 *De matrimonio naturali et cœlibatu,* — 2 *De sacramenti existentia et natura,* — 3 *De his quæ ad sacramenti rationem pertinent,* — 4 *de ejus proprietatibus* et — 5 *regimine.*

ART. 1 - DE MATRIMONIO NATURALI ET CŒLIBATU.

474. **Quid matrimonium.** Conjunctio maris et fœminæ in ordine ad procreationem prolis dicitur matrimonium, nomen habens

---

35 His accesserunt P. SOTO, CATHARINUS et SANCHEZ apud *Pesch* n. 881.

36 HERGENR. VII p. 225.

37 PIUS VI Bulla *Auctorem fidei* 28 Aug. 1794; Epist. ad ep. *Motul.* 16 sept. 1788; BENED. XIV ad card. *Ebor.* a. 1749; PIUS VIII *Enc.* 24 Maî 1829; GREG. XVI *Enc.* 15 Aug. 1832; PIUS IX *Brev.* 22 aug. 1851; LEO XIII Enc. *Arcanum* 10 Febr. 1880.

38 In *Syllabo* PII IX pr. 65. 74.

39 *Enc.* et *All.* PII IX vide in *Syll.* l. c. apud *Denzinger* n. 1613-23; LEO XIII Enc. *Arcanum.*

40 PIUS X Enc. *Pascendi:* « Sunt qui, magistris protestantibus dicto lubentissime audientes, sacrum ipsum in sacerdotio cœlibatum sublatum desiderent ». FOGAZZARO *Il Santo* p. 45. Accedunt IL GRISOSTOMO (Ephem.) *Il Sett.* 1902; DUSCHESNE *St. d. Ch. Ant.* I p. 288.

41 DECR. *Lament.* pr. 51. « Matrimonium non potuit evadere sacramentum novæ legis nisi serius in Ecclesia; siquidem ut matrimonium pro sacramento haberetur, necesse erat ut præcederet plena doctrinæ de gratia et sacramentis theologica explicatio ».

42 PIUS X Enc. *Pascendi;* DECR. *Lament.* pr. 51.

43 Dicimus ex *corruptione morum,* siquidem GNOSTICI el MANICHÆI liberum congressum permittebant.

a *matre*[1], quia « mulier ad hoc principaliter facta est, ut sit hominis adjutorium prolis »[2]. Potest considerari ut *actus* et ut *status:* primo modo est *legitimus maritalis contractus,* quo conjuges individuæ vitæ consuetudinem assumunt[3]; altero definitur: *Viri et mulieris conjunctio maritalis inter personas legitimas, individuam vitæ consuetudinem retinens*[4]. Dicitur *conjunctio,* quia matrimonium importat adunationem, qua ex duobus fit unum[5]: *viri et mulieris,* quia differentia sexus est de essentia hujus societatis, et singularitas utriusque conjugis ejus naturalis proprietas: *conjunctio maritalis* seu ordinata ad maternitatem, quia confert dominium in corpus alterius in ordine ad generationem[6]: *inter personas legitimas,* quia contrahentes esse debent *juxta leges* habiles ad unionem maritalem[7]: *individuæ vitæ consuetudinem retinens,* quia matrimonium est *status permanens* et *insolubilis,* quo conjuges bonorum communione ad unitatem vitæ ducendam perpetuo vinciuntur[8].

475. **Multiplex matrimonii finis.** « Matrimonium principaliter est institutum ad bonum prolis... promovendæ ad perfectum statum »[9]: sed huic alii superadduntur fines. Cum enim prolis educatio obtineri nequeat sine perenni et individua viri et mulieris societate[10], secundarius conjugii finis est « ipsa diversi sexus naturæ instinctu expetitæ societas, mutui auxilii spe conciliata; ut alter alterius ope adjutus, vitæ incommoda facilius ferre et senectutis imbecillitatem sustentare queat »[11]. Nec obliviscendum post peccatum matrimonium esse quoque remedium contra fomitem concupiscentiæ, « ut scil., qui sibi suæ imbecillitatis conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur. De quo ita Apostolus[12] scribit: *Propter fornicationem*

---

[1] Quinque notiones etymologicas proponit S. THOM. *Suppl.* q. 44 a. 2; præcipuæ tamen sunt duæ, « *matrimonium* scil., ut AUG. dicit *(C. Faust.* XIX c. 26), ex hoc (nomen habet) quod mulier non debeat ob aliud nubere, nisi ut *fiat mater.* Potest etiam matrimonium quasi *matris munium,* i. e. officium dici, quia fœminis incumbit maxime educandæ prolis officium ».

[2] S. THOM. *l. c.* ad 1.

[3] Hoc sensu, ut infra videbimus, matrimonium christianorum est sacramentum.

[4] MAG. SENT. *Dist.* 4 q. 17.

[5] S. THOM. *Suppl.* q. 44 a. 1.

[6] BILLOT *De Sacr.* II p. 313.

[7] De hoc dicemus infra a. 5.

[8] *Vita* quæ ponitur in definitione matrimonii, non est *physica* individuorum sed *domestica,* qua conjuges, unum ens morale constituentes, habent actus communes ad *unum* finem generationis et educationis prolis ordinatos. S. THOM. *Suppl.* q. 44 a. 1.

[9] S. THOM. *Suppl.* q. 59 a. 2.

[10] S. THOM. *Suppl.* q. 67 a. 1.

[11] CATECH. ROM. p. 2 c. 8 n. 13. — Cf. Eccle. **4**. 9–12.

[12] 1 Corinth. **7**. 1. — Notat tamen

unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat » [13].

476. **Votum virginitatis matrimonio non contradicit.** Nam matrimonium consistit etiam sine ejus usu. « Dicendum, inquit S. THOM., quod duplex est integritas: una quæ attenditur secundum perfectionem primam, quæ consistit in *esse* rei; alia quæ attenditur secundum perfectionem secundam, quæ consistit in *operatione*. Quia ergo carnalis commixtio est quædam operatio, sive usus matrimonii per quod facultas ad hoc datur; ideo erit carnalis commixtio de secunda (matrimonii) integritate et non de prima » [14]. Hinc vidimus B. V. M. verum matrimonium contraxisse cum S. Joseph [15]; « neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Joseph: Noli timere *accipere Mariam conjugem tuam*. Conjux vocatur ex prima fide desponsationis..., nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnalis commixtio » [16].

477. **Errores - Veritas.** *Defectu* contra matrimonium ut naturæ officium peccaverunt GNOSTICI, MARCIONITÆ, MONTANISTÆ, MANICHÆI, PRISCILLIANISTÆ et ALBIGENSES absolute reprobantes conjugium, vel saltem secundas nuptias damnantes: *excessu* JOVINIANUS, VIGILANTIUS, GRÆCI SCHISMATICI, REFORMATORES, JANSENISTÆ, REGALISTÆ, LIBERALES et MODERNISTÆ matrimonium prætulentes statui virginitatis, et clericorum cœlibatum improbantes [17]. — **Veritas.** *Bonitas nuptiarum* contra Priscillianistas definita est in CONC. TOLET. « S. q. d. vel c., conjugia hominum, quæ secundum legem divinam licet habere, execrabilia esse; a. s. » [18]; *excellentia virginitatis* et *cœlibatus* supra matrimonium definita est contra Reformatores in CONC. TRID.: « S. q. d., statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis et cœlibatus...; a. s. » [19].

CORNELY in *h. l.* p. 164-5 Apostolum non loqui de matrimonio *ineundo* ad *concupiscentiam sedandam,* sed de *usu matrimonii contracti* quod præcipit conjugibus, cum imminet periculum incontinentiæ. De matrimonio contrahendo sunt verba v. 9: *Si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri.*

[13] CATECH. ROM. *l. c.* n. 14. — **NB.** Hoc sensu sunt exponendi Patres qui exaggerando dicunt nuptias esse inductas ob Adami iniquitatem, vel Adam ante peccatum ignorasse matrimonii jura. IREN. *Adv. hær.* III c. 32 n. 4; ATHAN. in *Ps.* **50**. n. 7; GREG. Nyss. *De opif. hom.* c. 17; DAMASC. *De fide orth.* II c. 11; IV c. 17.

[14] S. THOM. *Suppl.* q. 42 a. 4.

[15] Vol. 3 n. 244.

[16] AUG. *De nupt. et conc.* I c. 11.

[17] Supra n. 473.

[18] CONC. TOLET. cn. 16; LEO M. *ad Turr.* c. 7.

[19] CONC. TRID. sess. 24 cn. 10.

THES. 72. *Matrimonium ut naturæ officium* — 1 *res est bona,* — 2 *ipsi tamen præstat status virginitatis et cœlibatus,* — 3 *maxime cum de clericis agitur.*

478. **Prima pars.** *Matrimonium uti naturæ officium licet.* **Ex Scripturis.** Nam in V. T. Deus, qui masculum et feminam creavit [20], Evam adduxit ad Adam [21], ut ex ea filios procrearet [22]; quare Adam naturam et officium matrimonii divino instinctu [23] docens, ait: *Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una* [24]. In N. Testamento Christus, nuptiis in Cana adstans [25], ut notat AUG., « confirmare voluit quod ipse fecit nuptias » [26]; Paulus vero non tantum matrimonium laudat [27], sed ejus usum conjugibus præcipit [28]: atqui repugnat quod Deus faciat, approbet, vel præcipiat aliquid illicitum: ergo. — **Patres** cum AUG., quem modo audivimus, docent quod Deus fecit nuptias, et cum IREN., EPIPH., HIER. etc., de hæresi damnant eos qui nuptias respuunt [29]. — **Ratio** est quia quælibet natura tendit ad conservationem suæ speciei: atqui matrimonium est necessarium ad conservationem humanæ speciei: ergo. PROB. MIN. Nam, ut notat S. THOM., « non intendit natura solum generationem prolis », ad quam requiritur et sufficit actus conjugalis, « sed etiam traductionem usque ad perfectum statum hominis in quantum homo est, qui est virtutis status. Unde secundum Philosophum [30] tria a parentibus habemus *esse, nutrimentum* et *disciplinam.* Filius autem a parentibus educari et instrui non posset, nisi determinatos et

---

20 Gen. **1**. 27, **2**. 21-2.

21 Gen. **2**. 22.

22 *Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini.* Gen. **1**. 28.

23 Adam *divino instictinctu* locutum esse, non solum constat ex eo quod Apostolus (1 Corinth. **6**. 16 et Ephes. **5**. 31) testimonium adhibet uti Scripturam, sed etiam ex aperta declaratione Christi, qui (Matth. **19**. 4-5) Deo tribuit. Cf. KNAB. in *Matth.* II p. 140-1.

24 Gen. **2**. 23-4. Exprimi *statum* maritalem, ordinatum ad generationem, patet ex verbis *erunt duo in carne una,* quæ hæbraica locutione dicunt conjuges esse « unum quasi corpus, quia unum integrum ad finem matrimonii constituunt ». KNAB. *l. c.*

25 Joan. **2**. 1 sqq.

26 AUG. in *Joan.* tr. 9 n. 2.

27 1 Corinth. **6**. 28; Hebr. **13**. 4.

28 1 Corinth. **6**. 2-5.

29 IREN. *Adv. hær.* I c. 30; EPIPH. *Hær.* 46; HIER. *C. Jovin.* I; AUG. *Hær.* 25.

30 ARIST. *Ethic.* c. 11 et 12.

certos parentes haberet, quod non esset, nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quæ matrimonium facit »[31]. Matrimonium ergo a natura præcipitur, ac proinde licitum omnino est.

479. **Secunda pars.** *Matrimonio præstat status virginitatis et cœlibatus.* Nam **Scripturæ** statum virginitatis proponunt uti statum perfectorum[32], cui specialia bona repromittuntur[33], quique proinde, non una de causa, *simpliciter loquendo*[34], matrimonio anteponendus est[35]. Hinc Christus, vere *sponsus, qui pascitur inter lilia*[36], fœcunditatem cum virginitate in sua matre conciliavit[37], patrem suum putativum virginem esse voluit[38], atque Joannem ex discipulis plus amavit, quoniam specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum[39]. — **Patres** docent *a*) « bonum (quidem esse) conjugium, per quod inventa est posteritas successionis humanæ, sed meliorem virginitatem, per quam regni cœlestis hæreditas adquisita (est), et cœlestium meritorum reperta successio »[40]. Item, affirmant *b*) virgines præ conjugatis gloriosius nomen habere et excellentius in cœlo præmium[41]: *c*) virginitatis statum ad angelicam dignitatem evehere humanam naturam[42]: *d*) hominem, qui cœlibem vitam ducit virtutis amore, esse purissimum Dei templum et acceptissimum Deo holocaustum[43]: *e*) virgines a cœlesti sponso donari regno, auro ac pulchritudine[44]: *f*) hominem virginitate anticipare gloriam resurrectionis[45]: *g*) virginem, quin reipublicæ terrenæ damnum afferat, eam potius augere: et suis exemplis, precibus atque operibus filios

---

31 S. THOM. *Suppl.* q. 41 a. 1.

32 Matth. **11**. 12.

33 *Et cantabant quasi canticum novum...: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Apoc. **14**. 3-4.

34 *Per accidens* consulitur his qui se continere non valent. 1 Corinth. **6**. 9.

35 *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit, melius facit.* 1 Corinth. **7**. 38. — **NB.** Ne dicas Apostolum hæc dicere *privata auctoritate,* siquidem se opponit Domino (v. 12) et affirmat se *putare* quod habeat Spiritum Dei (v. 40); primum enim respicit *privilegium Paulinum* de solutione matrimonii infidelis, de quo Christus nil dixerat; in altero Apostotus « cum modestia sibi eamdem quam reliquis Apostolis divinam inspirationem asserit ». CORNELY in *h. l.* p. 217-8.

36 Cant. **2**. 16.

37 Vol. 3 n. 246.

38 Vol. 3 n. 265.

39 OFFIC. *S. Joan.* 27 Decemb.

40 CONC. MED. Epist. synod. ad *Siricium.*

41 CLEM. ROM. 1 *Ad Virg.* c. 4.

42 CHRYS. *De Virg.* c. 10-11; AUG. *De sanct. Virg.* c. 12-3.

43 HIER. *C. Jovin.* I n. 12.

44 AMBR. *De Virg.* I c. 7 n. 37.

secundum spiritum Christo plurimos parere [46]. — **Ratio** est quia hominis perfectio in unione cum Deo consistit; quo ergo magis homo revocatur a sensibilibus et conjungitur Deo, eo melius perficitur: atqui status virginitatis et cœlibatus revocant a sensibilibus et conjungunt Deo [47]: ergo.

480. **Tertia pars.** *Merito Ecclesia clericis cœlibatum præcepit.* Nam *a*) decet eos, qui in sublimiori statu sunt, sublimiorem vitæ genus agere. Nonne sacerdotis officium est orare [48], SS. Litterarum studio incumbere [49], fidelium curam habere? [50]. Atqui hæc præcipue cœlibatum consequuntur [51]. *b*) Si in V. T. ministrantibus Deo [52], et rebus sacris utentibus [53], præcipiebatur continentia temporanea; quanto magis sacerdotes N. T., qui quotidie sacra debent administrare, ab uxoribus perpetuo abstinere, seu in cœlibatu vivere, debent! Merito ergo Ecclesia, Apostolorum exemplum secuta [54], a remota antiquitate cœlibatum imposuit sacerdotibus [55].

---

[45] CYPR. *De hab. Virg.* c. 22.

[46] AMBR. *De Virg.* I c. 7. Similia habent ORIG. in *Num.* hom. 2 n. 10, 19 sq.; in *Rom.* VI n. 15 sqq.; TERTUL. et METHOD. apud *Hergenr.* I p. 399-40.

[47] *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* 1 Corinth. **6**. 32-3.

[48] Act. **6**. 4.

[49] *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.* Mal. **2**. 7. Cf. Os. **4**. 6.

[50] *Omnis pontifex... pro hominibus constituitur.* Hebr. **5**. 1.

[51] De *oratione* cf. 1 Corinth. **7**. 5, 32, de ceteris vide n. 479 et 481.

[52] INNOC. I ep. ad episc. *Rhotom.* super Lev. **21**. 12.

[53] 1 Reg. **21**. 4-6.

[54] PAULUM fuisse virginem ipsemet testatur in 1 Corinth. **7**. 8; nec contradicit Philip. **4**. 3, ubi σύζυγε γνήσιε non significat *uxorem,* sed, uti Patrum consensus et appositio masculina ostendunt, *socium:* JOAN. item fuisse virginem tota traditio docet: ceteros vero APOSTOLOS uxores reliquisse, non solum testatur HIERON. epist. 48 *ad Pam.* n. 21, sed clare continetur in verbis Petri dicentis Christo se *reliquisse omnia* (Matth. **19**. 27).

[55] Licet primis temporibus absolute non præciperetur, valde tamen laudabatur, atque ab initio sæc. 4 sacris canonibus firmatur *(Hergenr.* I p. 267, 396). — Revera clericorum cœlibatus habet testimonium a TERTUL. († 245) *De exort. cast.;* ORIG. († 254) in *Lev.* hom. 6 n. 6; EUSEB. († 340) *Demonst. Evang.* c. 9; CYR. Hier. († 386) *Catech.* 12 n. 29; SYR. († 399) Epist. ad *Himer.* c. 7; EPIPH. († 403) *Expos. fidei cath.* n. 21; *Hær.* c. 48 n. 9; HIER. († 420) *C. Virgil.* n. 2; *C. Jov.* I n. 34; AUG. († 430) *De conj. adult.* II c. 20 n. 22; LEO M. († 461) *Epist.* 92 ad *Rust. Narb.* necnon a CONC. ELIB. (a. 304), TOLET. I (a. 400), ARAUS. I (a. 441), VENET. (a. 465), AUREL. III (a. 538), WORMAT. (a. 568), AUGUST. (a. 952), LUGD. II (a. 1139). Cf. *De August.* II p. 551 sqq.

481. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Cœlibatus contradicit *naturæ*, quia impedit propagationem generis humani: contradicit *bono individuali*, quia hominem stimulis concupiscentiæ subjicit: contradicit *bono sociali*, quia patriam melioribus civibus privat [56]: ergo est malus. **Resp.** Cœlitatus non contradicit *naturæ*, quia, quæ sunt de necessitate speciei, non obligant singulos [57]: non contradicit *bono individuali*, quia continentiæ incommoda pluribus bonis rependit [58], et gratiâ Dei et custodiâ sensuum concupiscentia quiescit [59], dum victoriæ de carnis stimulis coronas gloriæ multiplicant: non contradicit *bono sociali* [60], quia hoc non sola filiorum multitudine obtinetur, sed maxime artium progressu et caritatis exercitio, quæ cœlibatu valde proficiunt [61].

482. **Objic. 2.** Matrimonium est sacramentum, cœlibatus vero et virginitas quid naturale vel ecclesiasticum: atqui sacramentum præstat rebus naturalibus et ritibus Ecclesiæ: ergo. **Resp.** Difficultas confundit causam status cum ipso statu. Concedo *per se* abundantiorem gratiam acquiri contractu maritali, qui sit sacramentum, quam ritu vestitionis religiosæ vel voto quo status virginitatis vel cœlibatus assumatur; sed nego *statum conjugii* præesse *statui virginitatis vel cœlibatus*. Excellentia status non metitur ex causa, qua inducitur, sed ex meliori ordine ad consecutionem ultimi finis; in statu autem virginitatis et cœlibatus gratia fit abundantior ex *opere operantis* et ex fervidiori sumptione *Eucharistiæ* [62].

ART. 2 - DE SACRAMENTI MATRIMONII EXISTENTIA.

483, **Matrimonium est res sacra.** Matrimonium non esse rem profanam, sed sacram, « testantur monumenta antiquitatis et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore

---

[56] FOGAZZARO *Il Santo* p. 45, et MODERNISTÆ communiter.

[57] S. THOM. *Suppl.* 41 a. 2.

[58] 1 Corinth. 7. 28-34; S. THOM. *Cg.* III c. 136.

[59] « Inquietatio quam homo patitur ex pugna concupiscentiarum est ad aliquam horam, quæ etiam minoratur per hoc quod ei aliquis non consentit: nam quanto aliquis magis delectationibus utitur, tanto magis crescit in eo delectabilis appetitus. Debilitatur etiam concupiscentia per abstinentias et alia exercitia corporalia, quæ conveniunt his qui concupiscentiæ propensionem habent. » S. THOM. *Cg.* III c. 136.

[60] *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coram vitæ.* Jac. 1. 12.

[61] Post HIER., S. THOM. *Suppl.* q. 41 a. 2 probat, etiam auctoritate philosophorum, statum virginitatis *sapientibus* expedire; atque *societatem* juvare. Quis ignorat filiorum cura tempus, divitias, affectus absorbere et sic exercitium caritatis erga alios quamplurimum impedire?

[62] Cur Deus non firmaverit sacramento statum virginitatis diximus n. 430.

juris et æquitatis cognitione præstiterant: quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate conjunctæ »[1]. Hujus intimæ atque universalis persuasionis ratio sumitur ex matrimonii *fine* atque ex ejus *typica relatione ad Christum.* Quoad primum observa hominem naturaliter ordinari in Deum, suum auctorem et ultimum finem; ac proinde præcipuum matrimonii finem non obtineri, nisi filii ad cultum Dei educentur: atqui educare ad cultum Dei res est sacra: ergo. Quoad alterum in mentem revoca Verbum hypostatica unione esse conjunctum naturæ humanæ, et Christum tamquam vivificum caput intime uniri Ecclesiæ[2]: atqui horum optima imago est maritalis unio: ergo matrimonium est signum rei sacræ, ac proinde aliquid sacrum ratione suæ significationis[3]. Analogiam matrimonii ad incarnationem unionemque Christi cum Ecclesia BILLOT in tribus prosequitur, scil. in *fine,* in *operatione* et in *conditione* conjunctorum. « Quippe principalis *finis* matrimonii est proles procreanda et educanda ad cultum Dei; finis autem conjunctionis Verbi cum carne et Christi cum Ecclesia hierarchica est homo ad Dei cultum reparandus, in eoque perficiendus per influxum gratiæ. Insuper, sicut ad obtinendum matrimonii finem requiritur *indivisa opera* viri et mulieris, ita ad finem incarnationis requirebatur theandrica operatio illius qui divinæ pariter et humanæ naturæ hypostasis existeret, requirebatur etiam post redemptionem consummatam indivisus influxus Christi Dei-Hominis et hierarchicæ Ecclesiæ. Sed et præterea, similitudo est *relationum inter conjuncta.* Nam sicut in conjugali unione attenditur consortium vitæ et communicatio jurium, sic tamen ut vir caput existat mulieris, retineatque jus et potestatem regendi, et veluti ad se uxorem assumat, non autem vice versa ab ea assumatur aut mere collateraliter ad eam se habeat: ita omnino proportionales relationes considerari dantur, tum in Ecclesia universali respectu sui capitis Christi, tum in humanitate assumpta respectu divinitatis assumentis in uno eodemque Incarnati Verbi supposito »[4].

484. **Sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum.** Cum in matrimonio sacramentnm non sit aliquid diversum a naturæ officio,

---

1 LEO XIII Enc. *Arcanum.*

2 Hæc explicavimus in trac. *De Verbo incarnato.*

3 « S. THOM. censere videtur hanc significationem mysticam soli matrimonio christiano inesse...; sed revera verba Adami de omni futuro matrimonio legitimo dicta sunt... et cum Apostolus dicit his verbis mysterium significari, omne matrimonium legitimum ab initio usque ad finem mundi dicendum est esse signum unionis Christi cum Ecclesia, id quod etiam SS. Patres docent ». PESCH n. 700.

4 BILLOT *De Sacr.* II p. 304.

sacramentum tantum est moralis contractus quo vir et mulier, dum respective jus in corpus alterius suscipiunt et in proprium tradunt, indivisibilem vitæ consuetudinem in ordine ad procreationem prolis ineunt. *Res et sacramentum* est illud quod contractus maritalis per se primo exprimit, scil. vinculum conjugale quod, utroque conjuge vivente, perseverat, et est ratio reviviscentiæ sacramenti usque ad alterutrius conjugis mortem. *Res tantum* est illud quod vinculum ex Christi ordinatione practice exprimit, scil. *gratia sanctificans cum specialibus auxiliis* quibus conjuges, supernaturaliter propria munia exercendo, perfectam imaginem unionis Christi cum Ecclesia referunt.

485. **Errores - Veritas.** Sacramenti matrimonii *existentiam* negaverunt REFORMATORES: divinam *originem* ignorant MODERNISTÆ dicentes cum CALVINO [5] usque ad tempora Greg. M. inter sacramenta non esse agnitum: *naturam,* seu realem identitatem cum maritali contractu, impugnant REGALISTÆ et JURISTÆ LIBERALES sacramentum subjicientes Ecclesiæ legibus, contractum vero legibus Status [6]. — **Veritas.** Matrimonium esse verum *sacramentum* definitum est in CONC. TRID.: « S. q. d., matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam conferre; a. s. » [7]. Sacramentum a contractu *re non distingui* constat ex prop. damnata in SYLL. *Pii IX:* « Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est » [8].

THES. 73. *Matrimonium christianorum esse unum ex septem sacramentis N. L. — 1 innuit Scriptura, — 2 testantur Patres, et — 3 suadet ratio.*

486. **Prima pars.** *Matrimonium christianorum esse sacramentum probatur ex Scripturis.* **Testimon.** *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* [9]. **Argum.** In hoc testimonio Apostolus loquitur de matrimonio christianorum: atqui matrimonium, de quo loquitur, proponit uti rem intime sanctam seu

---

[5] CALV. *Inst.* IV c. 19 n. 34.
[6] Supra n. 473.
[7] CONC. TRID. sess. 24 cn. 1.
[8] PIUS IX *Syll.* pr. 66; 73; LEO XIII Enc. *Arcanum.*
[9] Ephes. 5. 31-2. — **NB.** CONC. TRID. sess. 24 dicit hoc testimonio sacramentum *innui.*

connexam gratiæ, quod sacramentorum est proprium [10]: ergo. PROB. MAJOR. Agi de *matrimonio* constat ex verbis immediate præcedentibus [11], a pron. *hoc* revocatis [12], quæ naturam et officium matrimonii exhibent [13]: agi vero de matrimonio *christianorum* probatur *ex contextu.* Nam Apostolus epistolam inscribit *omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu* [14], eos vero alloquitur qui erant *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* [15]: quosque vult gratias agere semper *in nomine D. N. J. C. Deo et Patri* [16], atque invicem esse subjectos *in timore Christi* [17]. Licet ergo verba testimonii aliquem sensum habeant in omni matrimonio [18], plenum tamen in solo matrimonio christiano assequi debent. PROB. MIN. ex ratione *signi* et ex *officiis* conjugum. *a*) Et primo quidem ex ratione *signi.* Cum enim Apostolus matrimonium dicit *sacramentum in Christo et in Ecclesia,* profecto docet esse signum unionis Christi cum Ecclesia [19]: atqui signum hujusmodi sola gratia fieri potest, α) quia in N. L. non sunt signa vacua [20], et β) quia Apostolus dicit sacramentum *magnum* seu signum perfectum, sine gratia autem non potest perfecte repræsentari unio Christi cum Ecclesia, quæ tota spiritualis est et sancta [21]: ergo.

---

[10] Non est mirum quod Apostolus causalitatem gratiæ expresse non affirmet; loquitur enim de *vinculo maritali,* quod est *res et sacramentum;* si tamen vinculum est intime connexum cum gratia, seu est titulus ad illam, profecto causa vinculi est etiam causa gratiæ seu sacramentum.

[11] *Relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ: et erunt duo in carne una.* Ephes. **5**. 31.

[12] REFORMATORES, ut argumentum infirmarent, rationem sacramenti seu mysterii non *matrimonio,* sed *Christo* tribuerunt; at nullatenus concedendum est: α) quia Patres unanimiter (GREG. Naz., AMBR., HIER., CHRYS., AUG.) intelligunt de ipso conjugio, β) quia pron. *hoc* revocat aliquid prædictum, et γ) quia græce non est præp. *in* cum abl., sed εἰς cum acc., quæ docet esse in Christo et Ecclesia non signum alterius rei, sed signi terminum. BELLARM. *De Matr.* cp. 2.

[13] Constat et ipsis verbis, maxime si considerentur prout jacent in Gen. **2**. 22-4, de quo sunt sumpta. Cf. n. 478.

[14] Ephes. **1**. 1.

[15] *L. c.* **5**. 8.

[16] *L. c.* 20.

[17] *L. c.* 21.

[18] « Societas nuptiarum ita *ab initio* constituta est, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiæ sacramentum ». LEO M. Epist. 167 ad *Rust. Narb.*

[19] Jam vidimus *(not. 12)* Apostolum relationem matrimonii ad unionem Christi cum Ecclesia exprimere part. εἰς, quæ causalitatem finis vel medii exhibet; quia ergo matrimonium non efficit unionem Christi cum Ecclesia, profecto eam significat.

[20] *Infirma* et *egena elementa* Apostolus soli V. T. tribuit. Gal. **4**. 2, 9.

[21] Non obstat quod conjuges sint sæpe peccatores; nam eorum *vinculum*

b) Ex *officiis*. Nam Apostolus non formaliter, qua sunt christiani, sed qua sunt sponsi, exigit ut conjuges christiani perfecte assimilentur Christo [22]: atqui perfecte assimilari nequeunt Christo nisi operibus gratiæ seu principatu, obedientia, et amore supernaturali: ergo vi matrimonii conjuges christiani in ordine supernaturali (h. e. gratiæ) constituuntur. **Confirmatur** *ex sacramentorum analogia*. Nam, ut notat BILLOT, « ex constanti Scripturarum doctrina [23] sacra illa signacula, divinitus instituta, quæ ad antiquum illud Dei cum hominibus testamentum pertinebant, utpote pure prognostica futurorum bonorum, quæ per Christum erant afferenda, ipsis futuris bonis vacua erant, et gratiam, quæ est eorum radix, non continebant. Ea vero quæ includuntur in N. T. per Christi mortem obsignato, utpote significantia existentem jam causam totius sanctificationis nostræ, eique hominem veluti configurantia, non amplius vacua esse possunt iis bonis quæ Redemptor attulit, sed sua plenitudine plenitudini temporum respondeant necesse est, repudiatis jam et in perpetuum abrogatis [24] *variis baptismatibus et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis* » [25]. Scil. in hoc differunt sacramenta seu signa sacra N. et V. T., quod « sacramenta N. T. dant salutem (conferunt gratiam), sacramenta V. T. promiserunt Salvatorem (non conferebant gratiam internam sed legalem tantum) » [26]: atqui matrimonium est sacramentum magnum non V. sed N. T.: ergo sicut character baptismalis, qui est signum passionis, sepulturæ et resurrectionis Christi [27], est titulus exigitivus gratiæ, qua Christo complantamur; ita matrimonium, quod est signum unionis Christi cum Ecclesia, in N. T. est titulus exigitivus gratiæ, qua conjuges Christo conformantur.

---

manet sanctum, et semper est titulus ad gratiam sanctificantem et ad auxilia supernaturalia quibus maritalia officia sancte impleantur.

[22] Officia *principatus* maris et *obedientiæ* feminæ mutuique *amoris* in tota pericope prosequitur Apostolus. Sic: *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ* v. 23. SICUT *Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus* v. 24. *Viri diligite uxores vestras;* SICUT *et Christus delexit Ecclesiam* v. 25. — **NB.** Hæc officia Apostolum deducere a statu conjugali patet ex nominibus *viri* et *mulieris,* ex titulo *dominii in corpus* alterius (v. 28 sqq.) et ex *significatione* unionis Christi cum Ecclesia (v. 32–3), quæ profecto competunt conjugibus non ut christianis, sed ut nuptis.

[23] Rom. **4**. 11; Gal. **3**. 23; **4**. 9 coll. Rom. **6**. 3.

[24] Hebr. **9**. 10.

[25] BILLOT *th. 36* p. 326.

[26] AUG. Enar. in *Ps.* **37** n. 2.

[27] Rom. **6**. 3-5.

487. **Secunda pars.** *Matrimonium esse sacramentum docent Patres.* Nam *a*) considerant matrimonium uti rem sacram, commissam sacerdotibus, *b*) quam Christus sanctificavit sua præsentia in Cana, sicut in Jordane sanctificavit aquam baptismi, *c*) cui insuper adnexa est gratia sanctificans; *d*) unde et vetera monumenta repræsentant Christum conjungentem et benedicentem conjuges: atqui hæc notionem exhibent sacramenti a Christo instituti: ergo. *a*) « Decet, inquit IGNAT. M., ut sponsi et sponsæ de sententia episcopi conjugium faciant, quo nuptiæ sint secundum Dominum et non secundum cupiditatem »[28]. Et TERTUL.: « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod *Ecclesia conciliat,* et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater ratum habet? »[29]. Similia habent AMBR., SIRIC., et AUG.[30]. *b*) « Cum nuptiæ celebrarentur, inquit CYRIL. Alex., ...ipse (Salvator) una cum discipulis suis invitatus venit, non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret ac propterea generationis humanæ principium *sanctificaret* »[31]. *c*) « Quoniam conjunctionis auctor est Deus, inquit ORIG., propterea *iis inest gratia, qui a Deo conjuncti sunt* »[32]. Et INNOC. I: « Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod est primitus *divina gratia fundatum* »[33]. AUG. in matrimonio christianorum præter bona prolis et fidei α) agnoscit *sacramentum* quod non est apud gentes, sed *in solo populo Dei*[34]: β) indissolubilitatem conjugii inde arguit quod sicut *baptismus,* ita et matrimonium confert aliquid quod manet in adulteris et non cessat in apostatis[35]: γ) sterilitatem autem non solvere matrimonium, illustat exemplo *ordinis,* qui manet etiam cum sacerdoti non subjiciuntur fideles, vel ipse ab officio removetur[36]: atqui matrimonium quod distinguitur a matrimonio infidelium et assimilatur baptismo et

---

[28] IGNAT. M. Epist. *ad Polyc.* c. 5 n. 2.

[29] TERTUL. *Ad uxor.* II c. 9.

[30] AMBR. epist. 19 ad *Vigil.* n. 7; SIRIC. papa epist. 1 ad *Sir. Tarr.* c. 4; AUG. in *Joan.* tr. 9 n. 3; *De nupt. et concup.* c. 17 n. 19.

[31] CYRIL. Alex. in *Joan.* II c. 22: EPIPH. *Hær.* 51 n. 30; MAX. Taur. *Hom.* 23 n. 7; DAMASC. *De fide orth.* IV c. 24.

[32] ORIG. in *Matth.* t. 14 n. 16.

[33] INNOC. I Epist. 36 *ad Prob.*

[34] AUG. *De bono conjug.* c. 24 n. 32. Etiam CLEM. Alex. *Strom.* IV c. 20; GREG. Naz. in *sanct. bapt.* n. 18 matrimonium comparant cum baptismo.

[35] AUG. *De nupt. et concup.* c. 10 n. 11.

[36] AUG. *De bono conjug.* c. 24 n. 32; TERTUL. *Ad uxor.* II c. 7; AMBR. *De Abraham* I c. 7; LEO M. *epist.* 166.

ordini, est profecto sacramentum: ergo. *d*) Antiqua monumenta invenies apud GARRUCCI [37], eaque confirmabis verbis antiquarum liturgiarum [38] atque consensu ecclesiarum orientalium [39].

488. **Tertia pars.** *Etiam ratio suadet matrimonium christianorum esse sacramentum.* Nam decet novum statum, in bonum sociale ordinatum, assumi receptione gratiarum quibus status officia recte impleri possint: atqui matrimonium est novus status, quo conjuges deputantur ad prolis generationem eorumque bonam educationem necnon ad perpetuam vitæ consuetudinem, quæ sine exercitio multarum virtutum impleri nequeunt: ergo decet ut sicut sacerdotes sacramento consecrantur, ita conjuges sacramento uniantur.

THES. 74. — 1 *Sacramentum matrimonii a contractu maritali re non distinguitur; ergo* — 2 *contractus mere civilis nullus est apud christianos.*

489. **Prima pars.** *Sacramentum matrimonii a contractu maritali re non distinguitur.* Nam Apostolus *sacramentum magnum* vocat illud quod continetur in verbis: *Relinquet homo patrem et matrem suam et adhærebit uxori suæ: et erunt duo in carne una* [40]: atqui hæc verba, ex Genesi deprompta, exprimunt vinculum conjugale, quod inducitur contractu maritali [41]: ergo. « Ob hanc causam, inquit LEO XIII, matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia: istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summæ conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos justum conjugium in se et per se esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adjunctum ac proprietatem allapsam extrinsecus, quæ a contractu disjungi ac disparari hominum arbitratu queat » [42].

---

[37] GARRUCCI *Stor. dell'arte crist.* III tav. 196 sqq. — P. SYXT. in *Not. Arch.* non affert documenta pro veritate hujus sacramenti; sanctitas tamen et supernaturalitas hujus status ex ipsa inscriptione tituli et ex professione divinæ ejus originis innuitur. Cf. II p. 1 c. 5 a. 1 p. 228.

[38] De *Liturgiis* vide DE AUGUST. p. 580.

[39] Cf. PESCH n. 714.

[40] Ephes. **5**. 31.

[41] Gen. **2**. 24. Cf. n. 478.

[42] LEO XIII Enc. *Arcanum.*

490. **Secunda pars.** *Contratus mere civilis nullus est apud christianos.* Nam quæ re non distinguuntur, inseparabilia sunt; atqui sacramentum et contractus maritalis, ut modo vidimus, re non distinguuntur: ergo contractus maritalis mere civilis, qui scil. non sit sacramentum, apud christianos repugnat. Nemo ignorare potest, inquit PIUS IX, « matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicæ Legis sacramentis, ac propterea inter fideles *dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum,* atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris præter sacramentum conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum » [43].

491. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Apostolus de illo matrimonio loquitur, quod designavit Adam verbis *Propter hoc* etc.: atqui illud non est sacramentum, siquidem verba Adami etiam de matrimonio hebræorum et paganorum valent: ergo. **Resp.** Non omnes concedunt verba Apostoli valere de omni conjugio [44], sed hoc etiam concesso, nil sequitur contra thesim; siquidem juxta diversam conditionem fœderis debet explicari in matrimonio modus repræsentandi unionem Christi cum Ecclesia; quare nostrum argumentum non innitebatur tantum voci *sacramentum,* sed excellentiæ N. L., prout scil. christianorum matrimonium ultimam similitudinis perfectionem assequi debet.

492. **Objic. 2.** Sacramentum est signum *practicum:* atqui matrimonium est signum *speculativum,* siquidem unionem Christi cum Ecclesia non efficit, sed repræsentat: ergo. **Resp.** Sacramentum matrimonii est « sacrum signum et *efficiens gratiam* et *imaginem referens* mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia » [45]. Scil. duo significantur a matrimonio, unum *speculative,* i. e. unio Christi cum Ecclesia, alterum *practice,* i. e. gratia sanctificans, qua unio maritalis elevatur ad ordinem supernaturalem et fit convenientior repræsentantio illius unionis.

493. **Objic. 3.** Sacramenta sunt a Christo instituta: atqui matrimonium erat etiam ante Christum: ergo non est sacramentum. **Resp.** Institutio sacramenti non consistit in *effectione* rei, quæ pro signo assumitur, sed in ejus elevatione ad hoc quod causet gratiam [46]. Nil ergo refert quod matrimonium fuerit ante Christum; tunc enim gratiam non causabat, sed mere speculative præfigurabat unionem Christi cum Ecclesia. Christus ergo non est institutor matrimonii prout est naturæ officium [47], sed est

---

[43] PIUS IX Alloc. *Acerbis.* 27 sept. 1852; *Syll.* pr. 66.

[44] Vide supra n. 483 *not. 3.*

[45] LEO XIII Enc. *Arcanum.*

[46] Cf. supra n. 60.

[47] Agimus de Christo inquantum est

institutor sacramenti, prout officium naturæ evexit ad hoc quod esset causa gratiæ.

494. **Objic. 4.** ORIG. ait: « Paulus connubium *gratiam* esse pronuntiat, *quemadmodum castus cœlibatus* gratia est »[48]: atqui cœlibatus non est sacramentum: ergo. **Resp.** Testimonium ORIG., quin infirmet, thesim potius confirmat. Cum enim status (cœlibatus) ejusque privatio (matrimonium) sub eadem ratione *gratia* dici nequeant, si cœlibatus est gratia exercitio virtutum seu *ex opere operantis*[49], matrimonium erit gratia *ex opere operato,* ideoque sacramentum.

495. **Objic. 5.** Ad sacramenti valorem requiritur voluntas: atqui aliquis potest *velle* contrahere matrimonium ut officium naturæ et *nolle* conficere sacramentum: ergo. **Resp.** Qui vellet matrimonium ut officium naturæ et non uti sacramentum, contraria voluntate moveretur; unde juxta votuntatem prævalentem[50] vel susciperet sacramentum, vel nihil efficeret[51].

ART. 3 - DE HIS QUÆ AD MATRIMONII SACRAMENTUM SPECTANT.

(DISPUTATIO CATHOLICORUM)

496. **Theologorum opiniones.** Quod attinet ad essentialia constitutiva seu ad *materiam* et *formam,* NAVAR.[1] dixit consensum internum esse materiam et signa, quibus manifestatur, formam: VASQUEZ[2] corpora contrahentium esse materiam, consensum vero formam; MELCH. CANUS[3] materiam esse contractum, formam vero esse sacerdotis benedictionem; communius cum S. THOM,[4] tenetur ipsa verba vel signa, quibus traditio et acceptatio corporum in ordine ad prolis generationem exprimuntur, esse simul materiam et adæquatam formam; ita scil, ut cum SUAREZ, BELLAR. et SANCHEZ[5] dicatur *traditionem* induere rationem materiæ, *acceptationem* vero formæ. Matrimonii *ministrum* MELCH. CANUS dixit

---

Salvator; nam ut *Deus* utique est etiam auctor matrimonii prout est officium naturæ.

[48] ORIG. in *Matth.* t. 14 n. 16.

[49] Matth. **19.** 11-2; 1 Corinth. **7.** 7 sqq.

[50] Supra n. 79.

[51] Ex DECR. S. C. C. jussu Leonis XIII edito 7 Aprilis 1879, actus, qui dicitur matrimonium civile, nullius est virtutis, etiamsi concomitanter habeantur omnia requisita pro sacramenti existentia.

[1] NAVAR. *Manuale* c. 22 n. 20.

[2] VASQUEZ *De Matrim.* Disp. 3 c. 5 n. 35.

[3] MELCH. CANUS. *De locis theol. VIII c. 5.*

[4] S. THOM. *IV Dist.* 26 q. 2 a. 1 ad 1; *Dist.* 28 q. 1 a. 3 ad 2 et 3; *Suppl.* q. 45 a. 1.

[5] Apud *Pesch* n. 758; *De August.* II p. 630.

sacerdotem benedicentem [6], sed communis sententia tenent ipsos contrahentes esse hujus sacramenti ministros. De *subjecto* omnes conveniunt quod mas et femina esse debeant personæ legitimæ [7], sed an uterque baptizatus esse debeat [8], et an sufficiat intentio contrahendi matrimonium ut naturæ officium, vel potius requiratur distincta voluntas suscipiendi sacramentum [9], dissentiunt auctores.

THES. 75. 1 Materia *sacramenti matrimonii est corporum contrahentium traditio;* forma *vero eorum acceptatio in ordine ad generationem prolis, aliquo externo signo expressa:* — 2 mistri *sunt contrahentes:* — 3 *in* subjecto *autem, præter personarum legitimitatem, requiritur baptimus utriusque conjugis, et absoluta voluntas contrahendi verum matrimonium.*

497. **Prima pars.** *Materia matrimonii est traditio, forma vero acceptatio corporum contrahentium in ordine ad generationem, aliquo externo signo expressa.* Profecto *benedictionem* sacerdotis non esse formam hujus sacramenti, patet ex prædictis de identitate matrimonii sacramenti cum officio naturæ: *consensum internum* non esse materiam, constat ex notione sacramenti, quod est *visibile* signum invisibilis gratiæ: *corpora* non esse materiam proximam, vel inde patet quod numquam substantia materialis est materia proxima sacramenti, sed solum remota seu *circa quam.* Restat igitur ipsum et solum *contractum maritalem* exterius manifestatum esse sacramentum [10], ac proinde in eo inveniri materiam et formam sacramenti. Atqui contractus quilibet perficitur traditione rei et illiusmet acceptatione; quia ergo objectum contractus maritalis est jus in corpus alterius in ordine ad matrimonii finem, in traditione et acceptatione horum jurium consistere debet sacramentum matrimonii. Atqui rursus traditio præcedit (in ordine logico) acceptationem, quæ traditionem complet ac perficit. Ergo in traditione jurium in corpora invenitur ratio partis determinabilis seu *materiæ,* et in acceptatione ratio partis determinantis seu *formæ* hujus sacramenti.

---

6 MELCH. CAN. *l. c.* Cf. *De August.* II. p. 604.

7 Legitimæ seu *secundum leges* intelliguntur personæ quæ impedimenta saltem dirimentia non habent.

8 Necessitatem baptismi in utroque conjuge post S. THOM. defendunt SANCHEZ, KUGLER, HOLTZCLAU, HURTER, DE AUGUST., BILLOT *(De Sacr.* II. thes. 38 p. 357) contra SOTUM, ECKIUM, SALMANT., TOURNELY, PERRONE, (PESCH n. 728) apud *De August.* II p. 637.

9 Hoc tenent VASQUEZ *De sacr. in gen.* Disp. 138 c. 5 n. 63-4; WIRCEBURG. *De Matr.* 300; etc.

10 S. THOM. *IV Dist.* 26 q. 2 a. 1 ad 1; *Dist.* 28 q. 1 a. 3 ad 2 et 3; *Suppl.* 45 a. 1.

498. **Secunda pars.** *Sacramenti matrimonii ministri sunt ipsi contrahentes.* Nam minister est qui ponit materiam et formam sacramenti: atqui vidimus in prima parte quod materia et forma est traditio et acceptatio jurium in corpora, quæ profecto sunt a contrahentibus: ergo. — Accedit quod sacramenti minister nequit mutari: atqui sacramentum matrimonii etiam sine sacerdote contrahi potest [11]: ergo. — Neque dicas ministrum agere in nomine Christi, conjuges vero contrahere nomine proprio; licet enim contrahentes, in quantum tradunt jus in proprium corpus, Christi personam non gerant; in quantum tamen supernaturaliter firmant traditionem, sunt ministri Christi, qui vinculum maritale sua gratia sancit et obsignat [12].

499. **Tertia pars.** *Ad sacramenti valorem* [13] *requiritur maris et feminæ legitimitas, et utriusque baptismus, non autem voluntas realiter distincta ab absoluta voluntate contrahendi matrimonium quod est naturæ officium.* Requiritur personarum *legitimitas,* quia sacramentum re non distinguitur a contractu, qui ex sua natura subjicitur legibus liceitatem et validitatem ejus moderantibus. Requiritur *baptismus,* quia agitur de sacramento, et sacramentorum janua est baptismus. Requiritur *baptismus utriusque conjugis,* quia « cum matrimonium sit quædam relatio, et non possit innasci relatio in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio, ideo quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero, quia non potest esse quod aliquis sit *vir* non uxoris, vel quod aliqua sit *uxor* non habens virum, sicut nec mater non habens filium, et ideo dicitur communiter quod *matrimonium non claudicat* » [14]. Sufficit *intentio absoluta contrahendi matrimoninm ut officium naturæ,* quia in matrimonio officium naturæ et sacramentum re non distinguuntur; unde qui absolute vult unum, implicite vult et aliud, voluntas autem implicita ad sacramenti valorem sufficit [15].

ART. 4 - DE MATRIMONII PROPRIETATIBUS.

500. **Proprietates primi et secundi ordinis.** *Proprietates* dicuntur qualitates quæ naturam rei sequuntur: si proxime et necessario ita fluunt, ut sine illis natura intelligi nequeat, dicuntur proprietates *primi ordinis;* si procedunt remote, et ordinantur tantum ad conve-

---

[11] Sine sacerdote est validum in locis ubi non est promulgatum CONC. TRID. (sess. 25 De Reform. cp. 1) et cum parroci præsentia est moraliter impossibilis (DECR. *Ne temere* 2 Aug. 1907).

[12] BILLOT *th. 37* p. 350-1.

[13] Cum matrimonium sit sacramentum vivorum, ad ejus *fructum* percipiendum requiritur etiam *status gratiæ.*

[14] S. THOM. *Suppl.* 47 a. 4.

[15] Supra n. 69.

nientem naturæ explicationem, dicuntur proprietates *secundi ordinis*. In matrimonio itaque proprietates primi ordinis respiciunt generationem prolis, secundi ordinis convenientem educationem filiorum et alia bona conjugii, cujusmodi sunt pax et tranquillitas familiæ, necnon conjugum mutuum solatium: illis opponuntur *polyandria* seu simultanea virorum multitudo, actus *contra naturam, liberus amor,* atque omnis *solutorum congressus:* his opponuntur *polygamia* seu simultanea pluralitas uxorum, et *divortium* seu vinculi solutio.

501. **Polygamiæ et divortii divisiones.** POLYGAMIA alia est *simultanea,* alia *successiva:* hæc habetur cum vir, mortua prima uxore, aliam ducit; illa cum, vivente prima, alteræ matrimonio unitur; quod si pluralitas simultanea non est mulierum sed virorum, nomine proprio vocatur *polyandria*. DIVORTIUM dividitur in *perfectum* et *imperfectum:* hic consistit in mera separatione habitationis vel thori seu lecti; illud, quod simpliciter *divortium* vocatur, in solutione vinculi.

502. **An in V. T. fuerit solutio matrimonii quoad vinculum.** Responsio pendet a valore *libelli repudii,* de quo loquitur Scriptura [1]. Et « dicendum quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod illi qui sub Lege uxorem, dato libello repudii, dimittebant, non excusabantur a peccato, quamvis excusarentur a pœna secundum legem infligendam; et propter hoc dicitur Moyses libellum repudii *permissise*... Sed quia lex vetus, quamvis gratiam non conferret, tamen ad hoc data erat ut peccatum ostenderet, ut communiter sancti dicunt, ideo aliis videtur quod si repudiando uxorem peccassent, hoc saltem eis per legem aut prophetas indicari debuisset... et propter hoc dicunt quod... permissione divina licitum fiebat » [2]. Prima sententia, temporibus S. THOM. communior, hodie defenditur a BILLOT, his rationibus: « *primo* quidem quod *Mich.* et *Malach.* et *Prov.* [3] Judæi in divortia proni severissimis verbis castigantur. *Secundo,* quod D. N. legem novam in monte promulgans æquiparat permissionem repudii cum permissione odii inimicorum... *Tertio,* quod permissio repudii, prout jacet in Lege, comprehenderet dispensationem etiam a primis præceptis legis naturæ, et reduceret matrimonium ad quemdam modum concubinatus... Sicut ergo nunc, ad vitandum majus malum recte tolerantur domus prostitutionis, ita apud populum duræ cervicis et incircumcisi cordis tolerabatur repudium sub certis conditionibus, ne vir contra uxorem pejus aliquid moliretur » [4]. Altera sententia, quæ probabilis dicitur a S. THOM., et nunc communior

---

[1] Deut. **24.** 3; Matth. **19.** 3.

[2] S. THOM. *Suppl.* q. 67 a. 3.

[3] Mich. **2.** 9; Malach. **2.** 15; Prov. 2. 17.

[4] BILLOT *th. 42* ad 4 p. 393.

facta est, cum PALM., HURTER, DE AUGUST., PESCH, KNABEN. et HUM.[5] eligimus. *Primo,* quia Judæi *permissionem* Moysis intelligebant de vinculi solutione et Christus, legem revocando, de falsa Judæorum interpretatione non est conquestus[6]. *Secundo,* quia Moyses concedit dimissæ ut ab altero ducatur, et quidem ita ut dein ad primum maritum redire non possit[7], quæ profecto sine prioris matrimonii solutione inintelligibilia forent. *Tertio,* quia Scriptura novum dimissæ sponsum non concubinum, sed *maritum* vocat, a quo sine novo repudii libello recedere non licebat[8]. *Quarto,* quia ex permissione polygamiæ dimissio uxoris in damnum solius mulieris cessisset, æqualitate conditionis conjugum posthabita; siquidem vir novam uxorem semper ducere poterat. — Porro argumenta BILLOT non concludunt: 1) improperia enim prophetarum non de usu, sed de *abusu* hujus legis intelliguntur: 2) Moyses non permisit odium inimicorum, sed ad fidem servandam ethnicis *bellum* indixit[9]; Christus vero sicut legem amoris ad perfectionem duxit, ita indissolubilitatem matrimonii firmavit; 3) facilitas divortii non in Lege, sed in falsa Legis interpretatione fundatur; illa enim, ut boni interpretes explicant, *gravem* causam exigebat a legitima quoque, ut videtur, approbandam auctoritate[10].

503. **Matrimonium legitimum, ratum, consummatum.** *Legitimum* est matrimonium validum seu juxta leges initum, et talia fuerunt matrimonia hebræorum et sunt ethnicorum: *ratum* seu firmatum est matrimonium cui accessit ratio sacramenti, et est omne et solum matrimonium baptizatorum: *consummatum* est matrimonium opere completum, seu in quo conjuges jure suo usi sunt.

504. **Errores - Veritas.** Quoad *unitatem* matrimonii defectu erraverunt qui polygamiam simultaneam absolute licitam prædicaverunt, scil. ETHNICI, GNOSTICI, ANABAPTISTÆ, LUTHERANI, SOCIALISTÆ; excessu qui vel polygamiam successivam respuerunt, ut MONTANISTÆ et NOVATIANI, vel simultaneam ita contra naturam dixerunt, ut cum CALVINO ipsos Patriarchas de peccato damnarent. Quoad *indissolubilitatem* defectu peccaverunt qui divortium vel simpliciter, ut PHILOSOPHI ETHNICI, PROTESTANTES et moderni JURISTÆ LIBERALES, vel saltem ratione adulterii, ut practice GRÆCI SCHISMATICI, approbarunt; excessu vero JANSENISTÆ qui matrimonii rati et non consummati indissolubilitatem tam absolutam habuerunt, ut neque

---

[5] PALMIERI *De Matr.* p. 130 sqq.; HURTER n. 671; DE AUGUST. p. 687; PESCH n. 772 sqq.; KNAB. in *Matth.* I p. 225; II p. 139; HUM. in *Deut.* **24**. 1.

[6] Matth. **19**. 3 sqq.

[7] Deut. **24**. 1 sqq.

[8] Deut. **24**. 2–4.

[9] KNAB. in *Matth.* I p. 241.

[10] CALMET Diss. *De Divor.*; PALMIERI *th. 16* p. 136 sqq.; KNAB. *l. c.*

ingressu in religionem, neque dispensatione R. P. quoad vinculum posse dissolvi dixerint [11]. — **Veritas** est definita in CONC. TRID. quod de *unitate* matrimonii christiani ait: « S. q. d., licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; a. s. »: de *indissolubilitate:* « S. q. d., propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum; a. s. »: « S. q. d., Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi...; a. s. »: « S. q. d., matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem professionem religionis alterius conjugum non dirimi; a. s. » [12].

THES. 76. *Polygamia* — 1 *successiva licet; simultanea vero,* — 2 *etsi non repugnet proprietatibus primi ordinis, ac proinde in V. T. fuerit permissa,* — 3 *obstat tamen dignitati sacramenti, et in matrimonio christiano nullatenus dari potest.*

505. **Prima pars.** *Polygamia successiva licet.* Quamvis enim minus congruat sacramento, siquidem Christus semel pro semper conjunctus est Ecclesiæ [13]; non obstat tamen matrimonio uti officio naturæ, neque uti sacramento, secundum illud Apostoli: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat: tantum in Domino* [14], ubi « non dixit primus, aut secundus, aut tertius, aut quartus (vir)... quapropter nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, ut quoties voluerit, viris mortuis, nubat femina » [15].

506. **Secunda pars.** *Polygamia simultanea non obstat proprietatibus primi ordinis matrimonii, et ideo in V. T. ex divina permissione licuit* [16]. Nam « pluralitas uxorum neque totaliter tollit,

---

11 Supra n. 473.

12 CONC. TRID. sess. 24 cn. 2; 5; 7; 6.

13 Hinc nonnulli Patres secundas nuptias, ut imperfectas, adversabantur. Supra n. 473 *not. 17.*

14 1 Corinth. 7. 39.

15 AUG. *De bono vid.* c. 12. Similia habent HERMAS *Mand.* 4 n. 4; CLEM. Alex. *Strom.* III n. 12; AMBR. *De Viduis* c. 11; GREG. Naz. *Or.* 29 n. 18; EPIPH. *Hær.* 59; HIER. *Epist.* 123 n. 18; etc. Quod si aliqui objurgant tertias nuptias, ut BASIL. ad *Amph.* c. 188, non ex illiceitate arguunt, sed quia magnæ incontinentiæ sunt signum.

16 Attendas esse sermonem de *polyginia;* nam *polyandria* seu pluralitas virorum absolute repugnat, siquidem impedit propagationem generis humani et incertos reddit parentes; quocirca

neque aliqualiter impedit matrimonii primarium finem, cum unus sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis et educandis filiis ex his natis »[17]. Nil ergo mirum quod, saltem[18] ex divina permissione, uxorum pluralitas licuerit sub humanitatis initiis, quando necessitas multiplicandi homines urgebat. Quare de Jacob, qui Liam et Rachel duxerat, atque Balæ ancillæ Rachel et Zelphæ ancillæ Liæ nupserat, AUG. scribit: « Si *naturam* consulas, non lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur; si *morem*, illo tempore atque in illa terra, hoc factitabatur; si *præceptum*, nulla lege prohibebatur »[19].

507. **Tertia pars.** *Polygamia simultanea matrimonio christianorum repugnat.* **Ex Scriptura.** Nam ex Matth. et 1. Corinth.[20] constat *a*) matrimonium esse unionem *duorum*, qui taliter adhærent, ut non sint *duo* sed *una caro;* quare, matrimonio inito, *b*) vir non habet amplius potestatem sui corporis sed mulier, sine cujus proinde injuria alteri illud tradere nequit: unde sequitur, quod *c*) mulier liberatur a lege seu vinculo conjugii cum vir ejus moritur, sed quousque vivit, alligata est ei; ita ut *d*), si justa de causa discedat a viro suo, manere debeat innupta aut ei reconciliari; siquidem, si *e*) vivente conjuge adhæreat alio viro, mœchatur: atqui hæc manifeste prædicant absolutam *unitatem* matrimonii christiani: ergo apud christianos polygamia repugnat. — **Patres** non minus quam Scriptura *a*) absolute prædicant *monogamiam* conjugii christiani, *b*) adulterii damnant quemcumque, vivente conjuge, utut sterili vel adultera, alteræ unitur, *c*) atque illiceitatem polygamiæ vindicant ex Christi præcepto, qui *veterem consuetudinem abolevit.* Apud christianos, inquit THEOPH., « temperantia adest, continentia exercetur, *mono-*

---

ne apud perditissimas gentes lege vel consuetudine umquam est approbata. HURTER n. 739 in nota.

[17] S. THOM. *Suppl.* q. 65 a 2.

[18] DURAND., TOST., MALDON., PALUD., MERS. (apud *Perrone* De Matr. III sect. 1 a. 3) tenent antiquos parentes etiam sine dispensatione Dei potuisse ducere plures uxores.

[19] AUG. *C. Faust.* XXII c. 47; THEOD. in *Gen.* q. 67 n. 85; HIER. epist. 69 *ad Ocean.* n. 5; EUCHER. Lugd. *Instruc.* I a. 1 in *Gen.* **30.** 19-20.

[20] *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Matth. **19.** 6. *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* 1 Corinth. **7.** 10-11.

gamia servatur, custoditur castitas »[21]. Et AMBR.: « Non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere. Nam et aliam quærere, cum habeas tuam, crimen est adulterii »[22]. « Tunc, inquit CHRYS., quia principia erant, permissum fuit cum duabus vel tribus uxoribus misceri, ut humanum genus propagaretur. Nunc vero, quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum est, gratia quoque incrementum accepit; adveniens enim Christus et virtutem in hominibus plantans, angelos, ut ita dicam, ex hominibus faciens, omnem illam veterem consuetudinem abolevit »[23]. — **Ex Ratione.** *a*) Nam etsi polygamia simultanea non obstet fini primario matrimonii, secundarium tamen « multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores uniuntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem »[24]; cum itaque rationes, quæ permissionem polygamiæ suadebant, cessaverint, polygamiæ permissio revocanda fuit, et unitas conjugii absolute firmanda. *b*) Accedit matrimonium christianorum esse sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia, ac proinde perfectam imaginem unionis Verbi ad humanam naturam et Christi ad Ecclesiam: atqui in his absoluta regnat unitas: ergo.

THES. 77. — 1 *Divortium imperfectum pluribus de causis licet; vinculum vero conjugale* — 2 *in matrimonio* legitimo *solvitur privilegio Paulino,* — 3 *in* rato *solemni professione religiosa alterius conjugis vel dispensatione R. P.,* — 4 *in* rato et consummato *nonnisi morte conjugis; unde lex, quam dicunt divortii, intrinsecus mala est et nullius prorsus efficaciæ.*

508. **Prima pars.** *Divortium imperfectum pluribus de causis licet.* Nam Christus dicit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit mœcatur*[25]: ergo ob adulterium licet separatio quoad thorum: atqui sunt alii casus qui adulterio

---

[21] THEOPH. *ad Autolyc.* III n. 15; ATHEN. *Leg. pro christ.* n. 33; MINUT. Felix *Octav.* c. 31; TERTUL. *Apol.* c. 46; AUG. *De adul. conjug.* II c. 9 n. 8; *De bono conjug.* c. 7 n. 7

[22] AMBR. *De Abraham* I c. 7; BASIL. *Regul.* 73 c. 2; CHRYS. in *Gen.* hom. 56; HIER. in *Matth.* **19**; AUG. *De nupt. et conc.* 1 c. 10 et 11.

[23] CHRYS. in *Gen.* hom. 56; CLEM. Alex. *Strom.* III c. 12.

[24] S. THOM. *Suppl.* q. 65 a. 2.

[25] Matth. **5**. 23.

possunt comparari quoad conjugum cohabitationem: ergo « s. q. d., Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus, fieri posse decernit; a. s. »[26]. Porro hujus saparationis causæ ad quinque capita revocatur, scil. ad *a*) adulterium[27], *b*) apostasiam vel hæresim cum periculo perversionis[28], *c*) periculum proximum graviter peccandi ex suggestione vel impulsu alterius conjugis[29], *d*) mutuum consensum[30] et *e*) periculum gravis damni corporis vel fortunæ[31], de quibus in particulari agit theologia moralis.

509. **Secunda pars.** *Matrimonium legitimum gravi de causa potest solvi, sicut fit privilegio Paulino.* « Inseparabilitas enim matrimonii non ordinatur ad prolis bonum, quod est principalis matrimonii finis, nisi quantum ad hoc quod per parentes filiis provideri debet in totam vitam per debitam præparationem eorum quæ sunt necessaria in vita. Hujusmodi autem præparatio non est de prima intentione naturæ secundum quam omnia sunt communia. Et ideo non videtur esse contra primam intentionem naturæ dimissio uxoris, et per consequens nec contra prima præcepta, sed contra secunda legis naturæ. Unde etiam sub dispensatione videtur posse cadere »[32]. Hinc, ne esset periculum apostasiæ, Apostolus permisit parti conversæ ab infedelitate ut, si cum conjuge infideli sine injuria creatoris cohabitare non potest, ab eo discedat et alteri nubat[33]. Quod autem Apostolus concessit pro matrimonio *legitimo*, R. P. gravi de causa[34] dare potest etiam cum, utriusque conjugis conversione, eorum matrimonium evasit *ratum*[35]. Ratio est, quia, deficiente sacramento, « infidelium matrimonia non ita firma censeri

---

[26] CONC. TRID. sess. 24 cn. 8.

[27] Matth. **5**. 23.

[28] Luc. **24**. 26; Tim. **3**. 10.

[29] Matth. **18**. 9.

[30] 1 Corinth. **7**. 5.

[31] Ne objicias Christum causam legitimæ separationis solum adulterium fecisse; Christus enim locutus est de causa *intrinseca* perpetuæ separationis, dum aliæ procedunt ex generali præcepto diligendi Deum super omnia et ex communi regula ordinati amoris proximi, qui amorem sui non evertit. Hinc cessantibus motivis aliarum separationum, ad cohabitationem redeundum esset, dum adulterium jus tribuit perpetuæ secessionis.

[32] S. THOM. *Suppl.* q. 67 a. 2.

[33] 1 Corinth. **7**. 12–16.

[34] V. g. si conjux detineatur apud alium dominum vel ignoretur ubinam consistat.

[35] Hoc constat ex declaratione CREG. XIII apud *Pesch* n. 795.

(debent), quin necessitate suadente dissolvi possint »[36]; baptismum vero utriusque conjugis reddit quidem *ratum* eorum matrimonium, sed ante novum usum non constituit *ratum et consummatum;* consummatio enim esse debet ipsius matrimonii *rati* ut extet illa mystica relatio ad unionem Christi cum Ecclesia, quæ omnimodæ indissolubilitatis est fundamentum.

510. **Tertia pars.** *Matrimonium ratum et non consummatum solvitur solemni professione religionis alterius conjugis et dispensatione gravi de causa concessa a R. P.* Nam « nulla apparet ratio sufficiens cur (divina permissione) non liceat solvi ejusmodi matrimonium ad majus bonum consequendum: non *damnum alterius partis,* cum hæc libere possit aliud contrahere matrimonium; non *proles,* quæ nulla est, matrimonio nondum, ut supponitur, consummato; non *indissolubilitas* matrimonii, cum hæc potissimum videatur convenire matrimonio consummato »[37]. Porro quod attinet ad *solemnem professionem religionis* solutio vinculi constat ex praxi Ecclesiæ; juvenes enim et virgines, quæ prima nuptiarum nocte conjugem deseruerant ut Deo virginitatem consecrarent, Patres summis laudibus extulerunt[38]: atqui, manente vinculo, id non licuisset, uti patet *a*) de matrimonio consummato, in quo discessus sine consensu conjugis non permittitur, et *b*) ex præcepto Domini *uxorem a viro non discedere*[39], necnon *c*) ex jure alterius conjugis, quod injuste læditur cum absque ejus culpa deseritur: ergo[40]. De *potestate R. P.* scribit BENED. XIV quod « cessat indissolubilitas matrimonii rati non consummati in aliis omnibus casibus extra professionem religiosam, in quibus summus pontifex, justis et

---

[36] URB. VIII *Litt.* 17 Sept. 1627; *Litt.* 20 Oct. 1626. — **NB.** Quidam volunt revocare ad privilegium Paulinum omnes dispensationes RR. PP.; at, ut ostendunt BALLERINI, PALMIERI, LEHMKUHL, etc. fieri nequit; sed dicendum est potestatem R. P. privilegium Paulinum excedere. PESCH n. 797.

[37] HURTER III n. 762.

[38] *S. Thecla* laudatur ab EPIPH. *Hær.* 78 et AMBR. *De Virg.* II c. 3; *duo aulici* extolluntur ab AUG. *Conf.* VIII c. 16 n. 15; *S. Alexius* celebratur ab ECCLESIA; *Leobardus* a GREG. Turon. *De vitis PP.* c. ult.; *Edildrida* a V. BEDA *Hist. Angl.* IV c. 19.

[39] 1 Corinth. 7. 10.

[40] ALEX. III in *Conc. Lat.* a. 1179; INNOC. III c. 14 *Ex parte tua.* — **NB.** Si quæris de *jure* quo ingressu in religionem solvatur matrimonium ratum, sunt tres sententiæ: S. THOM. dicit de jure *naturæ,* SUAREZ de jure *ecclesiastico,* BENED. XIV de jure *divino:* ultima hæc sententia probabilior videtur. Cf. DE AUGUST. II. p. 708–11.

gravissimis de causis [41], censet ejus dissolutioni esse locum. Ita suadente TRID., ita exposcente observantia, ita demum convincente continuata plurium sæculorum praxi sedis Apostolicæ, ex quibus interpretatio juris divini optime colligi potest » [42].

511. **Quarta pars.** *Matrimonium ratum et consummatum sola morte alterius conjugis potest solvi.* **Ex Scripturis.** Nam, abrogata lege ripudii, Christus matrimonium revocavit ad pristinam indissolubilitatem, quam proposuit *a*) verbo adhærere *(relinquet... adhærebit)*, quod græce et hebraice de habituali unione intelligitur; *b*) unitate carnis *(duo in carne una)*, quam exclusive saltem non esse intelligendam de actuali unione, patet ex conclusione Christi *(itaque jam non sunt duo, sed una caro)* et ex Apostolo qui uxorem considerat quasi carnem viri, quam ipse nutrit et fovet [43]: *c*) formali præcepto in divina operatione fundato *(quod Deus conjunxit, homo non separet)*: *d*) abrogatione libelli repudii, quod Moyses permiserat ob duritiam cordis judæorum sed, utpote contrarium primæ institutioni *(ab initio non fuit sic)*, Christus revocat *(dico autem vobis)*: et *e*) condemnatione conjugis qui, altero vivente, novum matrimonium attentat *(qui dimissam duxerit, mœchatur)*. — **Ex Patribus.** Si quis, inquit HERMAS, adulteram « dimittat..., maneat secum (h. e. solus), sin vero uxore dimissa aliam duxerit, et ipse adulterium committit » [44]. Et ORIG.: « Contra Scripturæ legem, vivente viro, nubere quidam ecclesiæ rectores permiserunt, agentes contra id, quod scriptum est [45]: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit* » [46]. Nec minus clare INNOC. I: « Statuimus *fide catholica suffragante...* conventum secundæ mulieris, priore superstite,... nullo pacto esse posse legitimum » [47]. CHRYS., commentans testim. Matth., dicit quod Christus, « prisca lege recitata, quæ et *rebus* et *verbis* [48] inducta fuit,... cum potestate illam inter-

---

[41] Ex his patet non licere R. P. *pro lubito* solvere matrimonia, etsi non consummata; cum tamen solvit, de sufficientia causæ non est ambigendum, siquidem ipse est judex etiam de hac sufficientia.

[42] BENED. XIV *Quæst. can.* q. 146 n. 36. — **NB.** Matrimonium ratum solverunt MART. V, EUGEN. IV, PAUL. III, PIUS IV, PIUS VII, GREG. XVI, PIUS IX apud *De August.* p. 708.

[43] Ephes. 5. 28–9.

[44] HERMAS *Mand.* IV n. 6.

[45] 1 Corinth. 7. 39.

[46] ORIG. in *Matth.* t. 14 n. 23.

[47] INNOC. I Epist. 36 *ad Prob.*

[48] Indissolubilitatem matrimonii Deus docuit *rebus* adducendo Evam ad Adam ut in suam sumeret; *verbis* Adam inspirando ut diceret: *Propter hoc* etc.

pretatur et legem sancit dicens: *Propter hoc jam non sunt duo, sed una caro...* Neque hic stetit, sed Deum quoque attulit dicens: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet;* ostendens illud et contra naturam et contra legem esse: *contra naturam,* quia una caro dissecatur; *contra legem,* quia, cum Deus conjunxerit et jusserit non separare, vos id facere tentatis » [49]. Accedit **praxis Ecclesiæ,** quæ divortium semper reprobavit, uti videre est in Nicol. I, Alex. III, Innoc. III, Conc. Trid. [50] et apud omnes theologos ac moralistas [51]. — **Ex ratione.** Nam « inseparabilitas, quamvis sit de secunda intentione matrimonii prout est officium naturæ, est tamen de prima intentione ipsius prout est sacramentum Ecclesiæ. Et ideo, ex quo institutum est ut sit Ecclesiæ sacramentum, manente tali institutione, non potest sub dispensatione cadere » [52]. — Quod si matrimonium consideratur ut officium naturæ, *ex triplice* ejus *fine* contra divorsistas evincitur indissolubilitas. Profecto matrimonium prout est remedium contra concupiscentiam vetat divortium, quia divortio ignis apponitur concupiscentiæ spe novarum voluptatum, et via sternitur adulteriis et libero amori, in venenum convertendo quod est incontinentiæ remedium [53]. Prout est societas summæ familiaritatis, qua ærumnis hujus vitæ occurritur, multipliciter apparet divortii turpitudo. Nam *a*) *perfecta donatio,* qua conjuges non solum sua, sed se ipsos invicem tradunt, temporis limites non patitur; donatio enim sui ex sese est summa, ideoque irrevocabilis. *b*) *Amor mulieris* est supra alios amores naturales [54]; in illo ergo non debet frustrari amoris desiderium, quod ad perennitatem tendit. Accedit *c*) *diversa conditio* viri et mulieris in conjugio; hæc enim

---

[49] Chrys. in *Matth.* hom. 62 n. 2; Just. M. *Apol.* 1 n. 15; Tertul. *De monog.* c. 9; Clem. Alex. *Strom.* II c. 23: Hier. epist. 55 *ad Amand.* n. 3; Ambr. in *Luc.* VIII c. 5 n. 2 sqq. etc.; Conc. Elib., Milev. II, Arelat. I, Herdfort., Forojul., Paris., Nannet., Bitur., Flor. apud *De August.* p. 704.

[50] Nicol. I Epist. ad *Adon. Vien.* n. 1; Alex. III Epist. ad *Arch. Senon.;* Innoc. III *Decr.* IV t. 1 c. 8 *De div.*

[51] **Ex archæologia christiana** inde quidam arguunt quod epitaphia cata-cumbarum dicunt conjuges vixisse plures annos simul *sine discordia* vel *sine quærela,* at P. Syxt. *(Not. Arch.* II p. 1 c. 5 a. I) notat verba similia etiam apud paganos legi.

[52] S. Thom. *Suppl.* q. 67 a. 2 ad 3.

[53] Cf. Leon. XIII Enc. *Arcanum.*

[54] Revera amor mulieris Gen. **2.** 24 præponitur amori parentum, 2 Reg. **1.** 26 sumitur tamquam symbolum amoris, et Eph. **5.** 25 assimilatur amori Christi erga Ecclesiam.

subjecta est viro, atque matrimonii usu multo magis quam vir fit deterior, amittens virginitatem quæ in muliere pluris æstimatur quam in viro: sicut ergo mulierem non decet virum sibi superiorem dimittere, ita vir uxorem, quæ in ejus obedientia facta est deterior, expellere non potest. Indissolubilitatem matrimonii *d*) ipsa clamat *pax* et *prosperitas* familiæ; etenim « fidelior amor unius ad alterum erit, dum cognoscunt se indivisibiliter conjunctos; erit etiam utriusque sollicitior cura in rebus domesticis, dum se perpetuo commansuros in earumdem rerum possessione æstimant; subtrahuntur etiam ex hoc discordiarum origines, quas oportet accidere, si vir uxorem dimitteret, inter eum et propinquos uxoris, et fit firmior inter affines dilectio »[55]. Quod si matrimonium consideratur IN ORDINE AD GENERATIONEM, qui matrimonii est principalis finis, adhuc magis apparet ejus indissolubilitas. Nam *a*) « de lege naturæ est quod parentes thesaurizent et filii parentum hæredes sint[56]; et ideo, cum prolis sit commune bonum viri et uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam secundum legis naturæ dictamen »[57]. *b*) Similiter, quia indivisa est operatio viri et mulieris quoad generationem prolis, indivisus esse debet eorum labor quoad educationem: atqui parentes usque ad mortem de filiis soliciti esse debet[58]: ergo numquam debent separari. Sed insuper *c*) filii parentes honorare tenentur eorumque necessitatibus occurrere: atqui hæc divortio impediuntur, ut consideranti patet: ergo. CONFIRMATUR EXPERIENTIA. Nam ut Romanorum, Protestantium Germaniæ et Americæ, necnon catholici nominis civitatum, allatis exemplis, ostendit Leo XIII, « simul ac iter divortiis tutum lege præstari cœpit, dissidia, simultates, secessione plurimum crevere, et tanta est vivendi turpitudo consecuta, ut eos ipsos, qui fuerant talium discessionum defensores, facti pœnituerint; qui nisi contraria lege remedium mature quæsiissent, timendum erat, ne præceps in suam ipsa perniciem res publica dilaberetur »[59].

512. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Matrimonium quod sacramento firmatur, perfecte refert unionem Christi cum Ecclesia: ergo, etiamsi consummatum non fuerit, solvi nequit. **Resp.** In matrimonio

---

[55] S. THOM. *Cg.* III c. 123.
[56] 2 Corinth. **12.** 14.
[57] S. THOM. *Suppl.* q. 67 a. 1.
[58] Cf. libros *Tobiæ* et *Job.*
[59] LEO XIII Enc. *Arcanum.*

rato exhibitur quidem unio *affectiva* Christi ad Ecclesiam, sed non *effectiva*, qua Christus semetipsum tradidit pro ea; et ideo in solo matrimonio rato et consummato est perfecta repræsentatio unionis Christi cum Ecclesia, ex qua christianorum vinculum fit absolute indivisibile. « Cum duo, inquit INNOC. III., sint in conjugio, videlicet consensus animorum et commixtio corporum, quorum alterum significat *caritatem*, quæ consistit in spiritu inter Deum et animam justam..., reliquum vero designat *conformitatem*, quæ consistit in carne inter Christum et Ecclesiam...; profecto conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum et Ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum » [60].

513. **Objic. 2.** Dantur circumstantiæ in quibus omnes matrimonii fines indissolubilitate frustrantur et divortio promoventur: ergo saltem in his circumstantiis licitum erit divortium. **Resp.** Cum sacramentum et contractus maritalis re identificentur, quæ illi repugnant, huic profecto contradicunt: atqui apud christianos matrimonium ratum et consummatum est ab intrinseco insolubile ratione significationis mysticæ unionis Christi ad Ecclesiam: ergo. Quod si matrimonium consideretur ut officium naturæ, non diffitemur in quibusdam casibus vinculi solutionem absolute non repugnare [61], quocirca ob uxoris perpetuum morbum vel sterilitatem [62], maxime si ageretur de firmanda regni successione [63], posse abstracte loquendo dissolvi matrimonium legitimum etiam consummatum; sed sine speciali permissione Dei neque hoc fieri posset, quia « rectitudo naturalis in actibus humanis non est secundum ea quæ per accidens contingunt in uno individuo, sed secundum ea quæ totam speciem consequuntur » [64], omnimoda vero indissolubilitas matrimonii « est conveniens ad bonum prolis simpliciter » [65], cum divortii possibilitas perturbaret pacem omnium conjugum et totius prolis humanæ propagationem et educationem in periculo constitueret; multo magis quod experientia docet divortii causas intra breves limites contineri non posse [66].

514. **Objic. 3.** MATTH. [67] non de solo matrimonio V. T., sed etiam N., ideoque de rato et consummato, locutus est: atqui ibidem in casu adulterii Christus divortium permisit: ergo. **Resp.** Quidam voci græcæ πορνείας [68] inhærentes, dicunt non agi de adulterio sed de concubinato,

---

[60] INNOC. III *Decr.* 1 t. 21 c. 5; S. THOM. *Suppl.* 61 a. 2 ad 1.
[61] Cf. supra n. 509-10.
[62] BELLAR. *De Matr.* c. 4.
[63] BILLOT *th.* 42 p. 391.
[64] S. THOM. *Cg.* III c. 123.
[65] S. THOM. *Suppl.* q. 67 a. 1.
[66] LEO XIII Enc. *Arcanum.*
[67] Matth. **19.** 3.
[68] SCHEGG apud *Knab.* in *Matth.* II p. 143. Cf. Act. **15.** 20 et 1 Corinth. **5.** 1.

et Christum non dare facultatem dimittendi veram uxorem sed præcipere ejectionem concubinæ. Verum hæc sententia, si voci consonat, dissentit a contextu et ab explicatione Patrum, ideoque reliquenda est. Christus loquitur de vera uxore, quam docet exceptâ fornicationis causâ non esse dimittendam, quia, manente vinculo, inveniretur in proximo periculo mœcandi, quod injuste dimittenti imputaretur; at si deprehensa fuerit in adulterio, vir potest dimittere, quin ei fiant imputabilia nova infidelis uxoris peccata, siquidem utitur jure suo. — Porro ex dimissione conjugis non sequitur *per se* solutio vinculi et multo minus sequitur *ex contextu,* siquidem Christus loquitur de absoluta unitate matrimonii [69], et etiam in casu adulterii damnat novum conjugium [70], quod Apostolus [71] quoque et Patres [72] expresse prohibent.

ART. 5 - DE MATRIMONII REGIMINE.

515. **Quæstionis ratio.** Cum sacramentum matrimonii sit simul contractus, qui a natura et a Deo non est penitus obsignatus; in individuo determinari debet a legitima potestate. Complexus ordinationum, quibus maritalis contractus moderatur, dicitur matrimonii REGIMEN, quod præter *leges* statuentes impedimenta, comprehendit *decisiones* et *judicia* sive juris sive facti, quippe qui legem condidit, valet eam authentice explicare, et de ejus applicatione ad casus particulares dare sententiam.

516. **Impedimenta impedientia et dirimentia** sunt objectum legislationis matrimonialis, cujus non est dare *efficaciam* contratui matrimoniali, qui a natura et a sacramento mutuatur sua jura suosque effectus, sed statuere *conditiones sine quibus* matrimonium *non* existit vel illicite contrahitur, quæque ex proprio fine nomen *impedimentorum* accipiunt. Porro impedimenta quæ contractum maritalem mere illicitum reddunt, dicuntur *impedientia;* quæ vero frustraneum et nullum faciunt, *dirimentia,* eo quod volentes contrahere sejungunt [1].

---

[69] Hoc etiam turbæ intellexerunt, concludentes ad convenientiam cœlibatus, quod certe non fecissent si Christus divortium permisisset in casu adulterii; siquidem in hoc tantum casu licere, jam plures judæi sequentes Schamai affirmabant. KNAB. in *h. l.*

[70] *Qui dimissam duxerit mœchatur.* — **NB.** Hæc verba, etsi in nostro testimonio sint critice dubia, certa sunt in Marc. **10**. 11 et Luc. **16**. 18, qui omittere non potuissent exceptionem, si fuisset.

[71] 1 Corinth. **7**. 10. Cf. 510.

[72] KNAB. in *Matth.* **5**. 32 citat HERM., JUST., ATHENAG., THEOPH., ORIG., BASIL., CHRYS.; quibus addes AUG. *De conjug. adul.* I n. 8; II n. 8; HIER. in *h. l.*

[1] De uniuscujusque impedimenti convenientia videbis S. THOM. *Suppl.* q. 50.

517. **An impedimenta Ecclesiæ dirimant matrimonia ethnicorum et hæreticorum.** Quantum ad ethnicos nulla difficultas; hi enim Ecclesiæ legibus non subsunt. Apostatæ e contra et hæretici subsunt potestati Ecclesiæ, et ideo *per se* loquendo impedimentis impedientibus et dirimentibus subjiciuntur: an vero et quando *per accidens,* ad concubinatum præcavendum, Ecclesia a quibusdam saltem impedimentis eos dispenset, videbis in theologia morali.

518. **An Ecclesia possit dispensare ab omnibus impedimentis matrimonialibus.** Distinguendum est inter impedimenta juris *ecclesiastici* et juris *naturalis* vel *positivi* divini. Quoad priora nulla difficultas; ejusdem enim potestatis est solvere, cujus est ligare: quoad alia, iterum distinguendum est inter impedimenta quæ sequuntur matrimonii proprietates primi et secundi ordinis: hæc Ecclesia dispensat ut instrumentum Dei; illa solvere nequit, sed de eorum existentia judicat; quare causæ quoque, quæ hæc impedimenta respiciunt, ad suum tribunal sunt deducendæ [2].

519. **De revalidatione matrimonii seu de sanatione in radice.** Ordinarie dispensatio impedimentorum nullam efficaciam tribuit maritali consensui jam dato, sed, ablato impedimento, fit facultas viro et mulieri ut ex novo contrahant; at nonnumquam dispensatio sic conceditur, ut sine novo consensu firmetur matrimonium antea nullum. Hæc dispensatio dicitur *sanatio in radice,* quia tribuit efficaciam primo consensui, qui est veluti radix conjugii. Cave tamen ne sic rem explices, quasi Ecclesia vim sacramenti tribuat consensui qui *mere fuit,* vel faciat ut concubinatus evadat sacramentum, quod piarum aurium est offensivum; Ecclesia hac dispensatione, remotis impedimentis, tribuit consensui maritali *virtualiter permanenti,* ut sortiatur suum naturalem effectum [3]. Quare ut sanatio in radice locum habeat et illicitam cohabitationem reddat honestam, necesse est *a*) quod vir et mulier non consenserint in concubinatum sed in matrimonium, quod quidem contingere potuit impedimenti ignorantia vel falsa æstimatione de potestate Ecclesiæ vel alia simili de causa, et quod *b*) primus consensus non fuerit retractatus, sed in cohabitatione et usu conjugii, qui sunt maritalis consensus morales effectus, *virtualiter* permaneat.

520. **Errores - Veritas.** *Omnem potestatem* in re matrimoniali, imprimis vero instituendi impedimenta dirimentia, denegarunt Ecclesiæ NOVATORES: *potestatem dependentem* a Statu dederunt JANSENIANI et REGALISTÆ; *potestatem non exclusivam* tribuerunt THEOLOGI GALLICANI [4]. — **Veritas** contra *Novatores* est definita in

---

[2] Cf. S. THOM. *Suppl.* q. 67. a. 2.

[3] Etiam uti *sacramentum* matrimonium exigit intentionem saltem virtualem faciendi quod facit Ecclesia. Cf. n. 72 sqq.

[4] Supra n. 473.

CONC. TRID.: « S. q. d., eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant; a. s. »[5]: contra *Jansenianos* et *Regalistas* est proposita in condemnatione SYNOD. PIST.: « Doctrina synodi asserens ad supremam civilem potestatem dumtaxat *originarie* spectare contractui matrimonii apponere impedimenta... derimentia...; quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit... *jure proprio* impedimenta constituere...; hæretica »[6]: contra *Gallicanos* est vindicata a CONC. TRID.: « S. q. d. causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; a. s. »[7].

THES. 78. *Ecclesia habet* — 1 *veram potestatem,* — 2 *a Statu prorsus independentem, statuendi impedimenta etiam dirimentia matrimonium.*

521. **Prima pars.** *Ecclesia potest impedimenta etiam dirimentia matrimonium statuere.* **Ex Scripturis** hæc veritas non demonstratur, siquidem quæ legimus de incestuoso Corinthio prohibebantur etiam lege civili[8] et naturali[9]; clare tamen evincitur **Traditione,** quæ a sæc. IV usum hujus potestatis refert. Ut aliqua documenta afferamus, dixisse sufficiat quod de impedimento *affinitatis* ex vero matrimonio agunt CONC. NEOC. et BASIL.[10]; de eodem impedimento ex copula illicita BASIL.[11]; de impedimento *voti* AMBR., CONC. CART. VI, GREG. M.[12]; de impedimento *ordinis* LEO M.[13]; de

---

[5] CONC. TRID. sess. 24 cn. 3; cn. 4 et 12.

[6] PIUS VI cond. *Syn. Pist.* pr. 59.

[7] CONC. TRID. sess. 24 cn. 12. — **NB.** Cum GALLICANI opponerent CONC. TRID. non dixisse *omnes* causas matrimoniales ad *solos* judices ecclesiasticos spectare, PIUS VI in epist. ad ep. *Motul.* respondit: « Scimus hanc captiunculam et fallax hoc cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim canonis ita generalia sunt, omnes ut causas comprehendant et complectantur. Spiritus vero sive ratio legis adeo late patet ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquat ».

[8] 1 Corinth. **5.** 1.

[9] CORNELY in *h. l.* p. 119 ex 2 Corinth. **7.** 12 colligit patrem incestuosi adhuc vixisse.

[10] CONC. NEOCÆS. a. 314 cn. 2; BASIL. Epist. 199 *ad Amphil.*

[11] BASIL. epist. 169 *ad Diodor.*

[12] AMBR. *De virg. laps.* c. 5; CONC. CARTH. IV cn. 104; GREG. M. Epist. VII ep. 119 *ad Vigil.*

[13] LEO M. Epist. 12 *ad Anast.*

impedimento *erroris* ex statu servitutis LEO M. et GREG. M.[14] de impedimento *raptus* BASIL., GREG. M.,[15]; de impedimento *spiritualis cognationis* Eccl. Græca in CONC. TRULL.[16]; etc. — **Ratio** sumitur ex identitate contractus matrimonialis cum sacramento. Nam est de ratione contractus, cujus effectus in societatem redundant, quod moderetur legibus rectitudinem et valorem ejus statuentibus: atqui matrimonium vere est contractus cujus effectus redundant in societatem, quæ ex pace conjugum et studiosa prolis educatione juvatur, ex illorum discordia et hujus neglectu summam patitur jacturam: ergo matrimonium debet moderari legibus quæ conditiones liceitatis et validitatis ejus statuant; quod est impedimenta impedientia et dirimentia constituere: atqui rursus ad Ecclesiam pertinet statuere leges quæ ad rem sacram, imo ad sacramentum attinent: ergo Ecclesia potest impedimenta matrimonialia constituere.

522. **Secunda pars.** *Ecclesiæ potestas in re matrimoniali omnino independens est a Statu.* Nam **Patres,** cum de impedimentis matrimonialibus agunt, existentiam desumunt ex sola ecclesiastica consuetudine, qua illa quoque impedimenta firmantur, quæ a civili potestate non sunt statuta. Sic v. g. BASIL., loquens de nullitate matrimonii cujusdam viri qui prius cum sorore mulieris peccaverat, ait: « Primum quod in hujusmodi rebus maximum est, *morem nostrum* objicere possumus, ut vim legis habentem, *eo quod nobis a viris sanctis traditæ sint regulæ* »[17]. Et GREG. M.: « Quædam terrena lex in romana republica permittit ut sive fratri, sive sorori... misceantur... *Sacra lex prohibet* cognationis turpitudinem revelare »[18]. — **Ratio** est *a*) quia potestas Ecclesiæ fundatur in ratione sacramenti, et in administratione sacramentorum Ecclesia a Statu non dependet: *b*) quia matrimonium, etiam ut officium naturæ, est res sacra[19]; unde ne in ordine quidem naturæ Status in matrimonium haberet potestatem: *c*) quia societas perfecta et suprema, uti est Ecclesia, suam potestatem non mutuatur a societate inferiori: *d*) quia praxis ostendit Ecclesiam impedimenta dirimentia statuisse præter et contra dispositiones civilis potestatis, nec suis legibus simplices tantum

---

[14] LEO M. Epist. 67 *ad Rust.* c. 4; GREG. M. *Epist.* VI epist. 1 *ad Fort.*

[15] BASIL. Epist. 199 *ad Amph.* c. 22; GREG. M. *Epist.* VII epist. 119 *ad Vigil.*

[16] CONC. TRULL. a. 692 cn. 52.

[17] BASIL. Epist. 160 *ad Diod.* n. 2.

[18] GREG. M. *Epist.* XII epist. 31 *ad August.*

[19] Cf. supra n. 483.

fideles ligasse, sed principes et reges, qui, data occasione, ab Ecclesia humiliter dispensationem impedimentorum petiere [20].

THES. 79. *Status civilis* — 1 *nullum jus habet in matrimonio christianorum;* — 2 *potest tamen leges ferre de his quæ matrimonium consequuntur.*

523. **Prima pars.** *Status civilis nullum jus habet in matrimonio christianorum.* Nam non pari ratione intellectus et voluntas se habent ad proprium objectum: ille rem attingit prout in mente extat, unde si duo ratione distinguuntur, intellectus potest unum sine altero considerare; sed voluntas res attingit prout in se sunt, unde quæ re identificantur non possunt divisim attingi a voluntate: atqui in matrimonio christianorum sacramentum et officium naturæ re identificantur: ergo a lege, quæ voluntate superioris firmatur, non possunt separatim attingi: atqui rursus lex civilis non potest attingere matrimonium uti sacramentum: ergo [21]. — Accedit quod « matrimonium... est contractus naturalis, divino jure *ante omnem societatem* institutus et formatus, qui etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocumque mere civili contractu, quod in eo genere civilis consensus certis de causis interdum per legem suppleatur; in matrimonio vero nulla humana potestate suppleri consensus valeat » [22]. Demum « cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quædam incarnationis Verbi Dei adumbratio idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium sed ingenitum, non ab hominibus acceptum sed a natura insitum... Hanc ob causam nuptiæ apud (ethnicos ipsos) non sine cæremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri sæpe consueverunt... Igitur cum matrimonium sit *sua vi, sua natura, sua sponte sacrum,* consentaneum est, ut regatur et temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum *sola* habet magisterium » [23].

524. **Secunda pars.** *Status potest leges ferre de his quæ matrimonium consequuntur.* Nam « generatio humana... *in quantum ordinatur ad bonum politicum* subjacet ordinationi legis civilis » [24].

---

[20] Constat ex universa historia ecclesiastica.

[21] BILLOT *th. 48* p. 436.

[22] PIUS VI ad episc. *Agr.* a. 1789.

[23] LEO XIII Enc. *Arcanum.*

[24] S. THOM. *Cg.* IV c. 78; *IV Dist.* 34 q. 1 a. 1 coll. *Dist.* 42 q. 2 a. 2.

Nonne multa, quæ directe spectant religionem, indirecte et ex consequenti civilibus subjacent legibus? Profecto sicut potestas civilis debet mores bonos promovere, religiosum cultum fovere, blasphemos et hæreticos pœnis mulctare, ita debet prohibere liberum amorem et putridum concubinatum, atque suis legibus Ecclesiam juvare in matrimonii regimine. Sed insuper « multa sunt *extrinseca* connubio, quæ ei accidunt, et cum eo connectuntur, nimirum dos, hæreditates, jura successionis, legitimitas aut illegitimitas prolis in foro civili, admissio aut exclusio a publicis officiis et alia hujusmodi. Circa hæc legislator civilis statuat, debita cum subordinatione a supremo spirituali regimine; de his decernat ut bono et prosperitati societatis civilis consulatur »[25].

525. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Nulla est potestas Ecclesiæ circa materiam et formam sacramentorum: atqui maritalis contractus est materia et forma hujus sacramenti[26]: ergo. **Resp.** Christus ad dignitatem sacramenti evexit quidem *consensum maritalem verum* seu *legitimum,* sed quandonam consensus maritalis habendus sit verus et legitimus non determinavit, at pro temporum adjunctis, convenientia et possibilitate statuendum reliquit societati cui sacramentorum administrationem commisit.

526. **Objic. 2.** Ecclesia sua impedimenta ex jure romano mutuata est: ergo non jure proprio statuit. **Resp.** « Illud numquam homini sanæ mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitate conjugii, de nuptiis servos inter et ingenuas tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab imperatoribus Romanis inimicissimis nomini christiano, præsertim cum jus illud ab Ecclesia profectum, a civili jure interdum adeo dissideret, ut IGNAT. martyr, JUST., ATHEN., et TERTUL. tamquam injustas vel adulterinas publice traducerent nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatoriæ leges favebant »[27]. Quod si plura impedimenta matrimonialia juris romani in ecclesiasticam legem transiere, inde explicari debet quod sunt juris naturalis, vel intrinseca ratione aut introducto more tam convenientia, ut ea voluerit Ecclesia propria auctoritate firmare. Nonne plures leges Mosaicæ consonant legibus Ægyptiorum? et tamen non ex his sed ex divina ordinatione Hebræos vinciebant: similiter ergo quæ ex jure romano in ecclesiasticum venerunt, non ex illo, sed ex hoc uno vim habent.

---

[25] DE AUGUST. a. 9 p. 725; LEO XIII Enc. *Arcanum.*

[26] Cf. supra n. 497.

[27] LEO XIII Enc. *Arcanum.*

527. **Objic. 3.** Ecclesia non habet potestatem nisi in sacramento: atqui matrimonium fidelis cum infideli non est sacramentum [28]: ergo in hoc nihil potest Ecclesia; ideoque impedimentum *disparitatis cultus* nullius est momenti. **Resp.** Ecclesiæ potestas quoad hoc impedimentum ex duobus apparet. Primo quidem ex ratione *sacramenti;* cum enim fidelis subdatur Ecclesiæ in ordine ad sacramenta, ipsa non solum potest infirmare contractum qui est sacramentum, sed etiam impedire quominus suus subditus contrahat matrimonium quod sacramentum non sit. Nonne potestas civilis infirmat pacta quæ cum subditis aliarum nationum obsignantur, cum in proprium damnum cedunt? Ergo etiam Ecclesia ex injuria vel despectu sacramenti, necnon ex damnis, quæ ex matrimoniis cum infidelibus sequuntur [29], potest impedire quod illis jungantur christiani. Sed insuper revocandum est matrimonium etiam ut *officium naturæ* esse rem sacram, ad religiosam societatem spectantem [30], ac proinde qua tale subesse Ecclesiæ, quæ proinde quoad proprios subditos valet et de illo impedimenta statuere. Tandem commemora Ecclesiam *Christi nomine et auctoritate* agere: atqui Christo etiam infidelium matrimonia subsunt: ergo Ecclesia suis subditis hæc quoque potest prohibere.

---

[28] Supra n. 499.

[29] S. THOM. *Suppl.* 59 a. 1.

[30] Supra n. 483.

TRACTATUS XVI.

De Novissimis.

528. **Quæstionis ratio.** Nemo sanæ mentis est qui reputet se perpetuo futurum in mundo: quotidiana experientia et conditio nostri corporis, quod ex compositione dissolutionis radicem habet, undique clamant: *Præterit figura hujus mundi* [1]. Sed mors eritne ultimus vitæ nostræ terminus, vel potius initium novæ? Summe hoc nosse interest; si enim *ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tamquam non fuerimus* [2], frustra Christo *compatimur ut et conglorificemur* [3]; cum luxuriosis, reprobatis a Sapientia, conclamabimus: *Venite, et fruamur bonis quæ sunt...; coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra* [4]. Si e contra *statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium* [5], in quo justus judex *unicuique reddet secundum opera ejus* [6]; dum tempus habemus, operemur bonum [7], et *abnegantes impietatem, et sæcularia desideria: sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem* [8]. Cum itaque ex notitia futuræ vitæ ejusque sanctionis totum redemptionis opus illustretur, et virtutum exercitium promoveatur, operis pretium erit si, secundum consilium Spiritus S. [9], universæ theologiæ finem imponamus agentes de *Novissimis*. Porro tres quæstiones de futura vita occurrunt,

---

1 1 Corinth. **7**. 31.
2 Sap. **2** 2.
3 Rom. **8**. 17.
4 Sap. **2** 6-8.
5 Hebr. **9**. 27.
6 Matth. **16**. 27.
7 Gal. **6**. 10.
8 Tit. **2**. 12-3.
9 *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Eccli. **7**. 40.

scil. factum, initium et conditio; hinc tria tractatus capita: *De vita futura,* — 2 *de ingressu in vitam futuram,* — 3 *de futuræ vitæ receptaculis.*

CAPUT I.

De vita futura.

529. **Capitis divisio.** Præsens quæstio fundamentalis est in tractatu *de Novissimis;* qui enim existentiam futuram non agnoscit, vel indeterminatam habet, nec de præmio justorum, nec de pœnis damnatorum quidquam intelligere valet. Porro de vita futura consideri debet existentia et conditio; dicemus ergo: 1 *De existentia vitæ futuræ, et* — 2 *de ejus immutabilitate.*

ART. 1 — DE EXISTENTIA VITÆ FUTURÆ.

530. **An in V. T. fuerit notitia vitæ futuræ.** « Fateamur oportet revelationem de statu post mortem futuro multo imperfectiorem in V. quam in N. T. fuisse »[1]. Hujus obscuritatis multiplex ratio potest assignari. *Primo* quidem, quia in hoc, sicut et in ceteris dogmatibus, objectivus progressus dari oportebat usque ad apostolica tempora[2]: *secundo,* quia Israël, ad idololatriam proclivis[3], ex mortuorum cultu occasionem apostatandi nactus esset: *tertio* quia, cœlo nondum aperto, sanctis V. T. proxime non poterat promitti nisi *Limbus*[4] ab æterna felicitate, quam oculus non vidit, nec auris audivit[5], nimis remotus, ut quasi bonorum præmium enuntiaretur[6]: *quarto,* quia V. T. erat *umbra bonorum futurorum*[7]; unde sicut

---

[1] CORNELY *Intr. Gen. in Eccle.* p. 180.

[2] Cf. vol. 1 n. 491.

[3] Hac ratione Deus vetuit suas imagines et occultavit corpus Moysis. Revoca Israël exiisse de Ægypto, ubi fere tota religio in cultu defunctorum explicabatur. Cf. VIGOUROUX *La Bible et les découv. mod.* Livr. V c. 8 et 12.

[4] LIMBUS, qui, utpote locus subterraneus, in Scripturis dicitur *infernus,* si ratione expectationis Messiæ erat aliquatenus appetibilis, quia tamen erat pœna peccati nondum expiati (S. THOM. *Suppl.* q. 67 a. 7), horrorem incutebat. HAGEN *Lexicon* v. *Infernus.*

[5] 1 Corinth. **2.** 9.

[6] MOTAIS *Salomon et l'Ecclés.* I p. 275–91 apud *Vigouroux* Manuale Bibl. n. 856.

[7] Hebr. **10.** 1.

hebræorum sacramenta erant egena elementa [8], futura bona præfigurantia [9]; ita « non invenitur apertissime (eis) promitti nisi terrena felicitas » [10], futuræ gloriæ typus [11]. Valde tamen decipiuntur qui putant hebræos penitus ignorasse alteram vitam [12]; notionem enim, quæ nec ethnicos præteriit [13], habuisse, « abunde eorum persuasione de mortuis consulendis confirmatur » [14], et manifestissime elucet ex testimonio Tobiæ, qui *vitam illam expectabat, quam Deus daturus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo* [15], et ex testimoniis Eleazari, Machabæorum et Marthæ [16]. Ceterum *indirecta* testimonia adsunt in Lege [17], et *directa* extant in Prophetis et Hagiographis [18].

531. **Quae viventium ad mortuos relatio.** Quomodo ex divina dispensatione [19] liceat mortuis cum vivis communicare, inter theologos disputatur; hæc tamen pro certo haberi possunt: *Damnati* penitus ignorant quæ in mundo contingunt [20], de viventibus non sunt soliciti, nec pro eis orant [21]. *Sancti* in Verbo nostras invocationes percipiunt, quædam secreta cordis agnoscunt [22], et pro nobis intercedunt apud Deum [23]. *Animæ*

---

[8] Gal. **4**. 3.

[9] 1 Corinth. **10**. 6; 11. Supra n. 12.

[10] AUG. *De gest. Pelag.* c. 4 n. 14; HIER. *Adv. Pelag.* I c. 31; S. THOM. 1-2 q. 99 a. 6.

[11] BILLOT *De Novis.* p. 15; A. CELLINI *Bibbia e Filos.* etc. in *Scuola Catt.* Agosto 1909.

[12] NOELDECKE, KNOBEL, HARTMAN, VOLTAIRE, KANT, STRAUSS etc. apud *Vigouroux* Manuale Bibl. II n. 854; CELLINI *l. c.*

[13] « Permanere animas arbitramur consensu nationum omnium ». CICER. *Quæst. Tusc.* Cf. vol. 1 n. 190; vol. 2 n. 474.

[14] CORNELY *Int. Gen. in Eccle.* p. 180. Cf. Lev. **19**. 31; **20**. 6; 27; Deut. **18**. 10-2.

[15] Tob. **2**. 18.

[16] 2 Mach. **6**. 26; **7**. 6; **8**. 26; Joan. **11**. 24.

[17] Mortui dicuntur *appositi ad populum* Dei. Gen. **25**. 8; **35**. 29; **49**. 29 etc.

[18] BILLOT *th.* I p. 15-28 recenset Job **19**. 8-22; **21** per totum; **26**. 5; Ps. **14**. 1-5; **15**. 9; **20**. 5; **22**, 6; **48**. 15; **72**. 25; **83**. 5; **89**. 6; **91**. 9; **115**. 15; **149**. 7-9; Eccle. **3**. 16; **8**. 10; **10**. 1-14; Prov. **9**. 18; **21**. 16; Isai. **14**. 9; Sap. **2**. per totum; **3**. 1-9; **4**. 16; **5**. per totum; Eccli. **1**. 3; **7**. 40; **31**. 8.

[19] Commercium *naturale* impugnabimus in thesi.

[20] S. THOM. I p. q. 89 a. 8 ad 1.

[21] Petitio divitis epulonis ad Abraham (Luc. **16**. 27) pertinet ad complementum parabolæ, non ad veritatem edoctam. BILLOT *De Nov.* p. 126.

[22] AUG. *(De cura ger. pro mort.* c. 13 n. 16) videtur etiam sanctis negare cognitionem hujus vitæ, sed probabilius loquitur de *naturali* notitia; concedit enim defunctos per angelos posse certiorari de rebus nostris. Ceterum « quia sanctorum animæ sunt perfectissime justitiæ divinæ conjunctæ, nec tristantur, nec rebus viventium se ingerunt, nisi secundum quod justitiæ divinæ dispositio exigit ». S. THOM. I p. q. 89 a. 8.

[23] De invocatione sanctorum egimus vol. 3 n. 165.

purgatorii per se nostra ignorant, sed possunt cognoscere relatione eorum qui hinc ad eos peregrinantur, et etiam manifestatione angelorum et Dei; unde sicut juvantur nostris suffragiis [24], ita æstimamus eos nostras petitiones agnoscere, et angelorum interventu [25], ac fervidis ad Deum precibus, plurima bona nobis obtinere [26].

532. **Errores - Veritas.** *Existentiam* vitæ futuræ negant MATERIALISTÆ spiritualitatem animæ impugnantes [27]: *notitiam* impetunt POSITIVISTÆ et AGNOSTICI nostram cognitionem coarctantes ad phœnomena sensibilia hujus vitæ et ad eorum relationes [28]: *naturam* corrumpunt PANTHEISTÆ futuram vitam explicantes per resolutionem animæ in Deum [29], aliique somniantes animarum transformationem in solem [30]: *ordinem* vitæ futuræ ad præsentem pervertunt MODERNISTÆ et SPIRITUALISTÆ corpus subtile tribuentes animabus separatis, eorumque naturale commercium cum viventibus profitentes [31]. — **Veritas.** *Existentia vitæ futuræ* est definita a LEONE X in CONC. LAT. V: « Sacro approbante concilio damnamus et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse » [32]; et continetur in SYMBOLIS confitentibus: « credo... vitam æternam » [33]: de *commercio defunctorum cum viventibus* nihil, quod sciam, definitum est, naturale tamen commercium non dari, in vivo Ecclesiæ magisterio continetur.

---

[24] Supra n. 404-5, 409.

[25] Apparitiones animarum purgatorii tribuuntur angelis, maxime custodibus.

[26] PESCH *De Nov.* n. 619.

[27] MATERIALISTARUM agmen recensuimus vol. 2 n. 5; eos vero logice negare vitam futuram, manifestum est, siquidem non agnoscunt animam spiritualem quæ sola, corrupto composito, potest permanere.

[28] Fautores POSITIVISMI et AGNOSTICISMI videbis in vol. 2 n. 5. — **NB.** RENZI in *Cœnobium* 1 Nov. 1906 notionem immortalitatis dicit categoricam seu *aprioristicam*, deductam ex impossibilitate concipiendi mortem.

[29] PANTHEISMI fautores dedimus vol. 2 n. 6. — **NB.** Ut notat LAXENAIRE *L'au-delà ou la vie future* 1995 p. 38, pantheismus est surculus *Nirvana* Budhismi. Sicut nempe in Budhismo morte homo liberatur a doloribus vitæ *sui annihilatione;* ita in Pantheismo anima amittit *suam individualitatem* transiens in ens universale. Cf. BILLOT *l. c.* p. 6.

[30] FIGUIER animas dicit filias solis quæ, completis suis cursibus, lege circulari redeunt ad originem, cui iterum copulantur: ex animarum vero euntium et redeuntium conflictu explicat lucem et calorem solis. Cf. H. MAZZELLA n. 628.

[31] DOT. TH. PASCHAL *Che cosa è la Teosofia* p. 14; MURRI *La vita relig. nel crist.* disc. 28.

[32] LEO X Bulla *Apost. Regim.* a. 1513.

[33] SYMBOL. NICÆN. et alia.

THES. 80. *Morte* — 1 *anima penitus a materia separatur,* — 2 *alteramque vitam ingreditur,* — 3 *cujus nullum est cum præsenti naturale commercium.*

533. **Prima pars.** *Morte anima a materia penitus separatur.* Nam **Scriptura** in homine duplex tantum elementum agnoscit: materiale alterum quod vocatur *corpus,* alterum spirituale quod dicitur *anima* vel *mens* seu *spiritus* [34]: atqui mortem explicat horum elementorum separatione [35]; ita scil. ut corpus, de terra factum, in pulverem revertatur [36], et spiritus, a Deo creatus, ad Deum redeat [37]: ergo morte anima a materiali substantia penitus separatur. — **Patres** docent quod « si anima deserat, moritur corpus » [38], quodque dies mortis est « exitus uniuscujusque de corpore » [39], de quo animæ emigrant [40]. — **Ratio** est quia anima est forma corporis [41], unicuique autem formæ respondet determinata materia: sicut ergo repugnat quod in præsenti anima duplex corpus informet, ita implicat quod in futuro uniatur corpori alterius speciei; quod insuper resurrectionem sui corporis impediret.

534. **Secunda pars.** *Morte anima non destruitur, sed aliam vitam assequitur.* Nam **Scriptura** vitam præsentem *opponit futuræ* [42], et concipit quasi *peregrinationem* qua tendimus ad Deum [43]. Hinc

---

[34] *Nolite timere eos, qui occidunt* CORPUS, ANIMAM *autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et* ANIMAM *et* CORPUS *perdere in gehennam.* Matth. **10.** 28; Job **10.** 12; Act. **20.** 10; etc. — **NB.** Qua ratione *anima, mens* et *spiritus* distinguantur, diximus vol. 2 n. 497. Scil. pars spiritualis hominis dicitur *anima* prout vitam tribuit corpori, *mens* prout est principium intellectionum, *spiritus* prout, gratia ornata, operatur merita æternæ vitæ.

[35] *Clamans voce magna, emisit spiritum.* Matth. **27.** 50; Ps. **145.** 4; Eccle. **12.** 7; **16.** 14; Jac. **2.** 26; etc.

[36] *Revertitur pulvis in terram suam unde erat.* Eccle. **12.** 7; Gen. **3.** 19; Sap. **9.** 15.

[37] *Spiritus redit ad Deum qui dedit illum.* Eccle. **12.** 7; Gen. **2.** 7; Apoc. **6.** 9; **20.** 4.

[38] AUG. in *Ps.* **70** enar. 2 n. 3.

[39] HIER. in *Joël.* **2.** 1; AUG. *De anima et ejus origine* II n. 8.

[40] CHRYS. in *Matth.* hom. 14 n. 4.

[41] Cf. vol. 2 n. 496.

[42] *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est... Videmus* NUNC *per speculum in ænigmate,* TUNC *autem facie ad faciem.* 1 Corinth. **13.** 10-2.

[43] *Dum sumus* (græc. habitamus) *in corpore, peregrinamur* (gr. exulamus) *a Domino...: audemus* (gr. confidimus) *autem, et bonam voluntatem habemus* (gr. delectamur) *magis peregrinari* (gr. exulare) *a corpore et præsentes esse* (gr. habitare) *ad Dominum.* 2 Corinth. **5.** 6-8; Hebr. **11.** 13-6.

mortuos non habet uti exterminatos, sed uti *appositos ad populum* alterum [44], et damnat eos qui putant omnia in hac vita absolvi [45], siquidem *spiritus redit ad Deum qui dedit illum* [46]. Quod autem apertis verbis docuit, illustrans parabolis, Ecclesiam comparat *vineæ,* in qua cum grano crescunt zizania post messem comburrenda in igne, et *sagenæ missæ* in mari, de qua eliguntur pisces boni in vasa, et mali foras mittuntur [47], ut intelligamus post præsentem vitam esse futuram *in consummatione sæculi,* quando *exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum* [48]. — **Ex Patribus** IREN. immortalitatem deducit ex natura animæ, quæ est *spiraculum vitæ* [49] et ens *spirituale.* « Mori, inquit, est vitalem amittere habilitatem, et sine spiramine in posterum et inanimalem, et immemorabilem fieri... Hoc autem neque *animæ* evenit, flatus est enim vitæ; neque *spiritui,* incompositus est enim et simplex spiritus qui resolvi non potest » [50]. Et GREG. Nyss.: « Mors quidem dissolutionis ab indumento mortalium pellium, non attingit animam. Quomodo enim dissolvi potest, quod non est compositum? » [51]. AUG. in anima solam mortem peccati agnoscit; « duæ (quippe) vitæ sunt, una corporis, altera animæ: sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus: quomodo si anima deserat, moritur corpus; sic anima moritur si deserat Deus » [52]. CONFIRMATUR *consensu omnium populorum* qui, etsi plurimum errent circa conditionem vitæ futuræ, omnes tamen ponunt morte hominem non exterminari [53]. Accedunt *monumenta catacumbarum* quæ undique redolent vitam futuram et supernaturale commercium viventium cum iis qui in Domino objerunt [54]. — **Rationes** pro immortalitate animæ et consequenti futura vita sumuntur ex illius *spiritualitate,* ex naturali *desiderio immortalitatis* et ex *moralitate actionum* quibus debetur præmium vel pœna quæ in hac vita sufficienter retribui nequeunt [55].

---

[44] Abraham *deficiens, mortuus est... congregatusque est ad populum suum.* Gen. **25**. 8; **35**. 29; **49**. 29; Deut. **32**. 48; etc. Cf. BILLOT p. 14.

[45] Sap. **2** per totum.

[46] Eccle. **12**. 7.

[47] Matth. **13**. 24–30; 47–50.

[48] Matth. **13**. 49.

[49] Gen. **2**. 7.

[50] IREN. *Adv. hær.* V c. 7 n. 1; MAXIM. Tuarin. apud *Petav.* De Ang. I c. 5 n. 7; DAMASC. *De fide orth.* II c. 12.

[51] GREG. Nyss. *Or. catech.* c. 8; AUG. *De im. animæ* c. 9 n. 16.

[52] AUG. in *Ps.* **70** enar. 2 n. 3.

[53] Supra n. 530 *not. 13.*

[54] Cf. APPENDICEM fig. 7; P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 1 c. 3 a. 8–10; p. 2 c. 6–8; p. 3 c. 2 a. 7; *Les catac. de St. Calixte* p. 186 sqq.

[55] Argumentorum explicationem vide in vol. 2 n. 474.

535. **Tertia pars.** *Nullum est hujus et futuræ vitæ naturale commercium.* **Ex Scripturis** adduci potest imprimis severa prohibitio evocandi mortuos [56]; quod enim in naturæ cursu continetur, naturæ auctor non vetat. Sed insuper Scriptura omnem notitiam hujus vitæ adimit defuncto, *sive* (enim) *nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget* [57]; ubi vero non est cognitio, nec aliqua communicatio operum vel affectuum esse potest. — **Ex Patribus** sic Aug.: « Si rebus viventium interessent animæ mortuorum, et ipsæ nos, quando eas videmus, alloquerentur in somnis; ut de aliis taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra marique secuta est ut mecum viveret [58]... Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, ubi non vident quæcumque aguntur aut eveniunt in ista vita hominibus » [59]. Et Greg. M.: « Mortui, vita in carne viventium post eos qualiter disponantur, nesciunt, quia vita spiritus longe est a vita carnis » [60]. — « **Ratio** est quia anima separata cognoscit singularia per hoc quod quodam modo determinata est ad illa vel per vestigium alicujus præcedentis cognitionis seu affectionis, vel per ordinationem divinam. Animæ autem mortuorum secundum ordinationem divinam et secundum modum essendi segregatæ sunt a conversatione viventium, et conjunctæ conversationi spiritualium substantiarum quæ sunt a corpore separatæ; unde ea, quæ apud nos aguntur, ignorant » [61].

536. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Psalmi et Prophetæ extollunt necessitatem laudandi Deum in hac vita, quia in inferno nemo confitetur Deo, vel in sepulcro enarrat ejus misericordiam [62]; Ecclesiastes vero, animam hominis comparat animæ bruti, quæ corrumpitur [63]: ergo. **Resp.** « Considerat Psalmista ea solummodo quæ *cadavera* in sepulcris patiuntur, et cum laudum meminit, eas laudes significat quibus homines, his in terris, meritorie scil. et cum ædificatione proximorum, Deum pro-

---

[56] Deut. **18**. 10–2.

[57] Job **14**. 21; Ps. **6**. 6; **29**. 10; **113**. 17-8; Isai. **38**. 18; **63**. 13. — Clarius in heb.: *Honorantur filii ejus et nescit; vilescunt et non intelligit de illis,* « i. e. jam non carissimorum cura tangitur; nescit in limbo quid eveniat filiis, nescit scil. naturali cognitione ». Knab. ex *Greg., Pin., Cord., Est.,* etc. in *Job* p. 198: in *Isai.* II p. 467.

[58] Vide supra n. 531 *not.* 22.

[59] Aug. *De cura ger. pro mort.* c. 13 n. 16.

[60] Greg. M. *Moral.* XII. 14.

[61] S. Thom. 1 p. q. 89 a. 8.

[62] Ps. **6**. 6; **29**. 10; **87**. 12; **113**. 17; Isai. **38**. 18 apud Billot p. 22.

[63] Eccle. **3**. 19-21.

sequuntur... Neque enim extra hunc præsentem mundum locus est *prædicandi præceptum* Domini [64], annuntiandi nomen Domini in portis filiæ Sion [65], narrandi nomen Domini fratribus [66], etc. » [67]. Quod vero attinet ad Eccle. difficultas innititur falsæ interpretationi; non enim affirmat quod anima corrumpitur, sed eos improperat qui inconsiderate id dicunt [68].

537. **Objic. 2.** Naturale commercium defunctorum cum viventibus constat *apparitione mortuorum* et *telepatiâ* qua parentum mortem etiam a longe præsentimus [69]; cum enim hæc ad supernaturalem finem non ordinentur, divinæ dispensationi tribui nequeunt. **Resp.** Mortuorum apparitiones non sunt reales sed apparentes, tribuendæ vero sunt interventui dæmonum vel angelorum [70]: similiter dicendum de phænomenis telepatiæ [71]; cum enim bonorum et malorum angelorum influxus in res humanas integret ordinem divinæ providentiæ [72], non est mirum quod Deus deceptiones dæmonum permittat et angelorum interventum velit, maxime ut ad suffragandas Purgatorii animas moveamur, vel de præstito auxilio mercedem recipiamus.

ART. 2 — DE FUTURÆ VITÆ IMMUTABILITATE.

538. **Quæstionis sensus.** In præsenti præcipue impugnamus metempsychosim, unde præscindimus a miraculosa resurrectione eorum qui uti Lazarus, revocantur ad prosecutionem prioris vitæ, nec consideramus secundariam illam evolutionem, qua animæ purgatorii, soluta pœna, æternum gaudium consequuntur; in primo enim tempus viæ nondum est expletum [1]; in altero non agitur de mutatione status, sed de ejus assecutione [2] secundum justum et misericors Dei judicium [3].

---

[64] Ps. **2**. 6.

[65] Ps. **9**. 15.

[66] Ps. **21**. 23; **25**. 12; **34**. 18; **77**. 4-6; **144**. 12.

[67] BILLOT *l. c.* p. 22.

[68] Cf. vol. 2 n. 478.

[69] MURRI *Rivista di Cultura* Gen. 1909.

[70] S. THOM. 1 p. q. 89 a. 8 ad 2.

[71] Cf. vol. 2 n. 493.

[72] Cf. vol. 2 n. 493.

[1] Cum scil. Deus ab æterno decreverit hos ad mortalem vitam restituere, priori morte non constituit eos in *termino*, sed, suspenso judicio, in *via* servat. Quia vero anima separata a corpore sine novis speciebus a phantasmatibus independentibus claram rerum notitiam habere nequit (S. THOM. 1 p. q. 89 a. 1 ad 3), et has species manentibus in *via* Deus non infundit; ideo qui miraculose suscitantur a morte, veluti de somno expergefacti, nil de altera vita cognoscunt.

[2] Huc revocatur « *limbus Patrum*, in quo detinebantur Patres a consecutione gloriæ propter reatum humanæ naturæ, qui nondum poterat expiari ». S. THOM. *Suppl.* q. 67 a. 7.

[3] Quod attinet ad *pœnæ augmentum*,

539. **Errores - Veritas.** *Immutabilitatem* vitæ futuræ negarunt PYTHAGORICI et PLATONICI inducentes metempsychosim seu trasmigrationem animarum de uno corpore in aliud, quod etiam ORIG., excluso tamen transitu in corpora animalium, recepit [4]. PROTESTANTES et MODERNISTÆ, ut videbimus, *redemptionem* quamdam *damnatorum* obtrudunt [5]. **Veritas,** etsi non solemniter definita, ad fidem pertinet, et continetur in ordinario magisterio Ecclesiæ necnon in condemnatione ORIG. quem « propter alternantes sine cessatione beatitudines et miserias... non immerito reprobavit Ecclesia » [6].

THES. 81. *Futuræ vitæ status immutabilis est.*

540. Nam **Scripturæ** *a*) non agnoscunt aliam mortuorum resurrectionem præter illam quæ futura est in fine mundi, cum *procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala in resurrectionem judicii* [7]; siquidem *si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit* [8]: *b*) rationem æternæ vitæ vel æternæ damnationis unice desumunt ex operibus quæ *nunc,* dum *sumus in corpore* [9], agimus, exhortantes ut, quousque

---

nota quod sicut sancti ex bonis viventium operibus, quorum sunt moralis causa, in accidentali gloria augescunt; ita damnati ex peccatis, quæ eorum scandala sequuntur, in cruciatibus usque ad finem mundi crescunt. — Quod attinet ad *diminutionem pœnæ,* quidam, duce SCOTO *IV Dist.* 21, tenent pœnas venialium et temporales reliquas de mortalibus remissis aliquando etiam pro damnatis cessare; licet autem S. THOM. hoc neget, concedit tamen quod « non est inconveniens quod quantum ad aliquid accidentale, pœna inferni minuatur *usque ad diem judicii* ». IV *Dist.* 23 q. 1 a. 1 ad 5.

[4] TIL. PESCH *Inst. Psych.* n. 316–7. Metempsychosim nostris diebus renovarunt FOURIER et J. REYNAUD.

[5] FOGAZ. *Il Santo* p. 22. Vide infra ubi de inferno.

[6] AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 17. Condemnatio ORIG. extat in epist. ANAST. ad *Joan. Jerosol.* — **NB.** Aliqui excusare volunt ORIG. ab hoc errore, quia in *Jerem.* hom. 18 n. 1 docet quod si morte « vasa mala facti fuerimus in perditionem, non renovamur, neque structura nostra ad meliorem statum reduci potest »; sed HIER. (epist. ad *Avitum*) absolute damnat ORIG.. et corruptionem operum ejus, a quibusdam excogitatam, dicit impossibilem.

[7] Joan. **5**. 28-9.

[8] Eccle. **11**. 3.

[9] *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* 2 Corinth. **5**. 10. Scil. « *ea quæ per corpus* (tex. græc.) gesta sunt, quatenus nimirum hæc cum præmiis pœnisve æqualibus compensantur ». CORNELY in *h. l.* p. 153.

hodie cognominatur [10], h. e. *dum tempus habemus, operemur bonum* [11] et a peccato resurgamus [12]: *c*) docent quod *statutum est hominibus semel mori* [13], et quod *venit nox, quando nemo potest operari* [14], siquidem *nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos* [15]: atqui hæc ex defectu *loci* [16], ex defectu *causæ* [17], et ex defectu *temporis* [18] absolutam immutabilitatem vitæ futuræ produnt: ergo. — **Ex Patribus** GREG. Naz. scribit: « Venit nox quando nemo potest operari, nimirum *post discessum ex hac vita...* Miserum est serum consilium capere, ac tum damni sensu affici, cum nulla jam ratione acceptum incommodum sarciri potest » [19]. Et HIER.: « Ubicumque tibi locum præparaveris, futuram sedem, sive ad austrum sive ad boream, ibi, *cum mortuus fueris,* permanebis » [20]. Similiter CHRYS.: « Donec hic fuerimus, spes habemus præclaras. Simul vero ac discesserimus illuc, non est postea in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere » [21]. Et AUG.: « Hic omne meritum comparatur quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo se autem speret, quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum promereri » [22]. — **Rationis** congruentiæ desumi possunt ex *natura meritorum hujus vitæ,* ex *conditione animæ post mortem,* ex *sanctione divinæ legis* et ex *metempsychosis fundamento. a*) Profecto in hac vita corpus operatur cum anima in bono et in malo; ergo in præmio et in pœna particeps erit: atqui admissa metempsychosi,

---

[10] Hebr. **3**. 13 « *Hodie,* seu hodierna dies denotat tempus vitæ præsentis (cf. Joan. **9**. 4); unde phrasis illa *(donec hodie cognominatur)* significat: quamdiu præsens vita durabit ». PADOV. in *h. l.* p. 158.

[11] Gal. **6**. 9.

[12] Cf. 2 Corinth. **6**. 2.

[13] Hebr. **9** 27. Tam manifesta erat Apostolo lex moriendi *semel,* ut inde eruerit efficaciam passionis Christi.

[14] Joan. **9**. 4. « *Dies* (est) totum vitæ naturæ quod hic vivimus spatium, in quo nobis datum est a Deo operari ea, quæ ad vitam æternam consequendam conducunt. *Nox* vero tempus post mortem nostram corporalem futurum, in quo non licet cuiquam operari (meritorie), neque contractas prius mortiferas abstergere sordes ». CYRIL. Alex. in *Joan.* VI c. 14.

[15] Eccle. **9**. 10.

[16] Nam excludunt tempus viæ seu probationis, ponentes tantum *vitam* seu præmium et *judicium* seu condemnationem, cum immutabilitate expressa ab arbore qui, ubi cecidit, ibi manet.

[17] Nam excludunt *meritum,* quo vitæ conditio specificatur.

[18] Nam excludunt *hodie,* et ponunt *noctem,* in qua nemo procedit ad novam mansionem.

[19] GREG. Naz. in *Bapt.* or. 40 n. 24.

[20] HIER. in *Eccle.* **11**. 3.

[21] CHRYS. *De Lazar.* hom. 2 n. 3.

[22] AUG. *Enchir.* c. 110.

corpus, utpote multiplex pro unaquaque anima, in præmio vel pœna partem habere non posset: ergo. *b*) Libertas circa ultimum finem fundatur in dependentia rationis a phantasmatibus; remoto igitur corpore, non secus ac angelus, homo fit immobilis respectu ultimi finis [23]; et ideo sicut *sancti* beatifica visione efficiuntur impeccabiles [24], ita damnati defectu gratiæ in malo firmantur [25]. *c*) Accedit quod præmium et pœna temporalis imparia sunt ad detinendos homines a peccato cum in æstu passionum fervet libido: ergo præmium et pœna sine fine esse debent [26], ideoque immutabilis vita quæ eis respondet. *e*) Tandem metempsychosis subaudit præexistentiam animarum, quam alias [27] improbavimus.

541. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Cum libertas sit essentialis animæ nostræ, etiam in altera vita manet: ergo etiam tunc erunt possibilia peccatum et pœnitentia; his vero conditio vitæ mutatur [28]. **Resp.** « De essentia liberi arbitrii non est activa indifferentia circa finem ipsum a quo omnis actuum moralium bonitas vel malitia dependet. Id quidem exemplatum perspicimus in libertate archetypa seu divina. Id quoque jam ex nunc quadantenus adumbratum cernimus apud nos, pro quanto nihil appetere valet voluntas nisi sub ratione boni. Inde enim manuducimur ad intelligendum quomodo contra rationem libertatis non sit obfirmatio in fine, quicumque tandem ille sit, sed solum carentia activæ indifferentiæ circa media quæ sunt ad finem » [29].

542. **Objic. 2.** In tantum repugnaret pœnitentia vitæ futuræ, in quantum Deus peccatorem obfirmaret in malo: atqui Deus non potest obfirmare in malo, siquidem infunderet malitiam, quod repugnat: ergo [30]. **Resp.** Obfirmatio in malo non fit infusione malitiæ vel *satanismi,* ut loquitur SCHELL, sed conditione ipsa vitæ futuræ [31] et subtractione gratiæ [32], quam, cum peccator in tempore opportuno respuerit [33], nunc Deus juste ei denegat.

543. **Objic. 2.** Multi defectu ætatis, hebetudine mentis, vel ignorantia revelationis, moriuntur antequam *in via ad ultimum finem* constituantur:

---

23 S. THOM. *De Verit.* q. 24 a. 11.

24 Cf. BILLOT *De Verb. Inc.* th. 28 p. 276.

25 S. THOM. *Cg.* IV c. 93.

26 HIER. in *Joan.* 3. Hoc canit etiam LUCRET. *De Nat. Rerum* I v. 108 apud MAZZELLA De Deo Creante n. 1270.

27 Cf. vol. 2 n. 476.

28 ORIG. *De Princ.* I c. 6 n. 3.

29 BILLOT *De Nov.* th. 1 p. 35.

30 E. SCHELL *Katholische Dogmatik in sechs Büchern* II p. 735–7 *(Studi religiosi* Mag.–Giug. 1906).

31 Supra n. 541.

32 Cf. vol 3 n. 395.

33 *Dilexit maledictionem, et veniet ei: et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.* Ps. **108** n. 18.

ergo post mortem dabitur eis tempus merendi [34]. **Resp.** Concedimus decedentes sine baptismo ignorantiâ fidei, etiam inculpabili, damnari; sed negamus eos non fuisse *in via ad finem supernaturalem;* siquidem Deus omnes ordinavit ad beatificam visionem et media sufficientia salutis omnibus paravit. Quomodo hoc possit intelligi, diximus in tr. *De Deo Uno,* animadvertentes voluntatem salvificam non excludere cursum naturæ, quo *infantes* a susceptione baptismi impediuntur [35], *adultis* vero infidelibus Deum dare gratias præternaturales, et etiam supernaturales, si dræternaturalibus obtemperent [36].

CAPUT II.

De ingressu in vitam futuram.

544. **Divisio capitis.** Ut jam notavimus, immutabilitati vitæ futuræ non obstat accidentalis quædam variatio, qua aliquo tempore imminuantur vel augeantur damnatorum cruciatus, et justi solvantur a debito pœnæ temporalis; hinc duplex initium vitæ futuræ, quoad *essentialem* sui determinationem in primo instanti mortis, et quoad *perfectam possessionem* in resurrectione mortuorum; quia vero vita, quæ est merces operum, sine judicio non determinatur, ad ingressum vitæ futuræ tres quæstiones revocantur: 1 *De judicio particulari,* — 2 *de resurrectionem mortuorum,* et — 3 *de judicio universali.*

ART. 1 — DE JUDICIO PARTICULARI.

545. **Circumstantiæ judicii particularis.** In quolibet judicio quinque solent considerari, scil. *locus, tempus,* causæ *discussio,* judicis *sententia,* et ejus *executio.* « Quoad LOCUM judicii particularis, uti monet BELLARM. [1], nihil certi statui potest, cum intellectualis visio ubique perfici possit: recepta tamen videtur sententia S. BONAV. [2], qui docet animam manere

---

[34] FARRAR et MERCY apud *Tanquerey* De Deo Remun. n. 22.
[35] Vol. 2 n. 219.
[36] Vol. 3 n. 394.
[1] BELLARM. *De Purg.* II c. 4.
[2] BONAV. in *IV Dist.* 20 1 p.

juxta corpus suum, ibique divinum judicium perfici » [3]. Quoad TEMPUS certum est fieri in ipso instanti mortis; tunc enim incipit nova vita, divinâ sententiâ statuenda [4]. Quoad DISCUSSIONEM CAUSÆ etsi, Patrum exemplo [5], ut spiritualia sensibilibus fiant intelligibilia, plura proponantur de accusatione et de defensione conscientiæ [6], de aperitione libri [7], et de interventu dæmonum et angeli custodis, certum est totum perfici in instanti, superna illustratione, « qua fiet ut cuique opera sua bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam » [8]. JUDEX est Christus *Deus-homo,* neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio [9], constituto judici vivorum et mortuorum [10]. SENTENTIA non dabitur voce, sed cuique « imprimetur per ingestam cognitionem præmii vel pœnæ merito vel demerito respondentis, eodem fere pacto quo a Deo legislatore impressa fuerat ipsa lex per synderesim et habitum primorum principiorum » [11]. Sententia, cum sit inappellabilis, et judex omnipotens, illico EXECUTIONI mandabitur; « unde, sicut corpus per gravitatem vel levitatem statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur; ita animæ, soluto vinculo carnis, per quod in statum viæ detinebantur, *statim* præmium consequuntur vel pœnam, nisi aliquid impediat; sicut interdum impedit consecutionem præmii veniale peccatum, quod prius purgari oportet; ex quo sequitur quod præmium differatur » [12].

546. **Errores - Veritas.** Judicium particulare *negaverunt* CHILIASTÆ, COPTI, NESTORIANI, TATIAN., VIGIL., LUTHER., CALV. et ANABAPT. æstimantes animas defunctorum usque ad judicium universale dubias manere de propria salute vel damnatione [13]: *naturam* judicii pervertunt THEOSOPHI et MODERNISTÆ constituentes in manifestatione conscientiæ, qua anima sine externo judice, ineluctabili lege, suscipit locum quem suis operibus sibi præparavit [14]. — **Veritas.** Contra antiquos hæreticos extat definitio BENED. XII docentis quod

---

3 C. MAZZELLA n. 1406.

4 Quod attinet ad quasdam revelationes de judicio peracto *ante* mortem, vel nonnullis diebus *post,* dicendum cum BELLAR. *l. c.* eas non esse de tempore judicii, sed in prima agi de illius *præostensione,* in altera de tempore *revelationis.*

5 ORIG. in *Num.* hom. 66; EPHREM Serm. *De Secundo Adv.;* CHRYS. in *Matth.* **25** opus. imp. hom. 54; AUG. *Or. contra Jud.* c. 4; BEDA *De Hist. Angl.* V c. 19; ANSEL. *De sim. mundi.*

6 Rom. **2**. 15.

7 Apoc. **20**. 12.

8 AUG. *De Civ. Dei* XX c. 14.

9 Joan. **5**. 22.

10 Act. **10**. 42.

11 BILLOT p. 41.

12 S. THOM. *Suppl.* q. 62 a. 2.

13 Apud C. MAZZELLA n. 1406.

14 C. W. LEADBEATER *La morte e gli stati che la seguono* p. 6; LÉON DENIS *Esposiz. della dott. sugli spiriti;* MURRI *La Vita Relig. nel crist.* Disc. 19.

sanctis « *mox post mortem suam...* viderunt et vident divinam essentiam...; animæ (vero) decedentium in actuali peccato mortali *mox post mortem suam* ad inferna descendunt »[15]: contra modernistas adsunt vivum Ecclesiæ magisterium et symbola profitentia Christum judicaturum esse vivos et mortuos[16].

THES. 82. *In mortis momento anima — 1 judicatur — 2 a Christo.*

547. **Prima pars.** *Statim post mortem anima judicatur.* Ut notat BELLARM.[17], judicium particulare **ex Scripturis** *directe* non evincitur, siquidem testimonia, quæ solent adduci[18], de finali judicio possunt explicari; probatur tamen *indirecte* ex locis quæ præmium et pœnam conferri dicunt statim post mortem. Revera in **V. T.** legimus: *Facile est coram Deo* IN DIE OBITUS *retribuere unicuique secundum vias suas*[19]. In **N. T.** Joan. ait: *Beati mortui qui in Domino moriuntur;* AMODO *jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos*[20]. Paulus vero, vitam præsentem habens uti exilium morte finiendum[21], clamat: *Coarctor... desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo*[22]. Nec aliter Christus in parabola divitis: *Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ: mortuus est et dives, et sepultus est in inferno*[23]. — **Patres** docent *a*) sanctos jam gaudere in cœlis[24] et damnatos in inferno cruciari[25], *b*) de quibusdam referunt sententiam jam datam in divino judicio[26], et *c*) cum CHRYS. affirmant quod « sicut illi, qui e carceribus educuntur, una cum ipsi catenis ad judicium protrahuntur, sic omnes animæ, *cum*

---

15 BENEDICT. XII Const. *Benedictus* a. 1336.

16 *Iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos.* – **NB.** Licet testimonium sit de judicio finali, valet pro nostra thesi, quia non agimus de judicii *tempore* sed de *persona judicis;* et quia tribuentes animæ sententiam in judicio particulari, nec in universali eam concedunt Christo.

17 BELLAR. *De Purg.* II c. 4.

18 Eccle. **11.** 9; Joan. **5.** 22; Hebr. **9.** 27.

19 Eccle. **11.** 28.

20 Apoc. **14.** 13.

21 2 Corinth. **5.** 1-8.

22 Philip. **1.** 23.

23 Luc. **16.** 22.

24 AUG. *De Sanct.* Serm. 44 et 47; CHRYS. *De Mart.* Serm. 1.

25 De actuali damnatione testantur Patres qui cum TERTUL., IREN., CLEM. Alex., ORIG., AMBR., EUTYM., GREG. M. (apud *A Lapide)* epulonis parabolam (Luc. **16.** 12) intelligunt de *facto,* vel cum THEOPH. (apud *Knab.*) *locum suum,* in quem abiit Judas (Act. **1.** 25), explicant de *inferno.*

26 Apud BELLAR. *De Purg.* II c. 4.

hinc emigraverint, variis peccatorum catenis implicitæ ad terribile illud ducentur tribunal »[27]. « Quod, inquit HIER., in die judicii futurum est omnibus, hoc in singulis *die mortis* impletur »[28]. Et AUG.: « Illud quod rectissime et valde salubriter (*Vinc.* Vict.) credit, *judicari animas, cum de corporibus exierint*, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet, jam redditis corporibus, judicari..., hoc itane ipse tandem nesciebas? »[29]. — **Ratio** est quia « tempus merendi et demerendi in morte finitur; ergo tunc est accomodatissimum tempus, ut unusquisque de propriis actibus judicetur, quia nihil est cur amplius differatur »[30].

548. **Secunda pars.** *Anima non infert sibi sententiam recogitatione suorum operum, sed a Christo judicatur.* Nam **Scripturæ** docent quod Pater *omne judicium* dedit *Filio*[31], quod oportet nos manifestari *ante tribunal Christi*[32], quod *justus judex*[33] reddet unicuique secundum opera ejus[34]: quare Apostolus judicium hominum spernens, et suum non æstimans, ab uno Deo judicari timet[35]. — **Patres** cum AUG. clamant quod « ipse erit judex causæ tuæ, qui modo est testis vitæ tuæ »[36]; « sedebit (enim) judex, qui stetit sub judice: damnabit veros reos, qui factus est falsus reus »[37]. CHRYS. testatur « post decessum ex hac vita nos *horrendo tribunali* sistendos esse, rationem reddituros de gestis omnibus »[38]: GREG. M. vero notat quod justis « consuetudo facta est, ut si quis eos de factis suis arguat, *Dei* magis *judicium* quam hominum quærant... Proponunt enim ante oculos cordis quia districtum *Dei judicium* tanto verius tunc super eo mitigabitur, quanto nunc acrius arguente homine prævenitur »[39]. — Patrum traditio confirmatur documentis **archæologiæ christianæ,** in catacumbarum enim inscriptionibus,

---

[27] CHRYS. in *Matth.* hom. 14 n. 4.

[28] HIER. in *Joël* **2**. 1.

[29] AUG. *De anima et ejus orig.* II n. 8.

[30] SUAREZ in 3 p. Disp. 52 sect. 2.

[31] Joan. **5**. 22. *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Rom. **14**. 12.

[32] 2 Corinth. **5**. 10; Rom. **14**. 10.

[33] 2 Tim. **4**. 8.

[34] Apoc. **22**. 12.

[35] *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die: sed neque meipsum judico. Qui judicat me Dominus est.* 1 Corinth. **4**. 3-4.

[36] AUG. Serm. 9 *De dec. chordis* c. 2.

[37] AUG. *Serm.* 127 c. 7 n. 10; *De Civ. Dei* XX c. 6.

[38] CHRYS. in *Matth.* hom. 13 n. 4.

[39] GREG. M. *Moral.* XXVI c. 2. Alias (XXIV c. 7 p. med.), sanctorum timore proposito, concludit: « Quid facient tabulæ, si tremunt columnæ? Aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? ».

picturis et anaglyptis exhibetur anima quæ a *Christo* judicatur, et ab *ipso* in æternam requiem inducitur [40]. — **Ratio** est manifesta; ut enim fert commune adagium, nemo est *judex in causa propria,* nec *cognitio* causæ potest confundi cum *sententia judiciali.* Porro non obstat Apostolum dicere conscientiam testimonium reddituram in die judicii, quando accusabit vel defendet [41]; ut enim taceamus conscientiæ testimonium esse effectum illuminationis Christi [42], accusatio et defensio non sunt judicium ipsum, sed judicii præambula vel motiva.

ART. 2 — DE RESURRECTIONE CORPORUM.

549. **De resurrectionis natura.** Resurrectio definitur a SUAREZ: « Mutatio substantialis, qua id quod prius extiterat et corruptum erat, idemmet iterum producitur » [1]: tria vero possunt in ea considerari, scil. *tempus, causa* et *modus.* Quoad TEMPUS certum est resurrectionem futuram in fine mundi; Christus enim testatus est: *Ego resuscitabo eum in novissimo die* [2], et Apostolus affirmat quod resurrectio fiet *in novissima tuba, canet enim tuba et mortui resurgent* [3]*:* atqui *dies novissimus* est finis mundi, quando immutabitur præsens ordinatio rerum [4], *novissima* vero *tuba* vocatur resurrectionis præceptum, « quia ultimum erit signum quod in præsenti hoc sæculo dabitur » [5]: ergo. Quoad CAUSAM tenendum est quod si resurrectio dici potest lato sensu *naturalis,* scil. ratione *universalitatis* quia erit totius humanæ naturæ; ratione *inclinationis* quia congruit animæ, quæ in separatione servat ordinem ad suam materiam; et ratione *termini* quia resurrectione corpus ab anima non secus ac nunc informabitur et vivificabitur; tamen ratione causæ erit simpliciter *supernaturalis* seu miraculosa, ut in thesi videbimus. Quoad MODUM EFFECTIONIS revocari debet naturam, quæ contactu agit, paullatim assequi terminum, Deum vero, qui infinitæ virtutis est et intime substantiam attingit, in instanti operari [6]; et ideo, quia resurrectio est opus divinum, fiet *in momento, in ictu oculi* [7], « i. e. in puncto temporis quod dividi non potest » [8].

---

[40] Cf. *Appendicem* fig. 7. P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 1 c. 3 a. 9; p. 2 c. 7 a. 1; p. 3 a. 2 a. 7.

[41] Rom. **2**. 15-6.

[42] 1 Corinth. **4**. 5.

[1] SUAREZ *De myst. vitæ Chr.* Disp. 44 sect. 1 n. 1.

[2] Joan. **6**. 55.

[3] 1 Corinth. **15**. 52.

[4] Cf. A. LAPIDE in *Joan.* **6**. 55.

[5] CORNELY in *1 Corinth.* p. 511.

[6] S. THOM. *IV Dist.* 11 q. 1 a. 3 sol. 2.

[7] 1 Corinth. **15**. 52.

[8] CORNELY in *1 Corinth.* p. 510.

550. **De conditione corporis resuscitati.** Tres sunt præcipuæ proprietates corporis resuscitati: *integritas*, *perfectio* et *immortalitas*. Revera cum « oporteat in resurrectione corpus hominis esse animæ totaliter correspondens, quia non resurget nisi secundum ordinem quem habet ad animam rationalem, oportet etiam hominem perfectum (INTEGRUM) resurgere, utpote qui ad ultimam perfectionem consequendam reparatur » [9]. Nec obstat quibusdam organis, puta ordinatis ad generationem, animam amplius non esse usuram, « quia instrumentum non solum servit ad exequendam operationem agentis, sed etiam ad ostendendam virtutem ipsius » [10]. Resurget etiam PERFECTUM « quia sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita sine defectu reparabit. Deficit autem humana natura dupliciter: uno modo quia nondum perfectionem ultimam est consecuta; alio modo quia jam ab ultima perfectione recessit; et primo modo deficit in pueris, secundo modo deficit in senibus. Et ideo in utrisque reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ultimæ perfectionis, qui est in juvenili ætate » [11]. Nec tantum corpus erit perfectum ætate, sed etiam in ceteris; aberunt enim omnes *defectus particulares*, quales sunt « febris, lippitudo, et similia » [12], qui, ut alias vidimus, oriuntur ex imperfectione causæ generativæ vel ex abusu ciborum [13].

351. **Dotes corporis gloriosi.** Ex Apostolo quatuor dotes corporis gloriosi solent assignari: *impassibilitas*, *subtilitas*, *agilitas* et *claritas*. IMPASSIBILITAS importat immunitatem a morte et a doloribus. Effertur ab Apostolo cum ait: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione* [14]; et a S. THOM. deducitur ex perfecto dominio animæ in corpus. Nam « impossibile est quod aliquid dominetur supra patiens, nisi inquantum debilitatur dominium formæ propriæ supra materiam patientis...; non enim materia subjicitur uni contrariorum, sine hoc quod tollatur dominium alterius super ipsam, vel saltem diminuatur. Corpus autem humanum, et quidquid in eo est, erit perfecte subjectum animæ rationali... Et ideo in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra dispositionem illam qua perficitur ab anima; et ita corpora illa erunt impassibilia » [15]. — SUBTILITATEM alii explicant de penetratione corporum [16], alii de perfecta contemperatione corporis ad animam, cujus erit perfectum instrumentum pro sensibilium perceptione [17]. Eam testatur Apostolus cum ait:

---

[9] S. THOM. *Suppl.* q. 80 a. 1; CATECH. ROM. p. I c. 12 n. 11.

[10] S. THOM. *l. c.* ad 1.

[11] S. THOM. *Suppl.* q. 81 a. 1.

[12] S. THOM. *Suppl.* q. 86 a. 1, ubi tamen notat damnatos subjectos esse defectibus communibus, quales sunt « ponderabilitas, passibilitas et similia ».

[13] Vol. 3 n. 73 et 75; S. THOM. *Suppl.* q. 81 a. 4.

[14] 1 Corinth. **15**. 42.

[15] S. THOM. *Suppl.* q. 82 a. 1.

[16] SUAREZ *De myst. vitæ Chr.* Disp. 48 sect. 5 n. 16; PESCH n. 693.

[17] S. THOM. *Suppl.* q. 83 a. 1; BILLOT *th. 14* p. 166.

Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale [18], et S. THOM. deducit ex glorificatione animæ, qua corpus fiet « omnino spiritui subjectum » [19]. — AGILITAS est complementum subtilitatis et consistit in facilitate ac celeritate motus localis. Eam docet Apostolus scribens: *Seminatur in infirmitate, resurget in virtute* [20], et S. THOM. concludit ex dominio animæ in corpus, siquidem « anima conjungitur corpori non solum ut forma, sed etiam ut *motor* »; et ideo ex animæ dominio corpus fit « expeditum et habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus et actionibus animæ » [21]. — CLARITAS importat fulgorem similem illi quo Christus coram apostolis transfiguratus est [22]. Continetur in verbis Apostoli: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria* [23], necnon in promissione Christi: *Tunc fulgebunt justi sicut sol* [24], atque deducitur a S. THOMA ex redundantia gloriæ animæ. « Quod enim recipitur in aliquo, non recipitur per modum influentis sed per modum recipientis; et ita claritas, quæ est in anima ut spiritualis, recipitur in corpore ut corporalis, et ideo secundum quod anima erit majoris claritatis secundum majus meritum, ita etiam erit differentia claritatis in corpore, et ita in corpore glorioso cognoscetur gloria animæ, sicut in vitro cognoscitur color corporis, quod continetur in vase vitreo » [25].

552. **Errores – Veritas.** Resurrectionis *factum* negarunt ex antiquis SADDUCÆI [26], PHILOSOPHI græci [27], HYMENÆUS et PHILETUS ab Apostolo damnati [28], GNOSTICI [29], BASILIDIANI [30], PRISCILLIANISTÆ [31]. « Recentiori ævo eumdem tenuerunt ANABAPTISTÆ, SOCINIANI, ARMINIANI. His adjiciendi sunt ætatis nostræ PSEUDO-PHILOSOPHI, PANTHEISTÆ, RATIONALISTÆ » [32]: *naturam* corrupit ORIG. resurrecturis tribuens corpus quorumdam organorum expers [33], cui accesserunt nonnulli RATIONALISTÆ resurrectionem explicantes per animæ evolutionem [34]: *dogmatis originem* everterunt MODERNISTÆ

---

[18] 1 Corinth. **15**. 44.
[19] S. THOM. *Suppl.* q. 83 a. 1.
[20] 1 Corinth. **15**. 43.
[21] S. THOM. *Suppl.* q. 84 a. 1.
[22] Matth. **17**. 2.
[23] 1 Corinth. **15**. 43.
[24] Matth. **13**. 43; Sap. **3**. 7; Dan. **12**. 2; Phil. **3**. 21.
[25] S. THOM. *Suppl.* q. 85 a. 1.
[26] Matth. **22**. 23; Act. **24**. 21.
[27] Act. **17**. 32; TERTUL. *De Præscr.* c. 7.
[28] 1 Tim. **2**. 17-8; 1 Corinth. **15**. 12.
[29] HERGENR. I p. 186, 189.
[30] HERGENR. I p. 203.
[31] HERGENR. II p. 127.
[32] C. MAZZELLA n. 1358.
[33] Apud HIER. *Cont. J. Hierus.* n. 25.
[34] BONNETY, WEGSCHIDER, LAVATER (apud *C. Mazzella* n. 1384) resurrectionem explicant per *palingenesiam* qua, semine quodam animæ conjuncto, adinstar papillionis, ex nympha, chrysallide aut bruco homines renovabuntur.

lege evolutionis deducentes ex indicis doctrinis [35]. — **Veritas** prostat in SYMBOLIS: « Credo... carnis resurrectionem » [36], et clare proponitur a CONC. LAT. IV: « Omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua » [37].

THES. 83. *In fine mundi mortui — 1 resurgent — 2 in numerica identitate corporis hujus vitæ.*

553. **Prima pars.** *In fine mundi mortui ad corporalem vitam redibunt.* **Ex Scripturis.** Hanc veritatem, quam in **V. T.** DEUS in PROTOËVANGELIO præfiguravit [38], et MOYSES subindicavit testificans de vita futura [39]; ante exilium Babyloniense sat clare enuntiavit SALOMON [40] verbis Job: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursus circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum meum* [41], et EZECHIEL cum in

---

[35] Cf. CELLINI *Bibbia e filosofia* etc. in *Scuola Catt.* Luglio 1909.

[36] SYM. APOST. et alia.

[37] CONC. LAT. IV c. *Firmiter.*

[38] *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius.* Gen. **3.** 15. **NB.** Sub nomine *seminis* non non intelligi solum Christum, sed *sensu consequenti* omnes justos, vidimus vol. 3 n. 232: in plena autem victoria de serpente resurrectionem innui, declaravimns in tr. *de B. V.* vol. 3 n. 255.

[39] Huc faciunt testimonia quæ dedimus n. 530, maxime vero verba Exodi: *Ego sum Deus Abraham, Deus Jsaac et Deus Jacob* (Exod **3.** 9); ut enim contro Sadducæos arguit Christus: *Non est Deus mortuorum, sed viventium* (Marc. **12.** 26). — **NB.** In notione vitæ futuræ Judæos comprehendisse resurrectionem corporalem certum est (Cf. etiam 2 Mach. **12.** 43–7; 1 Corinth. **15.** 29–32); si vero quæris qua de causa resurrectio corporis sequatur immortalitatem animæ, respondemus Judæos illam ex hac deduxisse *a*) partim *argumento ad hominem* contra Sadducæos qui cum resurrectione mortuorum negabant etiam vitam futuram: *b*) partim ex *congruentia* quæ, attento ordine physico et morali, suadet animam iterum iri unitam suo corpori ut expleat virtutem formæ quam servat, et cum corpore præmium recipiat de meritis cooperatione illius acquisitis: maxime vero *c*) ex *notitia Redemptoris,* per quem homo restituendus est in statum immortalitatis, in quo est conditus (vol. 2 n. 560 collat. 3 n. 171). Cf. CELLINI *l. c.* in *Scuola Catt.* Febb. 1910.

[40] *Salomon* probalius esse auctorem libri Job declarat CORNELY *Comp. Intr. in S. Script.* diss. 5 § 4 n. 2.

[41] Job **19.** 25–6. — **NB.** Interpretes de sensu testimonii dissentiunt; sed resurrectionem enuntiari « etiam secundum text. hebr., sat multi gravibus rationibus tuentur » (KNAB. in *Hagen* Lexic. v. *Resurrectio);* cum enim restitutio in suam carnem et visio salvatoris, non possint metaphorice explicari de redditu in pristinum statum terrenæ felicitatis, quem Job non expectabat, verba sunt intelligenda in sensu proprio de reassumptione corporis post sepulcri humiliationem.

spiritu vaticinavit ossibus et spiritibus domus Israël [42]; manifeste vero in exilio edixit DANIEL [43] et post exilium professi sunt martyres MACHABÆI tyranno respondentes: *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit* [44]. In **N. T.** non solum CHRISTUS resurrectionem aperte docuit dicens quod *omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei* [45], sed in ea PAULUS fundamentum constituit nostræ fidei; *si* enim *resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra* [46]. — **Patres** *a*) eum AUG. resurrectionem constituunt *fundamentum fidei,* eamque *b*) cum IREN. deducunt ex efficacia *Eucharistiæ, c*) cum TERTUL. ex natura *corporis, d*) cum AMBR. ex desiderio *animæ, e*) cum CHRYS. ex origine *meritorum;* doctrinam illustrantes exemplis *f*) *creationis* hominis et *g*) *renovationis* naturæ. *a*) Credere, inquit AUG., resurrexisse Christum, et sperare te resurrecturum esse per Christum... *fides est christianorum* » [47]. *b*) « Quomodo, arguit IREN., dicunt carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quæ corpore Domini et sanguine alitur?... corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia » [48]. *c*) Et TERTUL.: Natura hominis, inquit, carnem « non instrumentum in operationibus præstat, sed ministerium. Ita et ministerium tenebitur judicio... quia portio est ejus... non supellex » [49]. *d*) Similiter AMBR.: « Quæ potest esse gratia, ubi non

---

[42] Ezech. **37**. 1–14. Visio directe respicit reditum Israël a captivitate; sed adducitur pro resurrectione mortuorum, quia « non posset de ossibus figura componi, si non id ipsum et ossibus eventurum esset: nam etsi figmentum veritatis in imagine est, imago ipsa in veritate est sui ». TERTUL. *De resur. carn.* c. 30; HIER. in *h. l.;* KNAB. in *Ezech.* p. 378–80. — Adduci solet etiam Isai. **26**. 19 *Vivent mortui tui, interfecti mei surgent; expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere;* sed an propheta prædicaverit corporum resurrectionem, vel potius poëtica locutione glorificationem Israël, non est clarum.

[43] Dan. **12**. 2. *Et multi qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, et alii in opprobrium ut videant semper.* Cf. KNAB. in *Dan.* p. 317–8.

[44] Mach. **7**. 9, 14.

[45] Joan. **5**. 28–9; **6**. 55; Matth. **22**. 23; Act. **17**. 18; **23**. 6; **24**. 15, 21; **26**. 23; Rom. **6**. 5; 1 Corinth. **15** per totum; Philip. **3**. 11; 1 Thess. **4**. 15; 2 Tim. **2**. 18; Hebr. **11**. 35; etc.

[46] 1 Corinth. **15**. 13–4.

[47] AUG. in *Ps.* **101** Serm. 2 n. 7; *Enchir.* n. 84; *Serm.* 241 n. 1.

[48] IREN. *Adv. hær.* IV c. 18 n. 5; CYRIL. Alex. in *Joan.* IV c. 15.

[49] TERTUL. *De resur. carnis* c. 16.

totus evasi? Quæ vita, si in me opus Dei occidat »[50]. *e*) CHRYS.: « Si corpus non resurgit, anima nostra incoronata jacebit, extra cœlestem beatitudinem erit »[51]. *f*) Exemplum *creationis* adducit AUG.; « Antequam esses, nec favilla erat, nec ossa erant, et tamen factus es ...; et non credis quia ista ossa... recipient formam quam habebant? »[52]. *g*) Exemplum *renovationis naturæ* adducit AMBR.: « Resurrectionis fides usus est mundi rerumque status omnium generationum series, sucessionum vices, obitus ortusque signorum, diei et noctis occasus... Quid de fructibus loquar? Nonne tibi videntur occidere, cum decidunt, resurgere cum reviviscunt!... In his primum natura nostra speciem resurrectionis imitata est »[53]. — Patrum sententiam confirmant documenta **archæologiæ christianæ** quæ in epitaphiis[54], in picturis[55], et in anaglyptis[56] justorum gloriosam resurrectionem celebrant. — **Rationes** cum S. THOMA deducuntur *a*) ex *natura animæ* et *b*) ex *retributione operum.* Profecto *a*) anima separata servat suam naturam formæ substantialis: atqui forma dicit ordinem ad materiam: « est igitur contra naturam animæ absque corpore esse. Nil autem, quod est contra naturam, potest esse perpetuum. Non igitur perpetuo erit anima absque corpore... (sed) oportet eam cum corpore iterato conjungi: quod est resurgere »[57]. *b*) « Ex divina providentia peccantibus

---

[50] AMBR. *De fide resur.* (scil. *De excess. Satyri* II) n. 126. Similiter AUG. *De Gen. ad litt.* XII c. 35: « Inest ei (animæ) naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat ». Cf. DAMASC. *De fide orth.* IV c. 28.

[51] CHRYS. *Hom.* 39.

[52] AUG. *Serm.* 127 n. 15.

[53] AMBR. *De fide resur.* n. 53.

[54] Vide epitaphium diac. Severi in *Appendice;* alia reperies apud P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 1 c. 3 a. 10.

[55] Duæ sunt præcipue picturæ quæ exhibent resurrectionem, scil. *resurrectio Lazari* et *draco evomens Jonam.* P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 2 c. 7 a. 6; *Les catac. de Saint Calixte* p. 153.

[56] De anaglyptis hæc habet P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 3 c. 2 a. 7: « Resurrectionis præcipuæ adumbrationes Christi sunt miracula quibus Lazarus e sepulcro, viduæ filius e feretro, archisynagogi filia e lecto, aliique mortui ad vitam revocantur. Quandoque etiam reperiuntur Ezechielis visio, Tabithæ viduæ resurrectio, ac Jonæ casus, qui quidem, cum Lazari resurrectione, *sæculo secundo ineunte* in picturis potissimum apparent. Ad resurrectionem denique, præter pavonem et phœnicem avem, etiam quatuor annorum tempora spectant, quæ instar personarum plerumque in anaglyptis efficiuntur ».

[57] S. THOM. *Cg.* IV c. 79: CHRYS. *De resur. mor.* n. 7.

pœna debetur, et bene agentibus præmium. In hac autem vita homines ex anima et corpore compositi peccant, vel recte agunt. Debentur igitur hominibus et secundum animam et secundum corpus præmium, vel pœna. Manifestum est autem quod in hac vita præmium ultimæ felicitatis cónsequi non possunt... Necessarium igitur est ponere iteratam animæ ad corpus conjunctionem, ut homo in corpore et anima præmiari et puniri possit »[58].

554. **Secunda pars.** *Resurrectio erit in numerica identitate corporis præsentis.* **Ex Scripturis.** Nam CHRISTUS testatus est resurrectionem eorum qui *in sepulcris sunt*[59], in sepulcris autem est ipsum corpus quod fuit viventium: PAULUS vero non solum comparat corpus *semini,* quod in planta reviviscit[60], sed expresse ait: *Oportet corruptibile* HOC *induere incorruptionem, et mortale* HOC *induere immortalitatem*[61]. — **Patres** identitatem corporis evincunt *a*) ex testimonio Apostoli, *b*) ex notione resurrectionis, et *c*) ex analogia ad resurrectionem Christi. *a*) De primo sic THEOD.: « Sapienter docuit (Paulus) non aliud resurrecturum esse, sed illud idem quod corruptum est. Sic enim loquitur, ut illud idem veluti digito indicet, dicens corruptibile *hoc* et mortale *hoc* »[62]. *b*) De altero AMBR.: « Hæc est resurrectio, *sicut ipsius verbi sonus exprimit,* ut *quod* cecidit resurgat, *quod* mortuum fuerat reviviscat »[63]. *c*) De tertio HIER.: « Quomodo Dominus post resurrectionem fixuras clavorum ostendit in manibus... sic et nos post resurrectionem eamdem habebimus membra, quibus nunc utimur, easdem carnes et sanguinem et ossa »[64]. — **Ratio** sumitur *a*) imprimis *ex proprietate vocis.* Nam « resurrectio magis respicit corpus, quod post mortem cadit, quam anima, quæ post mortem vivit. Et ita, si non est idem corpus quod anima resumit, nec dicetur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio »[65]. *b*) Idem evincitur *ex fine resurrectionis.*

---

[58] S. THOM. *l. c.;* AMBR. *De fide resur.* n. 53.

[59] *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei.* Joan. **5**. 28.

[60] *Quomodo resurgunt mortui, qua-live corpore venient? Insipiens! Tu* QUOD SEMINAS *non vivificatur, nisi prius moriatur.* 1 Corinth. **15**. 35-6.

[61] 1 Corinth. **15**. 53.

[62] THEOD. in *1 Corinth.* **15**. 53; ORIG. *Periar.* II c. 10 arguit ex v. 36.

[63] AMBR. *De fide resurrect.* n. 87. Similia habent TERTUL. *C. Marc.* V c. 9; HIER. *Adv. Joan. Hier.* n. 33; CHRYS. in *1 Corinth.* hom. 39; GREG. M. in *Job* XIV c. 27; DAMASC. *De fide orth.* IV c. 27.

[64] HIER. *Adv. Joan. Hierus.* n. 28.

[65] S. THOM. *Suppl.* p. 79 a. 1.

Nam « oportet quod illud idem numero ad finem perveniat, quod propter finem est factum.., et hoc quidem fit, dum *eadem anima* numero *eidem corpori* numero conjungitur; alias enim non esset resurrectio proprie, nisi idem homo repararetur » [66]. *c*) Accedit *resurrectionis radix*, maxime si agitur de gloriosa resurrectione; hæc enim innititur *consecrationi* corporis per sacramenta, et *meritis* in quibus corpus suam habuit partem [67]: atqui hæc de solo corpore hujus vitæ valent: ergo. *c*) Tandem considerari debet *cultus cadaverum* [68] et præcipue reliquiarum sanctorum, quæ CONC. TRID. vult honorari, quia « viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus S., ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda » [69].

THES. 84. *Resurrectionis proprietates sunt* — 1 *supernaturalitas et* — 2 *universalitas.*

555. **Prima pars.** *Resurrectio mortuorum supernaturalis est.* **Ex Scripturis.** Nam in visione EZECHIELIS resurrectio tribuitur *divino præcepto* [70]; MACHABÆI membrorum restitutionem expectant a *rege mundi* [71]; CHRISTUS testatur *se* esse resurrectionem, et *propria virtute* ad vitam evocaturum esse defunctos [72]; APOSTOLUS vero destructionem mortis repetit a triumpho Christi [73]: atqui hæc causam supernaturalem undique produnt: ergo. — **Ex Patribus** LACTANT.

---

[66] S. THOM. *l. c.* a. 2.

[67] Cf. supra n. 553.

[68] Si resurrectio non esset *ipsius* cadaveris, hoc magnam reverentiam non mereretur, nec Ecclesia crematione ejus vetaret.

[69] CONC. TRID. sess. 25 § 2. — **NB.** DURAND. (apud *Suarez* De Myst. Chr. Disp. 44 Sect. 2 n. 2 sqq.); BILLOT *De Nov.* th. 13 p. 154 sqq.; OSWALD *Eschatologie* p. III c. 2 § 5; H. MAZZELLA IV n. 701, putant numericam corporis identitatem ex anima tantum oriri, ac proinde salvari etiamsi in resurrectione nihil de materia prioris corporis resumeretur; at hoc non videtur concedendum, quia testimonia Scripturæ et Patrum sunt de ipso cadavere, quod in sepulcro deponitur. Nil vero concludit exemplum de mutatione moleculorum nostri corporis in hac vita; nam hæc mutatio fit paullatim, et sic *major pars trahit ad se minorem,* ut fert commune adagium; resurrectio e contra fit in instanti, et ideo, si de priori corpore nihil assumeretur, nec resurgere communi locutione diceretur.

[70] *Vaticinare de ossibus... vaticinare ad spiritum* etc. Ezech. **37.** 1–14.

[71] 2 Mach. **7.** 9; 14.

[72] *Audient vocem Filii Dei — Ego resuscitabo eum in novissimo die — Ego sum resurrectio et vita.* Joan. **5.** 28; **6.** 55; **11.** 25.

[73] *Novissima autem inimica destruetur mors: Omnia enim subjecit sub pedibus ejus* (Christi). 1 Corinth. **15.** 26.

ait: « Nemo quærat a nobis, quemadmodum fieri possit; nec enim *divinorum operum* reddi potest ratio. Sed si a principio Deus hominem, nescio quo *inenarrabili modo*, instituit, credamus ab eodem veterem restitui posse, qui novum fecit » [74]. Et GREG. M.: « Da potentiæ Creatoris tui, quod *comprehendere non vales* de temetipso... Ne ergo de carnis tuæ resurrectione desperes! Perpende prudenter, quia minus est Deo reparare quod erat, quam fecisse quod non erat » [75]. — **Rationis** argumenta possunt desumi *a*) *ex inductione* qua firmatur principium quod generatio unius est *corruptio alterius*, *b*) *ex operatione naturæ* quæ ad vitam inducendam habet tantum generationem, a resurrectione penitus diversam, *c*) ex *conditione animæ* quæ, in termino constituta, naturalibus causis non subjacet [76]. *d*) Accedit etiam *terminus resurrectionis;* siquidem omnes resurgent in corpore immortali, et justi in glorificato; immortalitas vero et multo magis glorificatio corporis sunt indebita humanæ naturæ [77]. *e*) *Palingenesiam* tandem, quam obtrudunt rationalistæ, pugnat cum perfecta spiritualitate animæ separatæ, de qua supra diximus [78].

556. **Secunda pars.** *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.* Nam in **Scripturis** CHRISTUS dicit quod *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei* [79]; et peccatorum quoque resurrectionem testatur, annuntians eorum separationem ab his qui ad vitam vocabuntur [80]: PAULUS vero, non solum dicit mortem iri destructam [81], quod non esset si aliqui non resurgerent, sed futuram docet *resurrectionem justorum et iniquorum* [82]. — **Ex Patribus** et **ex ratione.** « Ratio evidens est quia, cum *omnis* vitæ naturæ usus in corporis animæque consortio sit, resurrectio autem aut *boni actus* præmium habeat, aut pœnam *improbi;* necesse est corpus resurgere *cujus actus expenditur.* » [83].

---

[74] LACT. *De div. inst.* VII c. 23.
[75] GREG. M. In *Ezech.* hom. 20.
[76] Cf. vol. 1 n. 148.
[77] Cf. vol. 2 n. 561.
[78] Supra n. 533.
[79] Joan. **5**. 28.
[80] Matth. **25**. 32-3; Joan. **5**. 29.
[81] *Novissima autem inimica destruetur mors.* 1 Corinth. **15**. 26.
[82] Act. **24**. 15.
[83] AMBR. *De fide resurr.* n. 52 Scil. cum titulus resurrectionis sint merita operum, quæ corporis cooperatione sunt elicita; quia merita hujusmodi sunt præmii in bonis et pœnæ in malis, illi ad gloriam, hi ad ignominiam resurgere debent.

557. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Terminus productionis semper est aliquid *novi,* juxta effatum: *corruptio unius est generatio alterius:* atqui resurrectio non est generatio novi, sed restitutio præcedentis: ergo repugnat. **Resp.** Adagium respicit operationem creaturæ; unde non probat repugnantiam resurrectionis, sed ejus supernaturalitatem. Sicut Deus sine generatione ex nihilo fecit omnia, ita sine generatione corrupta restaurabit.

558. **Objic. 2.** Sunt anthropophagi qui carnibus humanis vescuntur, imo aliquo sensu omnes sumus antropophagi; mortuorum enim corpora resolvuntur in elementa, quæ iterum componuntur et constituunt escas, quibus vescimur: ergo eadem materia ad diversa corpora successive spectat; unde et in diversis resurgere deberet, quod repugnat [84]. **Resp.** « Unumquodque in illo resurget in quo magis accessit ad perfectam participationem virtutis speciei... Et ideo si in carnibus commestis fuit aliqua superfuitas, quæ non pertinet ad veritatem humanæ naturæ in primo, resurgere poterit in secundo; alias... in secundo, loco ejus, sumetur aliquid de eo quod ex aliis cibis in carnem secundi conversum est: vel... divina virtute aliunde suppleretur, quantum indigeretur ad perfectionem quantitatis; sicut etiam supplet in illis qui ante ætatem perfectam decedunt. Nec per hoc aliquid præjudicatur identitati in numero; sicut nec præjudicatur per hoc quod partes secundum materiam fluunt et refluunt » [85].

559. **Objic. 3.** Docet Scriptura quod peccatoribus non est *resurrectio vitae* [86], sed *mors depascet eos* [87]*:* ergo saltem peccatores non resurgent. **Resp.** *Vita* in Scripturis sæpe dicitur de vita gloriosa, cui opponitur condemnatio [88]: quia ergo damnati resurgent ut æternaliter crucientur in inferno; ideo eis negatur resurrectio ad vitam: mors autem depascet eos, quia instar pastoris ducet « ad pasqua squalida et arentia, ubi nihil inveniant præter gemitus et dolores » [89].

560. **Objic. 4.** Forma essentialiter ordinatur ad materiam: sicut ergo repugnat eam creari ante infusionem in corpus, ita videtur absurdum [90] quod in æternum suo corpore privetur. **Resp.** Cum anima humana sit spiritualis, sine corpore potest vivere; et ideo essentialis ordo ad materiam, ex qua etiam individuationem mutuatur [91], est *aptitudinalis* tantum, non actualis. Porro argumentum desumptum ex repugnantia præexisten-

---

84 J. REYNAUD *Terre et Ciel.*
85 S. THOM. *Suppl.* q. 80 a. 4 ad 3.
86 2 Mach. **7.** 14.
87 Ps. **48.** 15.
88 Joan. **5.** 29; AUG. *Serm.* 127 n. 2.
89 BELLAR. in *Ps.* **48.**
90 BONOMELLI *Adn. in Monsabré* Espos. del dog. catt. conf. 101.
91 Cf. S. THOM. 1 p. q. 50 a. 4; q. 56 a. 1 ad 2; q. 75 a. 4 et 5 etc.

tianismi non concludit; forma enim quæ extra materiam produceretur, privaretur exercitio suarum facultatum ex defectu causæ efficientis, forma e contra quæ post separationem privatur tali exercitio, id habet a cursu naturæ: hinc præexistentianismus est *innaturalis* et repugnat divinæ sapientiæ; separatio vero animæ a corpore est *naturalis,* nec opponitur divinis attributis.

561. **Objic. 5.** Naturale est formæ appetere suam materiam: ergo anima separata habet naturale appetitum sui corporis; unde, ne sit infelix, divina virtute debet ei restitui [92]. **Resp.** Naturaliter anima separata non appetit *appetitu efficaci* resurrectionem, quia irrationabiliter quæritur a natura quod in naturæ cursu non continetur: sicut ergo rusticus agnoscit excellentiam dignitatis regiæ, sed non dolet de regni carentia; ita anima separata in statu puræ naturæ cognosceret bonitatem resurrectionis, sed de ejus absentia non tristaretur [93].

562. **Objic. 6.** Creationis finis in æternum evacuari nequit: atqui finis creationis hominis est conjunctio ordinis spiritualis cum corporali: ergo [94]. **Resp.** Finis prædictus sufficienter obtinetur creatione humani compositi; noluisse enim Deum *microcosmum* indefectibiliter *macrocosmum* repræsentare, ex ipsa mortalitate hominis apparet.

563. **Objic. 7.** Si resurrectio non esset naturalis, rationis lumine non probaretur: atqui Patres et theologi resurrectionem probant argumentis rationis: ergo. **Resp.** Argumenta rationis pro resurrectione non sunt apodictica sed congruentiæ; adducuntur vero contra rationalistas, ut pateat resurrectionem contra rationem non repugnare.

564. **Objic. 8.** Juxta Apostolum justi, qui vivent in fine mundi, non morientur [95]: ergo resurrectio non erit universalis. **Resp.** Universalitas resurrectionis agitur de *mortuis;* an vero justi, qui vivent in fine mundi, morientur, vel privilegio sine morte gloriosam immortalitatem consequentur, non est certum apud theologos et interpretes [96]. Profecto si pensatur acerbitas ultimæ tribulationis, quando igne *solventur elementa*

---

92 MERCIER *Corso di filos.* etc. II p. 221 sqq.

93 Vide quæ de naturali felicitate parvulorum decedentium sine baptismo diximus vol. 2 n. 598.

94 FARGES *Philos. Schol.* II p. 220.

95 1 Thess. **4**. 16–7.

96 PADOV. in *1 Thess.* p. 47 pro prima sententia citat AMBR., AUG., CATECH. ROM., ESTIUM, A. LAPIDE, DRACH, VAN STEEN, quibus addi possunt VIGOUROUX ET BACUEZ *Manuale Bibl.* IV n. 706 p. 381, ac, duce S. THOM. *Suppl.* q. 79 a. 1, fere omnes theologi cum MAZZELLA *De Deo Creante* n. 1364–5; HURTER III n. 780; BILLOT *th.* 12 p. 145; TEPE IV n. 937 sqq. etc. Pro altera vero sententia citat JUST. M., ORIG., TERTUL., EPIPH., GREG. Nyss., HIER., CHRYS., CYRIL. Alex., THEOD., THEOPH., CAJET., quibus addi possunt ipsemet PADOV. et CORNELY in *1 Corinth.* p. 506 sqq.

terræ [97], et consideratur justorum conformatio ad Christum [98], ratione cujus ipsa B. V. mortua est [99], nulla exceptio a lege mortis [100] possibilis videtur; at si attenditur plenus de serpente triumphus [101], et pensatur Paulum saltem innuere justos viventes in fine mundi *post resurrectionem* mortuorum [102] immortalitatem esse consecuturos, opposita sententia apparet probabilior.

565. **SCHOLION — De chiliasmo.** JOAN. in Apoc. scribit: *Vidi animas decollatorum propter testimonium Jesu... et vixerunt et regnaverunt in Christo mille annis. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima* [103]. Ex hoc testimonio quidam concluserunt sub fine mundi futurum esse regnum terrenum in quo sancti, corpore reassumpto, in magna justitia et summa bonorum copia mille annis gaudebunt [104]: his transactis, Christi inimici eorum civitatem obsidebunt sed non obtinebunt, quia ignis de cœlo missus eos consumet [105]. At hæc opinio, ex judaismo derivata [106], nullo solido innititur fundamento, et simpliciter est respuenda [107]. Revera nil concluditur ex citato testimonio Joannis; Apocalypsis enim est liber propheticus, qui metaphoris et obscuris imaginibus Ecclesiæ fastos prædicit; non ergo sensu *proprio* sumi debent verba objecta, sed explicanda sunt de morali resurrectione quorumdam sanctorum quorum ossa *pullulant de loco suo* [108], quique a Deo miraculis glorificati et ab Ecclesia sacris honoribus cumulati, jam nunc in conspectu mundi triumphant *mille annis,* h. e. diuturno tempore, usque ad ultimam tribulationem et finale judicium [109]. Sed neque ex Patribus firmatur Chiliasmus; etsi enim plures in Oriente et in Occidente [110] eidem

---

[97] 2 Petr. **3**. 10–3.

[98] *Prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Rom. **8**. 29.

[99] Vol. 3 n. 252.

[100] Rom. **5**. 12; Hebr. **9** 27.

[101] Gen. **3** 15 coll. vol. 3 n. 229 arg. 3.

[102] *Mortui... resurgent primi,* DEINDE *nos, qui vivimus, qui residui sumus, simul rapiemur,* etc. 1 Thess. **4**. 17.

[103] Apoc. **20**. 4–5.

[104] Hæretici cum CERINTHO hoc regnum constituerunt in nuptiarum festis et carnis illecebris; PATRES vero in deliciis spiritualibus vel saltem honestis.

[105] BILLOT *th. II* p. 138.

[106] Cum Judæi expectarent gloriosum regnum terrenum, de Ecclesia non contenti, suspicarunt futuram quamdam restaurationem theocratiæ mosaicæ. Cf. *Hergenr.* I p. 139.

[107] Modo a theologis et interpretibus bonæ notæ unanimi consensu damnatur.

[108] Eccli. **46**. 14 coll. KNAB. in *h. l.* p. 445, qui explicat de gloria relucente in eorum filiis.

[109] EPIPH. *Hær.* 77 n. 36; GREG. Naz. *Or.* 4 n. 69; AUG. *De Civ. Dei* I c. 4; XX per totum; DAMASC. *De fide orth.* IV c. 15, apud *Billot* p. 140-1.

[110] In *Oriente* chiliasmo adhæserunt PAPIAS, AUCT. epist. BARNAB., JUST. M., METHOD., APOLLIN., NEPOS, CORACION: in *Occidente* TERTUL., LACT., VICTOR. Cf. TIXERONT *Hist. des Dogm.* 1905 I p. 217–20.

adhæserint, *a*) fere omnes tamen pendent ab uno Papia, qui ex præpostera interpretatione Apocalypsis deduxit [111]: *b*) suam sententiam non proposuerunt uti fidei dogma [112]: et *c*) impugnati sunt ab aliis [113], qui a sæc. 5 in universa Ecclesia prævaluerunt [114]. Adde nunc *impossibilitatem* coadunandi sanctos in civitate ab hostium incursione libera, etsi summa fœcunditate donata [115]: adde testimonia loquentia de *simultanea* resurrectione sanctorum in fine mundi [116]: adde conditionem Ecclesiæ militantis, quæ usque ad finem mundi pressuras habebit [117]: adde reditum Christi in *consummatione sæculorum* [118], et videbis an millenariorum opinio vel levi probabilitate gaudeat [119].

ART. 3 - DE JUDICIO UNIVERSALI

566. **Judicii finalis circumstantiæ.** TEMPUS, ut patet ex ipso nomine, est finis hujus sæculi, cum, visibili mundo destructo, canet novissima tuba, et mortui, ad vitam revocati, in unum locum congregabuntur [1]. — Judicii LOCUM esse in hac terra certum est, nam Scripturæ loquuntur de reditu Christi, qui in gloria, qua ascendit in cœlum, veniet in maje-

---

111 *Chiliasmum* PAPIAS non testatur ex majorum auditione, sed, vir mediocris ingenii, ex gloria regni messianici et ex verbis Apocalypsis ipsemet deduxit. Cf. BOSSUET apud *Billot* p. 139.

112 IREN. *Adv. hær.* V c. 31 n. 1 de chiliasmi impugnatoribus dicit quod « reputantur recte credidisse ».

113 De his, qui primis temporibus chiliasmo contradixerunt, testimonium reddunt JUST. M. et IREN., eumque aperte et absque erroris nota impugnarunt ORIG. et CAJ. Rom.

114 Chiliasmi eversor fuit DIONYS. Alex. qui tamen, justos fines prætergressus, Apocal. de canone expulit. CORNELY *Int. in Sacr. Scr.* Diss. 2 § 6 n. 7.

115 Fabulosas regni chiliastici circumstantias describit IREN. *Adv. hær.* V c. 33 n. 3-4.

116 *Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, ut* OMNIS *qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in* NOVISSIMO DIE. Joan. **6**. 40; Job **19**. 25; Matth. **24**. 31; 1 Corinth. **15**. 51.

117 Dan. **7**. 23-27; Joan. **16**. 33 coll. Matth. **28**. 20; Matt. **16**. 18, ubi perpetuæ victoriæ supponunt Ecclesiæ pugnas incessabiles.

118 Matth. **26**. 64; Act. **1**. 11 etc.

119 Magis quam Chiliastæ erraverunt ROHLING *In viaggio per Sionne* et scriptores ephemeridis Pictaviensis JÉSUS-ROI (proscripti a C. S. O. 2 mart. 1910) proponentes *Ecclesiam* quamdam *eschatologicam* perpetuis generationibus in terris propagandam ex justis, qui ultimam mundi cladem effugient. At æquivocatio est manifesta: justi enim qui *probabiliter* (non certe) in fine mundi non morientur, *transformabuntur,* et in corpore glorificato, ad generationem proinde inepto, cum ceteris sanctis Christum comitabuntur in cœlum, quod vere est gloriosum regnum Christi.

1 Matth. **24**. 29-31 coll. **52**. 31-2 et 1 Corinth. **15**. 52.

state magna [2] ad judicandas omnes gentes [3], « ut ibi exitum habeat via totius generis humani, ubi habuit initium, progressum et finem; et ibi quoque Christus judex glorificatus assideat, ubi sub homine judice olim despectus, humiliatus et reprobus fuit » [4]. At omnes gentes fore judicandas in valle, quæ ad orientem Jerusalem montem Oliveti a Moria dividit, dubitatur [5]; tum quia incertum est num vallis illa antiquitus vocaretur *Josaphat* [6], cum quia vallis, de qua loquitur Joël, vel nullum determinatum locum signat [7], vel secundum anagogen [8] (scil. typice) tantum dicitur de valle quæ a rege Josaphat nomen habuit [9]. — Quod attinet ad DISCUSSIONEM CAUSÆ, repetenda sunt quæ diximus de judicio particulari; sicut nempe crystallum in conspectu solis defectus omnes ostendit, ita divina luce perculsi homines ante tribunal Christi in momento manifestabuntur [10], « cum coram toto orbe omnia afferentur in tanto, tam splendido theatro et notis et ignotis omnia conspicientibus » [11]. — JUDEX *visibiliter* apparebit [12], signo crucis annuntiabitur [13], et una cum sanctis

---

[2] Act. **1**. 11; Matth. **25**. 31-2.

[3] Quidam excludunt infantes decedentes sine baptismo, sed juxta Scripturas (Matth. **24** 32; Rom. **14** 10; 2 Corinth. **5**. 10), cum S. THOM. *(Suppl.* q. 98 a. 5 ad 3) sunt includendi, siquidem et pro illis mortuus est Christus, et de illis quoque divina Providentia a calumniis hominum est vindicanda.

[4] BILLOT p. 169.

[5] Sententia *affirmans* ex Joël **3**. 2 post S. THOM. *Suppl.* q. 88 a. 4 communior evasit, eique adhæsit C. MAZZELLA n. 1416; sed modo *negans* probilior habetur, eamque tenent BILLOT p. 169; TANQUEREY n. 86: H. MAZZELLA n. 719, etc. Neque hæc sententia *nova* est dicenda, siquidem CYRIL. Alex. (apud *Knab.*) sæc. 5 scribebat: « Frivola et anilia sunt, quæ *apud Judæos* circumferuntur olim *in valle Josaphat,* ubi mortui in vitam redierint, Deum de omnibus judicium habiturum ».

[6] Nec *Scriptura,* nec *J. Flav.* hoc nomine prædicatam vallem vocant.

[7] *Josaphat* in Joël potius quam nomen proprium, est commune *(Dominus est judex);* unde adæquate intelligitur de omni judicio divino, vario tempore variisque modis exercendo in gentibus. KNAB. in *Proph. Min.* I p. 237.

[8] HIER. in *h. l.,* prout nempe clades Assyriorum vel destructio Jerusalem sunt imago ultimæ punitionis inimicorum Dei.

[9] KNAB. in *Proph. Min.* p. 239-40.

[10] 2 Corinth. **5**. 10.

[11] CHRYS. in *Rom.* hom. 5 n. 6. « Non confuse, addit BASIL. *De vera virt.*, aut summatim aut indigeste peccata nostra cernentur, sed singula per partes suas, ut sese habent, velut in pictura noscentur ». — **NB.** Ab hac manifestatione quidam cum MAGIST. SENT. *(IV Dist.* 43) excludunt *peccata remissa;* sed ut notat S. THOM. *Suppl.* 87 a. 2, « ex hoc sequeretur quod nec etiam pœnitentia de peccatis illis perfecte cognoscatur, in quo multum detraheretur sanctorum gloriæ et laudi divinæ »; unde dicendum quod cognoscentur, sed ratione pœnitentiæ factæ nullum deducus afferent.

[12] S. THOM. *Suppl.* q. 90 a. 1 et 2 — **NB.** Ex visione gloriæ Christi damnati non gaudebunt, quia « sicuti amici gloria est delectabilis, ita gloria et potestas ejus, qui odio habetur, maxime contristat ». THOM. *l. c.* a. 2.

[13] Matth. **24**. 30.

judicabit mundum [14]: ejus porro sententia, probabilius intentionaliter tantum lata [15], statim executioni mandabitur: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* [16].

567. **Errores — Veritas.** Judicium universale negarunt antiquitus GNOSTICI, medio ævo CATHARI et ALBIGENSES, nunc vero RATIONALISTÆ [17] et MODERNISTÆ [18]. **Veritas** continetur in SYMBOLO: « Ascendit in cœlum... inde venturus est judicare vivos et mortuos » [19].

THES. 85. *In fine mundi omnes simul a Christo judicabuntur.*

568. **Ex Scripturis.** Universale judicium, quod in V. T. typice proponitur in Joël [20], clarissime effertur in N. T., ubi legimus quod *congregabuntur ante eum* (Christum) *omnes gentes, et separabit eos invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis* [21]; *Filius* quippe *hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus* [22]. — **Patres** *a*) communissime docent cum AUG. quod « nullus vel negat vel dubitat per J. C. tale, quale istis Ss. Litteris prænuntiatur, futurum esse judicium novissimum, nisi qui eisdem Litteris, nescio qua incredibili animositate seu cæcitate, non credit » [23]. *b*) Immorantur in descriptione Judicis qui « nec gratia prævenitur, nec misericordia flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec pœnitentia vel satisfactione mitigatur » [24]; quique « non falli poterit, quia *sapiens*, nec vitari poterit quia *fortis* robore » [25]. *c*) Describunt reproborum horrorem [26], docentes

---

[14] Sanctos judicaturos esse mundum et angelos aperte docet Apostolus 1 Corinth. **6**. 2-3. Quo sensu hoc fiet laboriose inquirit S. THOM. *Suppl.* q. 89 a. 1, sed simplicius videtur dicendum id convenire sanctis, prout mystica unione ad Christum in ipso et per ipsum faciunt quæ ipse facit. Cf. CORNELY in 1 *Corint.* p. 138-9.

[15] S. THOM. *Suppl.* q. 88 a. 2.

[16] Matth. **25**. 46.

[17] Cf. H. MAZZELLA n. 710.

[18] MURRI *La vita relig. nel crist.* Disc. 29 n. 5 universale judicium dicit recognitionem propriæ cooperationis ad bonum sociale, et assumptionem loci sibi debiti in supremo triumpho bonitatis.

[19] SYMB. APOST. et alia.

[20] Joël. **3**. 2. Supra n. 566.

[21] Matth. **25**. 32.

[22] Matth. **16**. 27; Rom. **14**. 10; 2 Corinth. **5**. 10; 2 Tim. **4**. 1.

[23] AUG. *De Civ. Dei* XX c. 30 n. 5.

[24] AUG. *De Symb. ad Catech.* Serm. 3 n. 8.

[25] GREG. M. *Moral.* IX c. 2.

[26] Nam tunc Christus « sedebit super thronum gloriæ suæ... omnes angeli cum ipso erunt... Undique horroris plenus ille dies futurus est » (CHRYS. in *Matth.* hom. 79 n. 1), quando

quod « in judicio humanitatem Christi, in qua judicandi sunt, videbunt, ut doleant; divinitatem vero ejus non videbunt, ne gaudeant »[27]. — CONFIRMATUR documentis **archæologiæ christianæ.** Licet enim, ut par est, in sepulcris commemoretur præcipue judicium particulare[28], in epitaphio tamen diaconi Severi sæc. 3, in sarcophaco quodam romano sæc. 4, et in aliis quibusdam inscriptionibus et anaglyptis etiam finale judicium recensetur[29]. — **Ratio** sumitur ex parte Dei, ex parte Christi, et ex parte nostri. *Ex parte Dei,* quia tunc « manifestabitur, quam justo judicio Dei fiat, ut nunc tam multa ac pene omnia justa judicia Dei sensus mentesque mortalium lateant; cum tamen in hac re piorum fidem non lateat, justum esse quod latet »[30]. *Ex parte Christi,* quia « tunc manifeste veniet inter justos et injustos judicaturus juste, qui occulte venerat judicandus ab injustis injuste »[31]. *Ex parte nostri a*) quia oportet eos, qui simul in societate vivunt, simul quoque judicari[32]: *b*) quia convenit aperitione conscientiarum falsa hominum judicia de sanctorum humilitate et de reproborum superbia corrigi[33]: *c*) quia morte non penitus absolvitur vita moralis seu juridica hominis, qui supervivere intelligitur in *corpore,* in *bonis fortunæ,* in *fama,* in *filiis* et in *effectibus* suorum operum; quare decet de hac quoque postuma morali sua vita in fine mundi judicari[34].

« non dives, non pauper, non potens, non infirmus, non sapiens, non insipiens, non servus, non liber, nemo illic apparebit, sed his personis contritis, operum tantum examen erit ». *(L. c.* hom. 57 n. 4).

27 ISID. Hisp. *Sent.* I c. 37.

28 Epitaphia catacumbarum non sunt catecheses totius dogmatis christiani, sed protestationes affectus viventium, qui de sorte carorum suorum solliciti, de illo profecto judicio maxime cogitare debebant, quo defuncti in æternam requiem inducuntur.

29 P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 1 c. 3 a. 1; p. 3 c. 2 a. 7.

30 AUG. *De Civ. Dei* XX c. 2.

31 AUG. *De Civ. Dei* XX c. 24 n. 2.

32 « Quilibet homo, inquit S. THOM. *Suppl.* q. 88 a. 1 ad 1, et est singularis quædam persona, et est pars totius generis humani. Unde et duplex ei judicium debetur. Unum *singulare,* quod de eo fiet post mortem, quando recipiet juxta ea quæ per corpus gessit, quamvis non totaliter, quia non quoad corpus sed quoad animam tantum. Aliud judicium debet esse de eo secundum quod est pars totius generis humani, sicut aliquis judicari dicitur, secundum humanam justitiam, etiam quando judicium datur de communitate, cujus ipse est pars. Unde et tunc, quando fiet *universale* judicium totius generis humani per universalem separationem bonorum a malis etiam quilibet per consequens judicabitur ».

33 Cf. Sap. 5. 1-13.

34 « Licet per mortem vita hominis temporalis terminetur secundum se,

CAPUT III.

De receptaculis vitæ futuræ.

569. **Capitis divisio.** « Anima... exuta a corpore est in statu recipiendi pro meritis bonum vel malum. Sic ergo post mortem vel est in statu recipiendi finale præmium, vel est in statu quo impeditur ab illo. Si autem est in statu recipiendi finalem retributionem, hoc est dupliciter: vel quantum ad bonum, et sic est *paradisus;* vel quantum ad malum, et sic ratione actualis culpæ est *infernus,* ratione autem originalis est *limbus puerorum.* Si vero est in statu quo impeditur a finali retributione consequenda, vel hoc est propter defectum personæ, et sic est *purgatorium*... vel propter defectum naturæ, et sic est *limbus Patrum* »[1]. Jamvero *limbus Patrum* evacuatus est morte Christi qui, Deo satisfaciens, paradisum sua morte aperuit[2]: de *puerorum limbo* sufficienter diximus agentes de consectariis originalis peccati[3]: in reliqua dispescimus præsens caput, cujus sunt quatuor articuli: 1 *De inferno,* — 2 *de purgatorio,* — 3 *de paradiso* et — 4 *de paradisi loco et essentia.*

Art. 1 - De inferno.

570. **Quid infernus.** Hebraice שְׁאוֹל *(scheol)* et *græce* ᾅδης, *infernus* in V. T. dicebatur de quovis loco subterraneo distincto a

---

remanet tamen ex futuris secundum quid dependens. *Uno* quidem *modo,* secundum quod vivit in memoriis hominum, in quibus quandoque contra veritatem remanet bonæ famæ vel malæ. *Alio modo* in filiis, qui sunt quasi aliquid patris... et tamen multorum bonorum sunt mali filii, et e converso. *Tertio modo* quantum ad effectum suorum operum, sicut ex deceptione Arii et aliorum seductorum pullulat infidelitas usque ad finem mundi: et usque tunc proficit fides ex prædicatione Apostolorum. *Quarto modo* quantum ad corpus, quod quandoque honorificæ traditur sepulturæ, quandoque vero reliquitur insepultum... *Quinto modo* quantum ad ea, in quibus homo suum affectum defixit, puta in quibuscumque temporalibus... Et ideo de his omnibus perfectum et manifestum judicium haberi non potest, quamdiu hujus temporis cursus durat ». S. Thom. 3 p. q. 59 a. a. 5.

[1] S. Thom. *Suppl.* q. 69 a. 7.

[2] Unde Christus latroni pœnitenti respondit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. **23**. 43.

[3] Vol. 2 n. 598.

a sepulcro, in quo animæ defunctorum detinebantur, comprehendebatque limbum, purgatorium et infernum proprie dictum [1]. « In N. T. (præter paucos locos, quibus vel de inferis V. T. agitur vel ad opiniones vulgares et usque ad ascensionem Christi veras oratio accomodatur) [2] est *sedes spirituum damnatorum*. Plerumque gehenna appellatur, rarius ἅδης, tartarus, abyssus, caminus ignis, stagnum ignis ardentis sulphure » [3]. Hanc damnatorum habitationem esse locum determinatum, constat *a*) ex præsentia corporum post resurrectionem, *b*) ex pœna ignis, qui ubique esse non potest, *c*) ex petitione dæmonum, qui rogabant Christum ne eis imperaret ut *in abyssum* irent [4], et *d*) ex testimonio Petri dicentis de Juda quod abiit *in locum suum* [5]. At ubi infernus consistat, non est certum; licet enim communior theologum et Patrum sententia teneat esse in inferiori parte terræ [6], alii tamen negant, unde CHRYS. dicebat: « Ne quæramus ubi sit, sed quomodo eam (gehennam) fugiamus » [7].

571. **Errores - Veritas.** Quoad inferni *meritum* erraverunt quidam MISERICORDES a pœnarum æternitate excipientes baptizatos vel saltem misericordes in pauperes [8]: *naturam* pœnarum inferni corruperunt NOVATORES et MODERNISTÆ reducentes ad divinam derelictionem [9] et conscientiæ horrorem [10]: *æternitatem*, post ORIG. [11],

---

[1] Hinc CATECH. ROM. p. 1 a. 5 n. 4: « Inferorum nomen abdita illa receptacula significat, in quibus animæ detinentur, quæ cœlestem beatitudinem non sunt consecutæ. Ita Sacræ Litteræ hanc vocem multis in locis usurpant ».

[2] Luc. **16**. 19 sqq.; Act. **2** 24; Eph. **4** 9; 1 Petr. **2**. 19.

[3] HAGEN *Lex. bibl.* v. *Infernus*.

[4] Luc. **8**. 31: Apoc. **20**. 2.

[5] Act. **1**. 25.

[6] Cf. LESSIUM *De div. perf.* XIII c. 24 n. 149.

[7] CHRYS. in *Rom.* hom. 31 n. 5.

[8] AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 17, 19.

[9] « Che cosa è l'inferno dal lato di Dio e di Cristo? Non altro che l'abbandono eterno del peccatore nelle condizioni ontologiche, psicologiche e fisiche in cui da se stesso volontariamente si pose ». DOM. BASSI *Relig. inter.* p. 79; P. ROSSI *Principii di filos. sopran.* VI p. 128; DI BARTOLO *Catechismo cattolico*.

[10] « Infernus nihil aliud est nisi conscientiæ horror ». CALVIN. *Inst.* 3 c. ult. — Verbis obscuris idem repetunt LÉON DENIS *Esposizione della dottrina degli spiriti* et MURRI *La vita Religiosa* disc. 29, ubi dicit *æternam sanctionem* constitui *a nostra activitate morali*, prout conscientia laudabit de bono et improperabit de malis. — **NB.** In hoc aliquatenus inclinarunt BONOMELLI *adn. in Monsabré* conf. 99; BOUGAUD *Il Cristian.* Vita crist. (Torin. 1902).

[11] JANSSENS VI p. 860.

THEOD. MOPS.[12] et quosdam AVERROISTAS[13], negarunt REFORMATORES plurimi et SOCINIANI dicentes in fine mundi peccatores ad nihilum esse redigendos, et UNITARII, UNIVERSALISTÆ, CONGREGATIONISTÆ[14], MICHAËLINI[15], RATIONALISTÆ[16] et MODERNISTÆ[17] blasphemantes damnatos aliquando esse redimendos: *mitigatione* successiva inferni pœnas tolerabiles futuras obtruderunt MODERNISTÆ[18], quibus etiam e nostris quidam nonnihil accesserunt[19].

Veritas. *Quovis peccato* mortali infernum mereri docet INNOC. III: « Actualis pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus »[20]: infernum constitui *pœnis positivis* a Deo inflictis, et maxime *vero* ac *reali igne,* constat ex SYMB. ATHANAS. et ex responsione S. PŒNIT.[21]: *æternitas* inferni continetur in SYMB. ATHANAS., et est definita in CONC. LAT. IV, dicente quod reprobi recipient « cum diabolo pœnam perpetuam »[22]: *indefectibilitas* pœnarum, etsi expresse non sit definita, continetur tamen in doctrina de eorum æternitate, et confirmatur proscriptione *Mivart* qui eam impugnaverat[23].

---

[12] HERGENR. II p. 215.

[13] E. CANTOR, G. HILDEN, etc., apud *Hergenr.* V p. 83–6.

[14] Apud TANQUEREY n. 9.

[15] HERGENR. VII p. 838.

[16] HERGENR. VII p. 289.

[17] E. SCHELL *Katholische Dogmatik in sechs Büchern* a. 1893 a pœnitentia vitæ futuræ excipit tantum peccatum contra Spiritum S.; unde docet infernum esse æternum solum *respective* ad eos qui pœniteri nolunt. Ei consentiunt alii MODERNISTÆ in *Studii Religiosi* Mag.-Giug. 1906; TYRREL *Nova et vetera* c. 110.

[18] MIVART apud *Mazzella* n. 582.

[19] E nostris pœnarum inferni successivam mitigationem docuerunt EMERY, PRESSY, P. VENTURA, quibus adhæsit BOUGOUD *Il Cristian.* etc. c. 15 p. 378 sqq.

[20] INN. III *Decret.* III tit. 42 c. 3. Et CONC. FLOR. *Decr. union. græc.:* « Diffinimus... illorum qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendos ».

[21] SYM. ATHAN.: « Qui mala (egerunt, ibunt) in ignem æternum ». — **NB.** S. PŒN. 30 April. 1890 sacerdoti Mantuensi sciscitanti an possent absolvi pœnitentes qui metaphoricum dicerent ignem inferni, respondit eos esse instruendos et *pertinaces non esse absolvendos.* — SUAREZ *De Angel.* VIII c. 12 n. 9, ignem inferni esse *verum ac proprium ignem corporeum* dicit sententiam *certam* et *catholicam.* Et merito. Nam si excipiatur *Catharinus,* vix unus ex antiquis theologis inveniri poterit qui huic doctrinæ contradixerit. Ex recentioribus vero sine ulla ambiguitate adhærent C. MAZZELLA n. 1291 sqq.; PESCH n. 652 sqq.: BILLOT *th. 4* p. 74 sqq.; TEPE IV n. 900 sqq.; H. MAZZELLA n. 655 sqq.; etc.

[22] CONC. LAT. IV c. *Firmiter.*

[23] CONG. IND. 14 Jul. 1893.

THES. 86. *Decedentes* — 1 *in peccato quovis mortali damnantur ad infernum, cujus pœna* — 2 *non consistit in sola peccatoris derelictione,* — 3 *sed acerbissimos cruciatus comprehendit,* — 4 *maxime vero ignem verum et physicum.*

572. **Prima pars.** *Moriens in quovis peccato mortali ad infernum damnatur.* Nam **Scriptura** absolute prædicat quod *mors peccatorum pessima* [24], quod *impius et peccator* in die judicii non habebunt *ubi parare* [25]. Quare enumeratis pluribus peccatis diversæ speciei, enuntiat *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* [26], « et si in regni Dei possessione numquam erunt, æterno supplicio tenebuntur, quoniam non est locus medius, ubi non sit in supplicio, qui illo non fuerit constitutus in regno » [27]. Rationem etiam reddit cur *uno* peccato quivis ad infernum damnetur, scil. quia *quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* [28]. — **Patres** cum JUST. M. docent quod « qui improbi vivunt, nec immutantur, eos igne æterno credimus puniri » [29]. AUG. eos, qui eximunt nonnullos peccatores ab inferno, dicit *agere causam suam,* « impunitatem falsam suis perditis moribus pollicentes » [30]. TERTUL. peccatoris damnationem arguit ex *Dei bonitate;* siquidem « malo parcere Deum, indignius est, quam animadvertere; et quidem Deo optimo, qui non alias plane bonus sit, nisi mali æmulus, ut boni amorem odio mali exerceat, et boni tutelam expugnatione mali impleat » [31]. CHRYS. rem illustrat exemplo: « Sicut enim passer, etiamsi non ex omnibus partibus teneatur, sed ex uno tantum pede, sub potestate est ejus qui laqueum tetendit: ita et nos, etiamsi non ex toto teneamur, ex fide nempe et ex vitæ ratione, sed ex vitæ ratione tantum, sub potestate diaboli sumus » [32]. — **Ratio.** Nam « quisquis peccando

---

[24] Ps. **32**. 22.

[25] 1 Petr. **4**. 18.

[26] *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Gal. **5**. 19–21; 1 Corinth. **6**. 9· Apoc. **21**. 27.

[27] AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 25.

[28] Jac. **2**. 10. Scil. *æquivalenter,* prout spernit auctoritatem Dei, ex qua universa lex pendet.

[29] JUST. M. *Apol.* I n. 21.

[30] AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 19.

[31] TERTUL. *Adv. Marc.* I c. 26.

[32] CHRYS. in 2 *Tim.* hom. 6 n. 3.

sese mortaliter deordinat deordinatione irreparabili, interminabilem meretur pœnam in foro illius cui interior justitiæ ordo subest, h. e. in foro Dei. Atqui per omne mortale peccatum homo sese moraliter deordinat ea deordinatione, quæ adhuc quidem reparabilis est per accidens in præsenti vita, sed omnibus modis irreparabilis evadit adveniente termino viæ, quando liberum arbitrium non amplius mobile est circa finem. Ergo eis omnibus, qui cum reatu mortalis peccati decedunt, justissime infligitur a Deo pœna sine fine duratura »[33].

573. **Secunda pars.** *Ad infernum damnati excluduntur a consortio divinitatis.* In **Scripturis** res est manifesta, siquidem in cœlum *non intrabit aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, et mendacium*[34], Christus vero damnatos in infernum detrudens, dicet: *Discedite a me maledicti*[35]. — **Patres** non solum docent peccatores excludi a beatifica Dei visione, sed hanc pœnam aliis graviorem affirmant. « Perire a regno Dei, inquit AUG., exulare a civitate Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei... tam grandis est pœna, ut nulla ei possint tormenta, quæ novimus, comparari »[36]. Et CHRYS.: « Hic est cruciatus omnium acerbissimus »[37]. — **Ratio** est quia decet eum, qui volontarie a Deo recessit, removeri in perpetuo a consecutione Dei[38]. « Sicut, inquit S. THOM., est voluntas in hominibus, ita est inclinatio naturalis in naturalibus. Si autem ab aliqua re naturali tolletur ejus inclinatio ad finem, omnino finem illum, consequi non potest... In eo autem qui peccat mortaliter, omnino avertitur intentio voluntatis a fine ultimo... Igitur ei, qui peccat mortaliter, hæc poena debetur, ut omnino excludatur a consecutione finis »[39].

574. **Tertia pars.** *Damnati in inferno puniuntur plurimis et acerbissimis pœnis.* Nam juxta **Scripturam** infernus est *locus tor-*

---

[33] BILLOT *th.* 2 p. 66.

[34] Apoc. **21**. 27; 1 Corinth. **6**. 9.

[35] Matth. **25**. 41. — **NB.** Pœna damni exprimitur in parabola virginum quæ ad convivium non recipiuntur (Matth. **25**. 10); in iis qui per angustam portam non intrantes, audient: *Nescio vos* (Luc. **13**. 24 sqq.); et in iis qui ad cœnam nolentes accedere, expulsi sunt (Luc. **14**. 16 sqq.).

[36] AUG. *Enchir.* c. 112.

[37] CHRYS. *Ad Theod.* ep. 1 n. 12. Et in *Matth.* hom. 23 n. 8: « Si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, et audire ab illo: *Non novi vos* ».

[38] Cf. vol. 3. n. 442; Luc. **14**. 16 sqq.

[39] S. THOM. *Cg.* III c. 143.

mentorum, magis timendus quam omnia mala hujus vitæ [40]. Ad ipsum « pertinet locus... tenebris obductus [41]: omnium autem summa sunt tormenta ignis, inextinguibilis, æterni [42]: ibi est fletus et stridor dentium [43] et vermis eorum (i. e. damnatorum angor conscientiæ) non moritur [44]: bibent damnati de vino iræ Dei [45]; nec habent requiem die ac nocte [46], neque ullam dolorum leviationem » [47]. — **Patres** non solum cum pœnis inferni *a*) enumerant vermem seu conscientiæ angorem, sed *b*) plurimas alias pœnas, *c*) præcipue ignem, easque *d*) acerbissimas et *e*) inæquales esse confitentur. *a*) « *Vermis*, inquit AMBR, est, eo quod irrationalibilis animæ peccata mentem rei sensumque compungant, et quænam exedant viscera conscientiæ, quæ tamquam vermes ex unoquoque nascuntur, tamquam ex corpore peccatoris » [48]. — *b*) BERNARD. sic describit infernus: « O regio dura et gravis! ...*Locus* lethifer, in quo est *ignis* ardens, *frigus* rigens, *vermis* immortalis, *fætor* intollerabilis » [49]. *c*) De *pœna ignis* sunt innumera testimonia, quorum aliqua infra dabimus. *d*) *Acerbitatem pœnarum* sic describit CHRYS.: « Pone ferrum, ignem et bestias; attamen non umbra sunt ad illa tormenta » [50]. *e*) *Inæqualitatem* docet GREG. M.: « Unus quidem est gehennæ ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores; uniuscujusque enim quantum exigit culpa, tanta illic sentitur pœna. Nam sicut in hoc mundo sub uno sole multi consistunt, nec tamen ejusdem solis ardorem æqualiter sentiunt: quia alius plus æstuat, atque alius minus: ita illic in uno igne non unus est modus incendii: quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum » [51]. — **Ratio** multipliciter docet *pœnas positivas* inferni eorumque acerbitatem. Ut enim taceamus de doloribus qui pœnam *damni* [52]

---

[40] Luc. **16**. 28.

[41] Matth. **8**. 12; **22**. 13; **25**. 30; 2 Petr. **2**. 12; Jud. 13.

[42] Testimonia infra dabimus.

[43] Matth. **8**. 12; **13**. 42; 50; **22**. 13; **24**. 51; Luc. **13**. 28.

[44] Marc. **9**. 43; 45; 47.

[45] Apoc. **14**. 9.

[46] Apoc. **14**. 11.

[47] Luc. **16**. 24-8. HAGEN *Lex. Bibl.* v. *Infernus*.

[48] AMBR. in *Luc.* I. 7.

[49] BERNARD. *De diver.* serm. 42 n. 6.

[50] CHRYS. *Ad pop. Anth.* hom. 39 (?) apud MONTARGON diz. Apost.

[51] GREG. M. *Dialog.* IV c. 43.

[52] An dolores, qui amissionem beatificæ visionis consequuntur, pertineant ad pœnam *damni* vel potius integrent pœnam *sensus*, videbis in meo opusc. *De Natura Peccati* n. 36.

consequuntur [53]; pœna *sensus* congruit *a*) *naturæ peccati* necnon Deo *b*) *legislatori* et *c*) *remuneratori*. *a*) Profecto « pœna debet proportionaliter culpæ respondere. In culpa autem non solum avertitur mens ab ultimo fine, sed etiam indebite convertitur ad alia, quasi in finem. Non solum ergo puniendus est qui peccat per hoc quod excludatur a fine, sed etiam per hoc, quod ex aliis rebus sentiat nocumentum ». — *b*) « Pœnæ inferuntur pro culpis, ut timore pœnarum homines a peccato retrahantur. Nullus autem timet amittere id, quod non desiderat adipisci; qui ergo habent voluntatem aversam ab ultimo fine, non timent excludi ab illo. Non ergo per solam exclusionem ab ultimo fine a peccando revocarentur. Oportet igitur peccantibus aliam pœnam adhiberi, quam timeant peccantes ». — *c*) Nam « sicut recte agentibus debentur bona, ita perverse agentibus debentur mala. Sed illi, qui recte agunt, in fine ab eis intento percipiunt perfectionem et gaudium. E contrario ergo debetur hæc pœna peccantibus, ut ex his, in quibus finem constituunt, afflictionem accipiant et nocumentum » [54]. — *Gravitas* autem *pœnarum* potest deduci ex conditione vitæ futuræ, et ex multitudine dolorum. *a*) Et primo quidem *ex conditione vitæ futuræ* quæ non pertinet ad viam sed ad terminum, in quo anima, a servitute corporis liberata, spiritualia magis percipit; unde « dolor animæ separatæ patientis... excedit omne malum hujus vitæ » [55]. *b*) *Ex multitudine dolorum,* nam quælibet facultas animæ et corporis speciali pœna in inferno torquetur. *Intellectus* premitur nebulis ignorantiæ, dubii et erroris [56], *memoria* recordatione pristinæ felicitatis et verme con-

---

[53] Nunc temporalibus curis abrepti, spiritualia non æstimamus, unde nec de eorum amissione dolemus; sed in futura vita, cessante unione animæ ad corpus, evacuabitur inconstantia concupiscentiæ transvertentis sensum, et anima Deum esse suum ultimum finem, in quo beatitudo consistit, cognoscet et consequenter de ejus amissione dolebit, tanto profundius « quo magis de æterno vacuo et impenetrabili chao in quod decidit, sibi conscia est ». BILLOT *th.* 4 p. 77-8. — **NB**. Adde Deum esse bonorum omnium *fontem,* remoto ergo Deo, omnia bona auferuntur.

[54] S. THOM. *Cg.* III c. 145.

[55] S. THOM. 3 p. q. 46 a. 6 ad 3.

[56] Huc veniunt damnatorum *tenebræ* (Eccli. **21**. 11; Matt. **22**. 13; 2 Petr. **2**. 17; Jud. v. 13), quæ a Patribus primario intelliguntur sensu spirituali (C. MAZZELLA n. 1278). Ceterum sicut Deus est verax (Rom. **3**. 4), ita dæmon est mendax (Joan. **8**. 44); qui ergo a Deo recedit, non minus in futuro, quam in hoc mundo (Rom. **1**. 22), ignorantia et errore premetur.

scientiæ [57], *voluntas* obstinatione in malo et perpetua contradictione [58], qua nil invenit eorum quæ cupit, et omnia habet quæ refugit: post resurrectionem vero *oculi* punientur terrore ingentium flammarum, conspectu damnatorum, tenebris et fumo [59], *aures* audient ululatus, blasphemias, maledictiones et stridorem dentium, *odoratus* affligetur fumo ignis ardentis sulphure [60], *gustus* torquebitur insatiabili fame et inextinguibili siti, siquidem exardescet contra eos sitis [61] et famem patientur ut canes [62], *tactus* horribiles ignis cruciatus sine intermissione sentiet, quia reprobi erunt sicut palea in igne [63]. Addit autem S. THOM. « quod damnati transibunt ex vehementissimo calore ad vehementissimum frigus, sine hoc quod in eis sit aliquod refrigerium » [64].

575. **Quarta pars.** *Damnati vero et proprio igne cruciantur in inferno.* Nam signum locutionis propriæ est vocis repetitio et instantia sermonis, nec metaphoræ adhibentur in judiciali sententia: atqui in **Scripturis** ignis inferni in *re* [65] et in *nomine* [66] sæpissime ac instanter commemoratur, et a Christo effertur in judiciali sententia: *Discedite a me maledicti in ignem æternum* [67]: ergo. — **Patres** *a*) una voce loquuntur de igne inferni. « Quoniam, inquit IREN. transgressoribus *ignis* æternus *præparatus est,* et Dominus dixit et reliquæ demonstrant Scripturæ » [68]. Et CYPR.: « Cremabit addictos

---

[57] Judith. **16**. 21; Eccli. **7**. 18; Isai. **66**. 24; Marc. **9**. 42; S. THOM. *Suppl.* 97 a. 2.

[58] *Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit.* Ps. **111**. 10; Sap. **5**. 1-16. — **NB.** BOUGAUD *Il Cristian.* etc. c. 15 p. 372 non agnoscit damnatorum *obstinationem* et c. 14 p. 368 cum EMERY, ESTIO et SYLVIO negat omnes damnatos *Deum blasphemare.* At damnatorum *obdurationem* docent FULG. *De fide ad Petrum* n. 31, 36; S. THOM. *Cg.* IV c. 93; *De Malo* q. 16 a. 5 ad 3; *IV Dist.* 50 q. 2 a. 1 sol. 5; perennes vero *blasphemias* evincit S. THOM. 2-2 q. 13 a. 4.

[59] Licet testimonia, quæ tenebras redolent, Patres *primario* explicent de privatione beatificæ visionis, *secundario* intelligunt de obscuritate physica. C. MAZZELLA n. 1278.

[60] Apoc. **19**. 20.

[61] Job **18**. 9; Luc. **16**. 24.

[62] Ps. **58**. 7.

[63] Matth. **3**. 12.

[64] S. THOM. *Suppl.* q. 97 a. 1 ad 3.

[65] Gehennom seu *vallis filiorum Hennom* erat vallis prope Jerusalem, in qua *igne* filii sacrificabantur idolo Moloch. Cf. 4 Reg. **23**. 10; 2 Paralip. **28** 3; Jerem. **7**. 31.

[66] Ps. **10**. 7; **28**. 7; Isai. **33**. 14; Matth. **5**. 22; **13**. 42; 50; **18**. 9; Marc. **9**. 43 sqq. Luc. **3**. 17; **16**. 24; Joan. **15**. 6; Apoc. **19**. 20; **20**. 15; **21**. 8.

[67] Matth. **25**. 41.

[68] IREN. *Adv. hær.* II c. 28 n. 6 et 7.

ardens semper gehenna et *vivacibus flammis vorax pœna,* nec erit unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem »[69]. Similiter CHRYS.: « Hunc (judicem) semper cogito, necnon *fluvium illum igneum...* Qui enim semel *igni* traditus ab illo fuerit, nullum potest supplicii sperare finem »[70]. *b*) AUG. vero mysterium illius ignis aperiendo dicit: « Adhærebunt spiritus... corporeis ignibus cruciandi... miris et ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam »[71]. — **Ratio** *existentiam* ignis inferni non potest probare, quia ejus inflictio pendet a libera voluntate Dei; potest tamen evincere *possibilitatem* ejus, siquidem non propria efficacia, sed « inquantum est instrumentum divinæ virtutis »[72] ignis inferni punit spiritus et corpora immortalia.

THES. 87. *Damnati — 1 in æternum cruciabuntur, — 2 quin umquam eorum pœnæ mitigentur.*

576. **Prima pars.** *Pœnæ inferni sunt æternæ.* Nam **Scriptura** aperte docet quod *ibunt hi* (peccatores) *in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*[73]: atqui *æternitas* ex sese et ex contextu significat interminabilem durationem: ergo. *a*) *Ex se.* Licet enim αἰών in Scripturis nonnumquam adhibeatur de tempore finito, semper tamen signat absentiam limitis in *suo ordine,* scil. a parte *ante* vel a parte *post,* respectu durationis *hujus* vel *futuræ* vitæ[74]: atqui in nostro testimonio æternitas supplicii effertur a parte *post* (*in*) et respectu *vitæ futuræ:* ergo damnatorum supplicium sine fine durabit in vita futura: atqui vita futura est simpliciter ultima, ut patet

---

[69] CYPR. *ad Demet.* c. 24.

[70] CHRYS. *Ad Theod. Laps.* II n. 3; in *Rom.* hom. 4 n. 3. Similia habent IGNAT. M. *Ad Ephes.* n. 16; JUST. *M. Apol.* 2 n. 9; THEOPH. *Ad Autolyc.* I n. 14; MINUT. FELIX in *Octav.* n. 35; TERTUL. *Apol.* c. 18; LACTANT. *De div. inst.* VII c. 21; EPHREM *Serm. Exeg.;* BASIL. in *Ps.* **28** n. 6; AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 2; c. 10 n. 1; CYRIL. Alex. hom. 14, *De exit. animi;* THEOD. in *Ps.* **96** c. 4; ARNOB. *Cont. Gent.* II c. 14; GREG. M. *Dial.* IV c. 29; ISID. Hisp. *Sent.* I c. 28.

[71] AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 10.

[72] S. THOM. *Suppl.* q. 70 a. 3.

[73] Matth. **25.** 46.

[74] De æternitate a parte *ante* vide Luc. **1.** 70, Joan. **9.** 32, Rom. **16.** 25, 2 Tim. **1.** 9; Tit. **1.** 2: — de æternitate a parte *post* Matth. **12.** 32; **13.** 22; 39; 49; **24.** 3; **28.** 20; Luc. **16.** 18; **20.** 34; Joan. **14.** 16: — de æternitate *vitæ futuræ* Matth. **12.** 32; Marc. **10.** 30; Luc. **18.** 30; **20.** 35; Joan. **4.** 13; **6.** 52; **10.** 28; 2 Corinth. **4.** 18; 2 Petr. **1.** 11 etc.

ex prædictis [75], et constat ex ipso silentio alterius ævi: ergo [76]. *b*) *Ex contextu*. Nam pari ratione dicitur æternum *supplicium* peccatorum, et æterna *vita* justorum: atqui de æternitate paradisi nemo ambigit: ergo « dicere...: Vita æterna sine fine erit, supplicium æternum finem habebit, multum absurdum est » [77]. *c*) Accedit quod tormentorum causæ in Scripturis æternæ efferuntur. Profecto *fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum* [78], vermis eorum *non moritur* et ignis *non extinguetur* [79]: atqui, manent causa, manet effectus: ergo. — **Ex Patribus** revoca testimonia quæ supra dedimus, ex aliis vero pene innumeris audi TERTUL.: « Nos... soli innocentiæ occurrimus et pro scientiæ plenitudine... et pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verum sempiterni, eum timentes quem timere debebit et ipse qui timentes judicat » [80]. ARNOB. paganos improperat, qui nos rident « cum gehennam dicimus, et inextinguibiles quosdam ignes » [81]. HILAR. docet gentibus nullam futuram requiem, quia in resurrectione « corporali et ipsis æternitas destinabitur, ut ignis æterni in ipsis sit æterna materies, et in universis sempiternis exerceatur ultio sempiterna » [82]. BASIL. arguit ex æternitate præmii. « Etenim si æterni supplicii futurus est aliquando finis, finem utique habitura est etiam vita æterna. Quod si non possumus illud de vita æterna intelligere, qua ratione supplicio æterno adscribitur finis? » [83]. AMBR. ex æternitate pœnæ explicat patientiam martyrum, et CYRIL. Alex. super verba Isai. affirmat quod « illic vermis supplicio afflictorum vivet perpetuo, et ignis non extinguetur » [84]. — « **Ratio...** potest sumi ex tribus. *a*) Primo *ex parte ejus in quem peccatur*, qui est infinite magnus, scil. Deus, unde et offensa illius infinita pœna digna est; quia quanto est dignior in quem peccatur tanto peccatum magis punitur. *b*) Secundo *ex voluntate peccantis*. Constat enim quod peccans mortaliter, finem delectationis suæ in eo quod mortaliter peccat, ponit, ut etiam Deum pro illo contemnat. Constat

---

75 Supra n. 540.

76 BILLOT *th.* 2 p. 49 sqq.

77 AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 23; *C. Orig.* n. 7.

78 Apoc. **14**. 11.

79 Marc. **9**. 43.

80 TERTUL. *Apolog.* c. 45.

81 ARNOB. *C. Gent.* II c. 14.

82 HILAR. in *Matth.* c. 5 n. 12. Similia habent PACIAN. *Parœn. ad pœn.* c. 11-2; CYRIL. Hier. *Catech.* 13 n. 38.

83 BASIL. *Reg. brev.* c. 267.

84 AMBR. in *Ps.* **118** serm. 21 n. 8; CYRIL. Alex. in *Isai.* V t. 5.

autem, quod quicumque summe diligit aliquid sicut finem suæ voluntatis, ex hoc ipso vellet semper sibi adhærere: et ideo peccans mortaliter, illo actu voluntatis quo peccatum mortale eligit, eligit peccato semper adhærere...; et ideo in suo (actu) æterne peccat, et propter hoc, æterna pœna est dignus. *c*) Tertio *ex ipso statu peccantis mortaliter,* qui per peccatum gratia privatur; unde cum sine gratia non possit fieri remissio culpæ, si in peccato mortali moriatur, semper culpa remanebit, cum ulterius non sit gratiæ susceptibilis. Manente autem culpa, semper est obnoxius pœnæ, et ideo talis in æterno punietur »[85]. *d*) Accedit *sanctio legis æternæ* quæ talis esse oportet, ut valeat in omni vitæ discrimine et summo æstu passionum a peccatis cohibere: atqui, ut ipsi ethnici agnoverunt[86], sola pœna æterna talis est: ergo. *e*) Ceterum « si longos post circuitus atque infinitis sæculis omnium rerum restitutio fiet,... quæ differentia erit inter virginem et prostibulum? Quæ differentia erit inter matrem Domini et (quod dictu quoque scelus est), victimas libidinarum publicarum?... Si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est, quia non quærimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri sumus »[87].

577. **Secunda pars.** *Inferni pœnæ numquam mitigabuntur.* Nam si confers **Scripturam** et **Patres** de inferni loco, non minus quam de ejus pœnis (de *verme,* de *igne,* de *tenebris,* de *tormentorum fumo,* de *ejectione a regno,* etc.), absolutam æternitatem prædicant, et immutabilitatem vitæ futuræ multipliciter testantur[88]: si consideras **naturam rei,** habes *incorruptibilitatem* animæ, et post resurrectionem etiam corporis, quorum pœnæ assuetudine non imminuuntur[89]; habes *infinitam* malitiam peccati, *irremissibilitatem*

---

[85] S. THOM. *II Dist.* 42 q. 1 a. 5.

[86] LUCR. *De nat. rer.* 108. Similia habent PLAT. *Gorgias* op. t. IV p. 166; *De republ.* X t. 7 p. 133; VIRGIL. *Eneide* VI, etc.

[87] HIER. in *Joan.* 3. **NB.** Hoc argumentum E. SCHELL (cf. *Studi Religiosi* Mag-Giug. 1906) damnat *pharisæismi judaici,* quasi sancti ex invidia et odio eos nolint socios in cœlo, quos inimicos habuerunt in terris. At argumentum HIER. non fundatur in invidia, sed in *zelo* justitiæ Dei (Cf. quæ de *Ps. imprecatoriis* dicit CORNELY *Intr. in S. Script.* Diss. V § 10 n. 3) et in repugnantia quod peccatores et persecutores *necessario* copulentur justis et oppressis.

[88] Supra n. 576.

[89] Processu temporis dolores imminuuntur *patientia* et *corruptione* organi sensorii, sed in inferno est absoluta desperatio, et corpus ad vitam revocatus corruptioni non subjacet.

culpæ, *obstinationem* voluntatis, quæ integræ manent pro æternitate; habes in *sanctione legis* quod parum pro nihilo reputatur, unde pœna quæ paullatim immunueretur, ut tandem in dolorem similem irrationi dentium desiliret, impar esset ad retrahendum a peccatis. Bene ergo BILLOT, sententiam quam impugnamus, dicit temerariam, scandalosam et erroream: est enim *temeraria* quia sine ullo solido fundamento contra communem Ecclesiæ sensum obtruditur; *scandalosa* quia « sub specie emolliendi ea, quæ a doctrina fidei deterrerent incredulos, penitus enervat timorem pœnarum æternarum, et conciliat vitio securitatem »[90]; *erronea* quia contradicit illi æternitati pœnarum quæ in Scripturis comparatur æternitati gloriæ, et quia pervertit naturam pœnæ privationis visionis Dei; « alienari (quippe) a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei,... tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta, quæ novimus, comparari »[91].

578. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Si uno tantum peccato perpetuo inferno adjicierentur homines, pauci salvarentur, et sic Deus in æternum creaturarum laudibus privaretur: atqui...: ergo. **Resp.** Damnatio iniquorum non obstat gloriæ Dei; hæc enim consistit in manifestatione suorum attributorum, si autem in sanctis elucet *misericordia,* in damnatis apparet *justitia;* laus vero formalis, maxime si universaliter accipiatur, non est de necessitate creationis. Quod vero attinet ad electorum numerum, sufficienter diximus in tractatu de prædestinatione[92].

579. **Objic. 2.** Positivæ et exquisitæ pœnæ inflictio crudelitatis sapit; removenda ergo est a Deo, de quo *sentiendum est in bonitate.* **Resp.** *a*) Imo, uti audivimus a TERTUL., bonitas Dei punitionem peccati exigit, siquidem opponitur malo, quod proinde debet punire[93]. Adde *b*) sanctionem legis esse medium ad promovendum exercitium virtutum, *c*) peccatorum vero punitionem esse necessariam etiam ut boni in hac vita non opprimantur, et in altera vindicentur[94]. Tandem *d*) ne obliviscaris in Deo attributa identificari, et ideo bonitati non contradicere, quod consonat justitiæ.

580. **Objic. 3.** Si pœnæ inferni essent acerbissimæ, damnati non possent pacifice loqui: atqui in parabola epulonis, dives pacifice Abraham

---

90 BILLOT *th. 3* p. 71 sqq.
91 AUG. *Enchir.* c. 112; supra n. 573.
92 Cf. Vol. 2 n. 227.
93 TERTUL. supra n. 523.
94 *Usquequo Domine... non vindicas sanguinem nostrum?* Apoc. **6.** 10.

alloquitur: ergo [95]. **Resp.** In parabolis non omnia sunt stricte accipienda [96]; acerbitas vero pœnarum in objecta parabola clarissime proponitur cum infernus dicitur *locus tormentorum,* et epuloni, qui in *flammis* cruciabatur, etiam *gutta aquæ* negatur.

581. **Objic. 4.** Ignis in Scripturis sæpe sumitur sensu metaphorico [97], et ignem ipsum inferni plures Patres metaphorice explicarunt [98]: ergo sicut vermis metaphorice sumitur de conscientiæ angoribus, ita et ignis. **Resp.** Nostrum argumentum non procedit ex *usu* vocis, sed ex vocis *proprietate,* quæ ex circumstantiis et repetitione deduximus; nil ergo referet quod aliquando in Scripturis metaphorice adhibeatur. Porro, si forte excipiatur ORIG., Patres objecti non negant veritatem ignis, quam alias expresse affirmant [99], sed, ut aperte docent DAMASC. et GREG. Nyss., dicunt ignem inferni valde a *nostro differre,* quod quidem nos ultro fatemur [100]. « Etenim principalis *efficiens causa* ignis præsentis vitæ, Deus est naturæ auctor et gubernator: at ignis inferni, Deus est peccatorum judex et ultor. *Chymicis operationibus* et succenditur et fovetur præsens ignis: at ignis inferni flatu Domini cietur et conservatur. Præsens ignis nonnisi *mediis corporibus* in animas agit: at ignis inferni illas immediate torquet et cruciat » [101]. Quod vero attinent ad invocatam analogiam cum verme conscientiæ, negamus paritatem, siquidem sensus metaphoricus hujus vocis ex contextu et ex Patribus elucet, non autem illius [102].

582. **Objic. 5.** Si ignis esset verus et proprius, sæculorum decursu extingueretur, nec animas spirituales cruciare posset: atqui ignis inferni est æternus et animas devorat: ergo. **Resp.** Ut modo diximus, ignis inferni verus est, sed non alitur lignis hujus mundi sed flatu iræ Dei [103], qui sæculorum defectum ignorat: quomodo vero ignis inferni animas cruciet, explicare non possumus [104], sed ex *facto* arguimus esse *possibile* divinæ virtuti.

---

[95] EMERY, PRESSY apud BOUGAUD *Il Cristianes.* etc. c. 15 p. 366 sqq. qui eis consentit.

[96] Supra n. 531 *n. 21.* Adde dolorem non impedire cogitationem et locutionem directe, sed prout perturbat phantasiam et corrumpit organa, quod non est in anima separata, nec continget in corpore resuscitato.

[97] Ps. **65**. 12; Isai. **43**. 2.

[98] ORIG. *De princ.* II c. 11; GREG. Nyss. Dialog. *De anima et resur.; Or. catech.* c. 40; *De Chr. resur.* or. 3; THEOPH. in *Marc.* **9**; AMBR. in *Luc.* VII n. 204 sqq.; HIER. in *Isai.* **66**. 24; *Apol. Adv. Ruf.* II n. 7; *epist.* 124 c. 2; DAMASC. *Dial. c. Manich.* n. 36; *De fide orth.* IV c. 27.

[99] HIER. in *Isai.* **30**. 30; in *Ephes.* **5**. 6; epist. 124 *ad Avit.;* et AMBR. in *Ps.* **36**. n. 26; **118** passim.

[100] Cf. C. MAZZELLA n. 1294.

[101] C. MAZZELLA n. 1281. Similia habet CHRYS. *Ad Theod. Laps.* I n. 10.

[102] HURTER n. 797; S. THOM. *Suppl.* q. 97. a. 2.

[103] Job **20**. 26; Isai. **30**. 33; **66**. 15-6.

[104] S. THOM. *De Anima* a. 21 (cf.

583. **Objic. 6.** Peccatum sive consideretur in ordine physico, sive in ordine morali, infinitatem non habet, siquidem in momento patratur, et humana mens, Deum non comprehendens, infinitæ malitiæ non est capax: ergo pœnâ æternâ, quæ infinita est, non debet puniri [105]. **Resp.** Gravitas peccati ne in humanis quidem ex tempore metitur; nam « adulterium vel homicidium in momento committitur... sed quandoque perpetuo carcere vel exilio, quandoque etiam morte » punitur [106]: licet autem peccator, non comprehendens Deum, reatum simpliciter infinitum non incurrat [107], contrahit indefinitum [108], cui vere respondet pœna æterna, quæ intensitate est *finita* et duratione *infinita.*

584. **Objic. 7.** Saltem præstat non immorari in descriptione inferni ejusque æternitatis; his enim fideles ab auditione verbi Dei arcentur [109]. **Resp.** Non zeli domus Dei, sed concupiscentiæ hæc vox est. Vetat Apostolus ne magistri simus prurientes auribus [110]. Non quæ placent, sed quæ animarum saluti prosunt, prædicanda sunt. Utique « molesta sunt hæc (de pœnis inferni), et molestia afficiunt auditores. Hoc bene novi ex iis quæ ipse patior. Cor enim meum turbatur et palpitat, et quo magis video probari id quod de gehenna dicitur, eo magis tremo et ex metu refugio. Sed *necesse est hæc dicere, ne in gehennam incidamus* » [111].

Suppl. 70 a. 3; *Cg.* IV c. 90) explicat prout « animæ et dæmones *alligantur* virtute divina in pœnam *corporeo igni*... Et sic verum est quod ignis ille inquantum virtute divina detinet animam alligatam, agit in animam ut instrumentum divinæ justitiæ; et inquantum anima apprehendit illum ignem ut sibi nocivum, interiori tristitia affligitur; quæ quidem maxima est cum considerat se infimis rebus subdi, quæ nata fuit Deo per fruitionem uniri ». — SUAREZ *De Angel.* VIII c. 14 n. 41, 47 explicat prout ignis divina virtute inducit in spiritus qualitatem doloriferam quæ damnatos reddit fœdos et deformes. — LESSIUS dicit quod sicut ignis naturaliter mediante corpore affligit animam, ita supernaturaliter sine corpore affligit spiritum. — SCHMID (apud *Pesch* n. 665) etiam dolorem adustionis possibilem esse affirmat. Cf. Opusc. meum *De nat. pecc.* n. 50.

[105] Etiam TANQUEREY n. 20 negat *ex ratione* apodictice evinci æternitatem pœnarum.

[106] S. THOM. 1–2 q. 87 a. 3 ad 1; AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 11.

[107] Cf. Vol. 3 n. 168.

[108] S. THOM. peccato mortali tribuit *infinitatem quamdam* malitiæ. 3 p. q. 1 a. 2 ad 2; *III Dist.* 1 q. 1 a. 2 ad 5; *De Verit.* 28 a. 2, etc.

[109] De hoc etiam TANQUEREY n. 30 timere videtur; at si in descriptione inferni a tridentibus et ollis abstinere debemus, quia veritati non consonant; timendum tamen non est quod descriptionis horror veritatem superet, vel inde Deus appareat *crudelis,* potius quam *justus.*

[110] 2 Tim. 4. 3.

[111] CHRYS. in 1 *Corinth.* hom. 9 n. 1; *Ad pop. Antioch.* hom. 5 n. 3.

ART. 2 — DE PURGATORIO.

585. **Quæ animarum Purgatorii conditio.** Purgatorium est *locus* simul et *status* in quo animæ, migrantes de corpore in gratia, sed cum onere venialium et debitis pœnæ temporalis, detinentur quousque divinæ justitiæ satisfecerint. Porro animæ purgatorii sunt *a*) omnino sanctæ, *b*) impeccabiles, *c*) certæ de propria salute, et *d*) incapaces merendi, quamvis aptæ ad intercedendum. — *a*) Quoad SANCTITATEM animarum purgatorii quidam cum BONAV. et SCOTO dixerunt eas patienti malorum tolerantia a reatu culpæ paullatim mundari [1]; sed communior sententia cum S. THOM. tenet eas in primo instanti mortis ab omni culpa liberari [2], siquidem cessante inconstantia concupiscentiæ, anima justa in Deum toto caritatis affectu tendit; actus vero intensæ caritatis omnia venialia diluit [3]. « Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem pœnæ, sicut in hac vita » [4]. — *b*) IMPECCABILITAS proxime oritur ex statu termini, *in quocumque* (enim) *loco* (lignum) *ceciderit, ibi erit* [5]; remote provenit ab auxilio gratiæ actualis, qua purgatorii animæ moventur a Deo, et a perfectione divinæ cognitionis, quæ, sicut sua claritate est radix pœnæ damni, ita est radix impeccabilitatis. Profecto si quæ in futura vita inducerent animas purgatorii ad peccandum, essent pœnæ a Deo inflictæ: atqui « ut ajunt S. CATHAR. Genuen. et alii scriptores mystici, anima libentissime amplectitur omnes pœnas purgatorii tamquam unicum et certum remedium, quo impedimentum visionis beatificæ tollatur » [6], non secus ac infirmus vult adustionem, ut ab infirmitate liberetur: ergo. — *c*) CERTITUDINEM PROPRIÆ SALUTIS animabus purgatorii denegarunt cum LUTHERO [7] quidam catholici [8], sed indubie est affir-

---

[1] BONAV. in *IV Dist.* 21 a. 2 q. 1; SCOT. in *IV Dist.* 15 q. 2 a. 2.

[2] S. THOM. *De Malo* q. 7 a. 11; C. MAZZELLA 1321; PESCH n. 598.

[3] Cf. supra n. 304.

[4] S. THOM. *De Malo* q. 7 a. 11.

[5] Eccle. 11. 3.

[6] PESCH n. 600.

[7] LUTH. prop. 38 damn. a *Leone X.*

[8] DIONYS. Carthus. *De quat. nov.* a. 47; GERSON *De vita spir.* lec. 1; J. ROFFENSI *C. art. 32 Luth.*

manda; siquidem, ut post BELLARM.[9] arguit BILLOT, « si animæ illæ omnes certitudinem suæ salutis non haberent, esset... vel quia nondum essent *judicatæ*, vel quia eas *latuisset* sententia judicis, vel quia propter magnitudinem dolorum omnis in eis cognitio foret *obscurata*, et in sensu pœnæ veluti absorpta. Atqui nihil horum habet locum. Non *primum*, ut constat ex dictis de judicio particulari. Non *secundum*, quia sententia Dei circa unumquemque est ipsamet decreti ejus manifestatio, qua cuique sua retributio innotescit. Non denique *tertium*, quia quod in hoc mundo ex intensione dolorum impediantur homines a judicio recto, provenit ex læsione organi corporei vel aliqua causa analoga, quæ procul dubio in animabus separatis nequaquam esse potest »[10]. Ergo. — *a*) Sunt INCAPACES MERENDI quia, ut vidimus in tractatu de merito, prima meriti conditio ex parte agentis est status viæ[11]: possunt tamen INTERCEDERE, non secus ac sancti qui sunt in cœlo, quia intercessio fundatur in misericordia Dei. Quod vero attinet ad intercessionis objectum certum est quod animæ purgatorii possunt intercedere *pro nobis*, siquidem sunt acceptæ coram Deo[12] et non ignorant nostras necessitates[13]; quod si ignorarent, pariter « possent habere curam de rebus viventium..., sicut nos habemus curam de mortuis, iis suffragia impendendo, quamvis eorum statum ignoremus »[14]. An vero *sibi* valeant intercedere saltem hoc quod nostris suffragiis juventur, non æque est certum, probabiliter tamen cum BELLARM. et SUAREZ affirmatur[15].

586. **De natura et diuturnitate pœnarum purgatorii.** Etiam in purgatorio est PŒNA DAMNI, siquidem retardari a possessione ultimi finis, est malum quod tanto acrius cruciat, quando ardentius talis finis quæritur. — Est quoque PŒNA SENSUS, quia hæc respondet conversioni ad creaturas[16], quæ in veniali habetur[17]; sed an in purgatorio sit ignis materialis, sicut in inferno, licet probabilius affirmetur cum S. THOMA[18], non est certum; unde, negantibus græcis, CONC. FLOR. in definitione

---

9 BELLARM. *De Purgat.* II c. 4.

10 BILLOT *th. 7* p. 107.

11 Cf. Vol. 3 n. 552.

12 Nam sunt penitus liberæ a peccatis, ideoque caræ Deo. Cf. vol. 3 n. 164.

13 Supra n. 531.

14 S. THOM. 1 p. q. 89 a. 8 ad 1.

15 BELLARM., SUAREZ, GREG. DE VALENTIA etc. apud *Pesch* n. 619.

16 S. THOM. *Cg.* III c. 144; *De Malo* q. 5 a. 2.

17 Supra n. 302.

18 « Idem ignis qui damnatos cruciat in inferno, justos in purgatorio purgat ». S. THOM. *IV Dist.* 22 a. 1 sol. 1.

omisit [19]. — Quod attinet ad DURATIONEM, certum est « purgatorias pœnas nullas futuras nisi ante ultimum tremendum judicium » [20]; tunc enim, completa Christi victoria [21], electi vocabuntur ad possessionem regni [22]. — De DIUTURNITATE pœnarum uniuscujusque nihil certi statui potest [23], quamvis generatim dicatur quod cum « quædam venialia sint majoris adhærentiæ, quam alia, secundum quod affectus magis ad ea inclinatur, et fortius in eis figitur: (ideo), quia ea quæ sunt majoris inhærentiæ tardius purgantur, quidam in purgatorio diutius, quam alii, torquentur » [24].

587. **De gravitate pœnarum purgatorii.** Sunt theologi bonæ notæ qui quarumdam saltem animarum purgatorii pœnas leves æstimant [25], sed magis dictis Sanctorum consonat ut eas reputemus superare omnes dolores hujus vitæ. Revera AUG. docet « graviorem esse illum ignem quam quidquid potest homo pati in hac vita » [26], et GREG. M. dicit « illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti (esse) intollerabiliorem » [27]. Etiam Ven. BEDA affirmat purgatorii pœnam « esse graviorem quam quidquid umquam passi sunt latrones vel sancti martyres, vel quidquid gravius homo possit excogitare » [28]. S. THOM. distincte considerat pœnam *damni* et *sensus,* affirmatque quod « quantum ad utrumque pœna purgatorii minima excedit maximam pœnam hujus vitæ. Quanto enim aliquid magis desideratur, tanto ejus absentia est molestior. Et quia affectus, quo desideratur summum bonum, post hanc vitam in animabus sanctis est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis, et etiam quia terminus fruendi summo bono jam advenisset, nisi aliquid impediret: ideo de retardatione maxime dolent. Similiter cum dolor non sit læsio, sed læsionis sensus, tanto aliquid magis dolet de aliquo læsivo, quanto magis est sensitivum... Et quia totus sensus corporis est ab anima, ideo si in ipsam animam aliquid læsivum agat, de necessitate oportet quod maxime affligatur » [29]. Sicut tamen summo dolori Christi non obstabat gaudium beatificæ visionis, et pœnæ martyrum cum spirituali lætitia con-

---

[19] C. MAZZELLA n. 1340.

[20] AUG. *De Civ. Dei* XXI c. 16.

[21] *Novissima inimica destruetur mors.* 1 Corinth. **15**. 26.

[22] *Venite benedicti,* etc. Matth. **25**. 34. — **NB.** Si quæris quomodo, salva divina justitia, hoc fieri possit, respondet S. THOM. *IV Dist.* 47 q. 2 a. 3 sol. 2 ad 5, quod « calor (ultimæ conflagrationis) recuperabit in intensione, quantum amittet in temporis abbreviatione ».

[23] PESCH n. 606.

[24] S. THOM. *IV Dist.* 21 q. 1 a. 3 sol. 3.

[25] BILLOT *th. 7* p. 103 sqq.; PESCH 604-5.

[26] AUG. in *Ps.* **37** n. 3.

[27] GREG. in *Ps. pœnit.* 3 n. 1. Similia habent CYRIL. Hier. *Catech. Myst.;* ANSEL. in 1 *Corinth.* **3** et BERNARD. *De obitu Humb.*

[28] Ven. BEDA in *Ps.* **37** ante med.

[29] S. THOM. *IV Dist.* 21 q. 1 a. 1 sol. 3.

sociabantur; ita pœnis animarum purgatorii non repugnat gaudium aliquod procedens *a*) ex certitudine propriæ salutis, *b*) ex uniformitate cum divina voluntate, et *c*) ex clara, etsi non intuitiva, notitia Dei [30].

588. **Errores — Veritas.** Purgatorii *existentiam* negarunt sæc. 4 Aërius, medio ævo Cathari [31], Petrobrussiani, Albigenses, Waldenses, Hussitæ, et dein Novatores [32], nostris autem diebus *nomen*, potius quam rem, impugnant Protestantes [33]. **Veritas** definitur in Conc. Flor.: « Diffinimus..., si vere pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari; et ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia » [34].

Thes. 88. *Purgatorium — 1 vere existit, et — 2 animæ in eo detentæ vivorum suffragiis juvantur.*

589. **Prima pars.** *Datur in futura vita aliquis expiationis locus, qui Purgatorium vocatur.* Tria sunt præcipua testimonia **Scripturæ** de hac re, scil. 2 Mach. **12.** 43 sqq.; Matth. **12.** 32; 1 Corinth. **3.** 11 sqq. In **primo** Judas Machabæus, Gorgia superato, *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium..., quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* **Argum.** In hoc testimonio Judas profitetur existentiam Purgatorii: atqui fides Judæ approbatur ab auctore inspirato: ergo. Prob. Maj. Nam Judas non obtulit sacrificia pro parta *victoria* vel pro *sanctis*, sed *pro peccatis* eorum qui contra divinum præceptum pretiosa idolorum Jamniæ usurpaverant, unde traditi fuerant in manus inimicorum; at neque obtulit *pro damnatis*, quia damnati vivorum suffragiis non juvantur, et quia Judas loquitur de his *qui cum pietate dormitionem acceperant:* obtulit ergo pro justis qui in altera

---

30 « Mihi videtur nullum gaudium inveniri, quod cum gaudio animæ puræ purgatorii comparari possit, excepto gaudio beatorum... Ex altera parte tantam pœnam patiuntur, ut nulla lingua dicere, nullus intellectus minimam ejus partem capere possit, nisi Deus ex speciali gratia revelet ». S. Cathar. Gen. apud *Pesch* n. 605. Similia docet Bellarm. *De Purg.* II c. 14.

31 Hergenr. IV p. 232.

32 Hergenr. IV p. 36.

33 Apud C. Mazzella n. 1317.

34 Conc. Flor. *Decr. Un. Græc.;* Conc. Trid. sess. 6 c. 30; sess. 25 *De Purg.*

vita reatibus peccatorum, seu pœnis [35], detinebantur ne Patriarcharum limbum ingrederentur. PROB. MINOR. Nam auctor inspiratus laudat Judam, concluditque: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* — In **secundo** testimonio CHRISTUS dicit peccatum contra Spiritum S. *non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro;* supponit ergo esse aliquod peccatum quod remittitur in futuro: atqui neque sanctis in cœlo, neque damnatis in inferno quidquam potest remitti: ergo in altera vita est locus remissionis venialium, qui Purgatorium vocatur [36]. — In **tertio** testimonio APOSTOLUS de quibusdam prædicatoribus, qui doctrinis Christi alias vanas et inutiles superædificabant, dicit quod *uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur... Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem.* Porro in testimonio *a*) agi de *justis,* inde constat quod *ligna, fœnum* et *stipula* superædificantur supra fundamentum quod est *Christus,* et quia detrimentum patiens *salvus erit: b*) agi de *peccatis* patet ex eorum exprobratione et ex symbolis ligni, fœni et stipulæ quæ opponuntur auro, argento et lapidi pretioso: *c*) agi de peccatorum *punitione* constat ex *detrimento* quod patientur, et ex *igne* per quem transituri sunt; ignis enim non minus sensu proprio, quam metaphorico, inflictionem pœnæ exprimit: *d*) agi tandem de punitione *vitæ futuræ,* inde patet quod Apostolus eam tribuit *revelationi diei Domini,* scil. finali judicio [37], morte incepto et in resurrectione complendo. Ergo de levioribus peccatis datur in vita futura purgatio, qua justi digni gloriæ efficiuntur. — Scripturæ consonant **Patres** utriusque Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis: ex hac citari solent TERTUL., CYPR., HILAR., AMBR., HIER., AUG., CÆSAR. Arel., GREG. M., ISID. Hisp., etc.; ex illa CLEM. Alex., ORIG., BASIL., EPHREM, EPIPH.,

---

[35] *Peccatum* synecdoche *dici posse* de pœnis, manifestum est, siquidem pœna est effectus peccati; *vere* autem *dici,* probatur ex Lev. **20**. 20.

[36] Non obstat quod in Marco **3**. 29 legatur: *Non habebit remissionem in æternum;* testimoniorum enim æquivalentia non aufert proprietatem singulorum, « neque de quibusdam veraciter diceretur quod (peccatum) non eis remittatur *neque in hoc sæculo neque in futuro,* nisi essent quibus, etsi non in isto, tamen remittetur in futuro ». AUG. *De Civ. Dei* XXI, c. 24 n. 2; GREG. M. *Dialog.* IV c. 39.

[37] Phil. **1**. 6; 10; 1 Thess. **5**. 2; 2 Thess. **2**. 2; 2 Tim. **1**. 18; **4**. 8; Hebr. **10**. 25, etc.

Greg. Nyss., Cyril. Hier., Chrys., Const. Apost., Cyril. Alex. [38], qui veritatem hanc deducunt ex 2 Machab. **12.** 43 sqq., ex Matth. **5.** 25-6; **12.** 32 et ex 1 Corinth. **3.** 11 sqq., necnon ex Traditione [39]. Ut aliquos recenseamus, sic loquitur Tertul.: « Cum carcerem illum, quem Evangelium demonstrat, *inferos* intelligamus, et novissimum quadrantem modicum quodque delictum mora resurrectionis *luendum* illic interpretemur; nemo dubitabit animam aliquid pensare penes inferos salva resurrectionis plenitudine » [40]. Basil. duplicem ignem distinguit in vita futura, unum *æternum,* cui tradendi sunt peccatores quasi ligna virida, alium *temporaneum* in quo justi, quasi ligna arida, brevi tempore purgantur [41]. Greg. Nyss. docet eos, qui ad deteriora defluxerunt, debere « post hanc vitam purgatorio igne materiæ labes et propensionem ad malum abstergere » [42]; et Aug. Deum exorat, ut non tantum ipsum salvet ab igne æterno, parato diabolo et angelis ejus, sed etiam ab *emendatorio igne,* qui gravior erit « quam quidquid potest homo pati in hacvita » [43]. **Archæologiæ documenta** abundant; nam « innumeræ prorsus sunt inscriptiones quæ, hujuscemodi persuasionem [44] et sollicitudinem expromentes, adclamationes præ se ferant, quibus pax, bonum, Deus, Christus, Spiritus S., angelorum sanctorumque consortium, veluti quietis, gaudii et lucis status defunctorum exoptentur animabus » [45]. Nec minus quid conficitur ex studio picturarum et anaglyptorum, si eorum subjectum pensatur in cyclo seu ordine, quo respondet liturgiarum invocationibus pro defunctis, et attendantur imagines quibus Patres conditionem animarum purgatorii solent proponere [46]. — **Ratio** inde sumitur quod pœna temporalis non semper tota

---

[38] Plura testimonia infra dabimus, cetera invenies apud C. Mazzella, Billot, Pesch, Tepe *l. c.*

[39] *Ex Mach.* arguit Aug. *De cur. ger. pro mort.* c. 1 n. 3; Damasc. *Orat. pro def.:* — *ex Matth.* **5** Tertul. *De anima* c. 58; A. Lapide in *h. l.:* — *ex Matth.* **12** Aug., Greg. M., Beda apud Knaben. in *Matth.* p. 494-5: — *ex 1 Corinth.* **3** Hier. in *Matth.* **3.** 12; Basil. *De Spir. S.* c. 15; Greg. Naz. *Or.* 39 n. 19; Paul. *ad Sever.* epist. 28 n. 2; Aug. in *Ps.* **103** n. 5: — *ex Traditione* Tertul. *De corona mil.* c. 3; Aug. *De cura ger. pro mort.* c. 1 n. 3.

[40] Tertul. *De anima* c. 58 in fine.

[41] Basil. in *Isai.* apud *Pesch* n. 594.

[42] Greg. Nyss. *Orat. de mort.*

[43] Aug. in *Ps.* **37** n. 3.

[44] « Pro peccatis longo dolore cruciatum emundari (animas) et purgari diu igne ». Cypr. *Epist.* 55.

[45] P. Syxt. *Not. Archæol.* II p. 1 c. 3 a. 8.

[46] P. Syxt. *L. c.* II p. 2 c. 6.

remittitur, cum solvitur culpa [47]; potest itaque justus mori cum debito pœnæ: atqui justus decedens cum debito pœnæ, non potest *cœlum ingredi*, quia divina justitia exigit ut debitum solvat usque ad ultimum quadrantem; non potest in *infernum detrudi*, quia ex gratia habet jus ad hæreditatem, et pœna temporalis, eo ipso quod temporalis est, temporali tolerantia solvitur: ergo esse debet in altera vita locus in quo animæ justæ tolerantia malorum a pœnarum debitis expediantur [48]. CONFIRMATUR. Nam doctrina purgatorii valde illustrat divina attributa et fovet pietatem. Profecto *a*) « manifestat infinitam Dei justitiam, majestatem, sanctitatem, quæ vel peccati umbram exhorret; palam facit, *b*) quanta sit paradisi aulæque cœlestis gloria, cum tantam requiratur præparatio et mundities. Excitat *c*) ad opera bona, satisfactionem; fovet spiritum pœnitentiæ; solatur *d*) in mortis articulo peccatores pœnitentes, qui post longam vitam ream vix sperare possent se, nulla prorsus exhibita satisfactione, mox assecuturos esse præmia cœlestia... Occasionem præbet exercendæ fovendæque caritatis in defunctos... Fovet *f*) cogitationes alterius vitæ,... deterret *g*) a peccatis venialibus, quæ alioquin carerent sanctione » [49].

590. **Secunda pars.** *Animæ purgatorii vivorum suffragiis juvantur.* De his plura diximus agentes de sacrificio Missæ et de indulgentiis [50], modo revoca e **Scripturis** testimonium 2 Machab. in quo expresse est sermo de sacrificiis oblatis pro defunctis. — **Patres** suffragiorum pro defunctis efficaciam *testantur* et *probant*. Revera — *a*) EPIPH. laudat commemorationes mortuorum, quia « quæ pro mortuis concipiuntur preces, iis utiles sunt » [51]: EPHREM suffragia pro se expostulat, quia « mortui oblatione juvantur, quam viventes faciunt » [52]: CYRIL. Hieros. vult ut pro defunctis oremus, « maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima » [53]. — *b*) Argumenta pro hac veritate Patres deducunt ex

---

[47] Supra n. 381.

[48] Similia dici debent de venialibus, quæ remissionis radicem non auferunt. — **NB.** Tam manifesta est hæc ratio, ut neque paganos aufugerit, siquidem de purgatione vitæ futuræ locuti sunt ÆGYPTII, PERSÆ, STOICI et PLATO quorum testimonia refert MONSABRÉ *Dogma Cattol.* conf. 97.

[49] HURTER III n. 823[a].

[50] Cf. n. 294 et 409.

[51] EPIPH. *Hær.* 75 c. 8.

[52] EPHREM Bibl. orient. *Assem.* I p. 143.

[53] CYRIL. Hier. *Catech.* 23 n. 9.

Scripturis [54] et maxime ex praxi Ecclesiæ; pro ipsa enim « *traditio* tibi prætenditur autrix, *consuetudo* confirmatrix, et *fides* observatrix » [55]; unde AUG.: « Etsi numquam in Scripturis veteribus omnino hoc legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas » [56]. CONFIRMATUR « ex omnibus **liturgiis** non minus Ecclesiæ Orientalis quam Occidentalis (etiam sectarum schismaticarum), in quibus omnibus habentur orationes pro defunctis » [57]; sicut etiam ex **documentis archæologiæ,** catacumbarum enim inscriptiones suffragia pro defunctis sæpe expostulant [58]. — **Ratio** deducitur ex *communione sanctorum;* decet enim ut membra ejusdem corporis sibi invicem opitulentur, sicut ergo cœlites intercessores sunt nostri, ita et nos, qui bonis operibus Deo satisfacere valemus, eos, qui sibi succurrere nequeunt, adjuvare debemus.

591. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Iis, qui in Domino moriuntur, dicit Spiritus ut *amodo requiescant a laboribus suis* [59]: ergo justi in altera vita statim æternam requiem consequuntur. **Resp.** Ut difficultatem effugiant, quidam explicant testimonium de *martyribus,* qui statim cœlum ingrediuntur [60]; sed potest intelligi de omnibus justis [61], prout morte *a*) quiescunt a laboribus requisitis pro *assecutione* æternæ felicitatis, *b*) liberantur ab *anxietatibus* hujus vitæ certitudine propriæ salutis, et *c*) cessant *novæ causæ* dolorum, siquidem, solutis debitis præcedentium peccatorum, *statim* æternam beatitudinem consequentur.

592. **Objic. 2.** Nulla est conditionis mutatio in altera vita, quia quocumque arbor ceciderit, *ibi erit;* nec quispiam poterit suam salutem operari [62]. **Resp.** Ut alias vidimus, immutabilitas vitæ futuræ respicit substantiam status, non accidentales variationes [63]: in purgatorio autem non *merito,* sed *satispassione* solvuntur debita pœnarum.

593. **Objic. 3.** Damnatum est in Pelagio dari *locum medium* inter paradisum et infernum [64]: atqui purgatorium est quid medium inter utrumque: ergo. **Resp.** In Pelagio est damnatus *locus medius* qui esset status finalis seu æternus, *proprius infantium* decedentium sine bap-

---

54 Testimonia indicavimus supra 589 *not. 39.*

55 TERTUL. *De cor. mil.* c. 4.

56 AUG. *De cura ger. pro mort.* n. 3.

57 PESCH n. 595.

58 Vide appendicem et P. SYXT. *Not. Arch.* II p. 1 c. 4 a. 8.

59 Apoc. **14.** 13.

60 Apud *A. Lapide* in *h. l.*

61 Hoc consonat LITURGIIS quæ sæpe loquuntur de *requie* defunctorum.

62 Ecclc **11.** 2; Joan. **9.** 4.

63 Supra n. 538.

64 CONC. MILEV. II cn. 2.

tismo [65]; at purgatorium non est status æternus sed transitorius, pro justis qui finaliter recipientur in Paradiso.

ART. 3 — DE PARADISO.

594. **Quid Paradisus.** *Paradisus*, græce παράδεισος et hebraice פַּרְדֵּס (*pardes*), videtur vox a Persis (*pairidæza* = hortus muro conclusus ac circumdatus) derivata, et significat *hortum voluptatis* [1]. Hoc nomen prius impositum est regioni, in qua conditi sunt protoparentes, nunc autem, Scriptura et Patribus præcedentibus, dicitur de patria sanctorum, et definitur cum BOËTIO: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus* [2].

595. **De beatitudinis radice seu fundamento.** Duo ordinantur tamquam medium ad beatitudinem consequendam, *gratia* et *lumen gloriæ*. De GRATIA alias egimus, ostendentes ipsam constituere hominem *filium* et *hæredem Dei* [3], bonisque operibus tribuere *meritum æternæ vitæ* [4]. Nullum ergo dubium quod gratia, utpote gloriæ radix, maneat in cœlo in proprio gradu et connaturali effectu; ita ut ex ea fluant omnes virtutes [5] et dona S. Spiritus quibus, quasi monilibus et pretiosis margaritis ornatæ, animæ sanctæ, vere reginæ circumdatæ varietate [6], speciosæ apparent dilecto Filio regis. — LUMEN GLORIÆ est specialis fructus gratiæ qui in cœlo maturescit, ut intellectus elevetur ad visionem Dei. Profecto, ut ratiocinatur S. THOM., « omne quod elevatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet quod disponatur aliqua dispositione quæ sit supra suam naturam... Cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia fit forma intelligibilis intellectus. Unde oportet quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur... (qua) ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectivæ *illuminationem intellectus* vocamus » [7], seu *lumen gloriæ*.

596. **Errores — Veritas.** *Objectum* æternæ felicitatis ignorarunt plures PHILOSOPHI antiqui eam constituentes in bonis creatis [8]: *na-*

---

[65] Cf. Vol. 2 n. 598, 601.

[1] PESCH *De Deo Creante* n. 217. HAGEN. *Lexic. bibl.* v. *Paradisus*.

[2] BOËT. *De Cons.* IV prosa 2.

[3] Vol. 3 n. 430.

[4] Vol. 3 n. 549.

[5] Virtutes, quæ imperfectionem subaudiunt, saltem quod *actum* non sunt in cœlo. Cf. Vol. 2 n. 152 *not. 26*.

[6] Ps. **44**. 10.

[7] S. THOM. 1 p. q. 12 a. 5.

[8] Cf. LACT. *De div. inst.* III c. 7; AUG. *De Civ. Dei* XIX c. 1. Huc veniunt MAHUMETANI æstimantes volup-

turam vitiarunt PALAMITÆ reponentes in visione abstractiva Dei, GRÆCI SCHISMATICI statuentes in visione splendoris Dei [9], et ROSMINI dicens Deum videri in quantum est auctor operum ad extra [10]: *supernaturalitatem* impugnarunt BEGUARDI, BEGUINÆ et BAJUS [11]: quoad *tempus consecutionis* errarunt TERTUL., VIGILANT., quidam ex NESTORIANIS, SYRIS et ARMENIS, ac dein REFORMATORES [12] sanctorum beatitudinem remittentes ad finem mundi [13]: ex fundamentali errore de extrinseca imputatione meritorum Christi REFORMATORES beatitudinem *æqualem* fecerunt omnibus [14]: ORIGENISTÆ tandem, tribuentes sanctis possibilitatem peccati, beatitudinis *æternitatem* impugnarunt [15]. **Veritas.** *Objectum* et *naturam* æternæ felicitatis proposuit BENED. XII: « Definimus... (quod beati) vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divinâ essentiâ immediate se nude, clare et aperte eis ostendente, quodque... ex tali visione et fruitione eorum animæ... sunt vere beatæ » [16]: *supernaturalitatem* tuiti sunt CLEMENS V contra Beguardos et Beguinas, et PIUS V contra Bajum [17]: *immediatam consecutionem* post purgationem, si ea indiguerint, vindicavit animabus sanctis idem pontifex et CONC. FLOR. dicens: « Diffinimus.... illorum animas... quæ post contractam peccati maculam... sunt purgatæ, in cœlum *mox* recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et

---

tates sensibiles, imo et impudicas, bona Paradisi; et ab his non sat recedunt in suis descriptionibus nonnulli moderni prædicatores, de quibus videbis CAVALLANTI *Modernismo* ediz. 2 p. 297 et 316.

[9] C. MAZZELLA n. 1186.

[10] DECRET. *Post. Obit.* p. 38-40.

[11] C. MAZZELLA n. 846.

[12] BELLARM. *De beatit.* I c. 1.

[13] Etiam aliqui PATRES opinarunt justis, exceptis *sanctis V. T., apostolis* et *martyribus,* ingressum cœlorum differri ad diem judicii. Cf. HERGENR. I p. 260 et BELLARM. *l. c.*, qui testimonia refert JUST. M., IREN., ORIG., CHRYS., THEOD., ARETH., EUTYM. e *græcis;* LACT., VICT., HILAR., PRUD., AMBR., AUG. e *latin.* — Etiam JOAN. XXII, uti privatus doctor, aliquando in hanc sententiam *inclinasse* fertur (Certum non est, siquidem argumenta pro utraque sententia protulit), sed nil definivit; imo ante mortem veram doctrinam professus est, ut constat ex RAYNALD. *Annales eccles.* ad an. 1331-4.

[14] Etiam JOVINIANUS æqualitatem beatorum blasphemavit. Cf. C. MAZZELLA n. 1187.

[15] Cf. PESCH n. 455.

[16] BENED. XII Const. *Benedictus Deus* 4 Kal. Febr. 1336.

[17] CLEM. V in *Conc. Vien.* damnavit hanc prop. n. 5: « Quod quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante, ad Deum videndum et eo beate fruendum ».

unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius » [18]: *inæqualitatem* gloriæ modo audivimus a CONC. FLOR.: *æternitatem* vero in omnibus SYMBOLIS prædicatur, et effertur in definitione BENED. XII, qui docet quod beatifica visio « postquam inchoata fuerit... sine aliqua intercissione seu evacuatione... continuata existit et continuabitur usque ad finale judicium, et ex tunc usque in sempiternum » [19].

THES. 89. *Sanctorum præmium* — 1 *est ipse Deus, qui a beatis possidetur,* — 2 *visione intuitiva,* — 3 *amore, et* — 4 *gaudio.*

597. **Prima pars.** *Vita æterna repromissa bene agentibus ipsemet Deus est.* Nam **Scripturæ** *vanitatem omnium rerum* proclamantes [20], Deum dicunt *finem* omnium [21], *mercedem* nostram *magnam* et nostram *partem in æternum* [22], in cujus manifestatione *satiabimur* [23]: atqui in possessione finis et absoluta potentiarum satietate stat profecto æterna felicitas, quæ sola dici potest merces magna nimis: ergo. — **Ex Patribus** AUG. clamat: « Fecisti nos ad te Domine, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te » [24]; « ut (enim) vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est » [25]. AUG. concinit GREG. Nyss.: « Hæc propria conveniensque intellectuali naturæ vita est, si Dei particeps sit... Deum videre vita animæ est » [26]. Similiter GREG. Naz.: « Intelligibilium omnium summus vertex (Deus est), in quo desiderium omne consistit...: hoc rerum expectandarum extremum est, quo cum pervenerimus, conquiescit omnis speculatio » [27]. — **Ratio** est quia « objectum voluntatis... est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum. Ex quo patet quod nihil potest quietare voluntatem hominis nisi bonum universale; quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo; quia omnis creatura habet bonitatem participatam » [28].

---

[18] CONC. FLOR. *Decr. Union. Græc.*

[19] BENED. XII *l. c.*

[20] *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* Eccle. **1**. 2; **12**. 8.

[21] *Ego sum* α *et* ω, *principium et finis.* Apoc. **1**. 8.

[22] *Ego... merces tua magna nimis.* Gen. **15**. 1. *Deus... pars mea in æternum.* Ps. **72**. 26.

[23] *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Ps. **16**. 15.

[24] AUG. *Conf.* I c. 1 n. 1.

[25] AUG. *De Civ. Dei* XIX c. 26.

[26] GREG. Nyss. *De infantibus qui præmature rapiuntur.*

[27] GREG. Naz. *Or.* 21.

[28] S. THOM. 1-2 q. 2 a. 8.

598. **Secunda pars.** *Ultima hominis perfectio consistit in immediata visione Dei.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. Nam CHRISTUS supremam excellentiam, ideoque beatitudinem angelorum constituit in visione Dei, secundum illud: *Angeli eorum in cœlo semper vident faciem Patris mei*[29]*:* atqui una est angelorum et hominum beatitudo[30]: ergo. ARGUM. 2. APOSTOLUS distinctionem inter vitam præsentem et futuram in eo constituit, quod *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum*[31]: atqui *a*) cognitio quæ opponitur cognitioni mediatæ (*per speculum*) et obscuræ (*in ænigmate*) est cognitio clara et immediata, *b*) ex communi locutione *visio facialis* de immediata tantum cognitione dicitur, et *c*) cognitio quæ Deum attingit *sicut* ab ipso cognoscimur est profecto immediata[32]: ergo[33]. ARGUM. 3. *Nunc filii Dei sumus: et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est*[34]. In hoc testimonio JOANNES ultimum complementum divinæ filiationis[35] supremamque nostram assimilationem cum Deo[36] constituit in visione Dei: atqui in ultimo complemento divinæ filiationis et assimilationis cum Deo consistit beatitudo supernaturalis[37]: ergo. — **Ex Patribus** IREN. ait quod « quemadmodum videntes lumen intra lumen sunt et claritatem ejus percipiunt, sic et qui *vident Deum* intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem. Vivificat autem eos claritas; percipiunt ergo vitam qui vident Deum »[38]. Similiter CYRIL. Alex.: « Hominum felicitas est habere

---

[29] Matth. **18**. 10.

[30] Matth. **22**. 30; Luc. **20**. 36.

[31] 1 Corinth. **13**. 12.

[32] Part. *sicut* æqualitatem aliquam signat: atqui æqualitas non est in *objecto,* siquidem Deus nos comprehendit et nos Deum comprehendere nequimus: ergo est in *modo cognoscendi;* sicut nempe Deus nos immediate cognoscit, ita beatus Deum immediate videt.

[33] Cf. Vol. 2 n. 28.

[34] 1 Joan. **3**. 2.

[35] Nam vitam præsentem opponit futuræ tamquam manifestationem imperfectam dignitatis filii Dei *(nondum apparuit quid erimus)* manifestationi perfecte, qua justi assimilantur Deo *(similes ei erimus).*

[36] Causam assimiliationis cum Deo esse visionem facialem Joan. indicat part. *quoniam,* et potest etiam concludi ex principio ARIST. *De anima* III tex. 37, quod anima intelligendo fit omnia. Cf. CATECH. ROM. p. 1 c. 13 n. 7.

[37] Nam beatitudo est ultima perfectio; perficimur vero prout ad Deum, perfectionum omnium principium, accedimus.

[38] IREN. *Adv. hær.* IV c. 20 n. 5.

summam contemplationem »[39]. Nec aliter Aug. qui ait: « Præmium itaque fidei nobis visio ista servabitur... *quoniam videbimus eum sicuti est.* Facies autem Dei manifestatio ejus intelligenda est »[40]. — **Ex Ratione.** Nam « inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum; et ex hoc admiratio in hominibus consurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturæ pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium naturæ. Unde simpliciter concedendum est quod beati Dei essentiam videant »[41].

599. **Tertia pars.** *Ad beatitudinem requiritur amor Dei.* Nam in **Scripturis** Apostolus testatur quod *caritas numquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*[42]*:* atqui caritas est amor Dei: ergo in cœlo manet amor Dei; et quidem actu, quia in præsentia objecti proportionati potentia in actum transit. — **Ex Patribus** Aug., qui in carentia divini amoris infelicitatem constituit[43], et imperfectionem nostri amoris ex invisibilitate Dei deducit[44], negat beatitudinem posse consistere si objectum possessum non diligatur. « Beatus, inquit, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit; neque qui habet quod non amat, si noxium sit; neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit »[45]. — **Ratio** est quia « bonum, inquantum hujusmodi, diligibile est. Quod igitur apprehenditur ut optimum, est maxime diligibile. Sed substantia rationalis beata videns Deum apprehendit ipsum ut optimum. Ergo maxime ipsum diligit »[46]. Nec solum beatus Deum diligit amore *benevolentiæ,* sed etiam *concupiscentiæ;* cum enim « videat Deum esse etiam suum summum bonum, sub hoc quoque respectu eum amat »[47].

600. **Quarta pars.** *Beatitudo integratur gaudio de possessione Dei.* Revera **Scriptura,** loquens de futura vita, apertis verbis enuntiat *gaudium,* secundum illud: *Euge serve bone et fidelis..., intra in*

---

[39] Cyril. Alex. *C. Jul.* III n. 83.

[40] Aug. *De Civ. Dei* XXII c. 29.

[41] S. Thom. 1 p. q. 12 a. 1. **NB.** Cum S. Thom. dicit *naturale* desiderium vivendi Deum, præsupponit, ut infra dicemus, nostram elevationem ad ordinem supernaturalem.

[42] 1 Corinth. **13**. 8.

[43] « Parvane ipsa (res) est, si non amem te? » Aug. *Conf.* I c. 5 n. 1.

[44] « Nondum vides Deum, non potes amare plene quod nondum vides ». Aug. in *Ps.* **145** n. 12.

[45] Aug. *De mor. eccl.* I c. 2 n. 4.

[46] S. Thom. *Cg.* IV c. 92.

[47] Pesch n. 439.

gaudium Domini tui [48]. *Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* [49]. Cum vero vitam æternam metaphoris describit, exhibet sanctos qui *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* [50]; et inducit Christum dicentem: *Ego dispono vobis... ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* [51]: atqui copia voluptatum sensibilium metaphorice docent plenitudinem gaudii spiritualis: ergo. — **Ex Patribus** CYPR. dicebat quod « illius (Dei) præsentia omnes animæ et corporis implebit appetitus » [52]. Et AUG.: « Nemo beatus est qui eo, quod amat, non fruitur; nam et hi, qui res non amandas amant, non se beatos amando putant, sed fruendo » [53]. — **Ex ratione.** « Delectatio inquit S. THOM., requiritur ad beatitudinem. Delectatio enim causatur ex hoc quod appetitus requiescit in bono adepto. Unde cum beatitudo nihil aliud sit quam adeptio summi boni, non potest esse beatitudo sine delectatione concomitante » [54].

THES. 90. *Beatifica visio, quæ* — 1 *animabus mundis statim confertur,* — 2 *inæqualis est,* — 3 *æterna* et — 4 *supernaturalis.*

601. **Prima pars.** *Beatifica visio animabus mundis statim confertur.* **Ex Scripturis.** ARGUM. 1. Nam CHRISTUS Latroni pœnitenti *paradisum* promisit ipso suæ mortis die [55]: paradisi vero nomine signari æternam felicitatem patet ex contextu, siquidem Latro esse volebat in *regno* Christi [56]. ARGUM. 2. Docet APOSTOLUS quod Christus sua morte *propalavit sanctorum viam* [57], et *ascendens in altum captivam duxit captivitatem* [58]: ergo sancti, ab omni debito liberi, statim ingrediuntur cœlum; quod ipsemet Apostolus, *desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* [59], sibi exoptabat, scribens: *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et præsentes*

---

[48] Matth. **25**. 21.
[49] Joan. **16**. 22.
[50] Ps. **32**. 9; Apoc. **7**. 17; **14**. 3 etc.
[51] Luc. **22**. 29–30. *Cœnam* in Scripturis esse imaginem gaudii constat ex Ps. **22**. 5; **41**. 5.
[52] CYPR. *Serm. de Ascensione.*
[53] AUG. *De Civ. Dei* VIII c. 8.
[54] S. THOM. 1–2 q. 4 a. 1.
[55] *Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. **23**. 43.
[56] *Memento mei dum veneris in regnum tuum. L. c.* 42.
[57] Hebr. **9**. 8.
[58] Ephes. **4**. 8. Scil. « eos, qui fuerant a diabulo captivati, secum duxit in cœlum... bona captione captivos ». S. THOM. 3 p. q. 57 a. 6.
[59] Phil. 1. 23.

esse ad Dominum[60]. — **Ex Patribus** CYPR. dicebat quod « baptisma (sanguinis) nos, de mundo recedentes, *statim* Deo copulat »[61]. GREG. Naz. de sorore Gorgonia scribebat: « Equidem non dubito quin iis, quæ oculis cernuntur, multo præstantiora sint ea quibus *nunc frueris,* nempe angelorum chorea, cœlestis ordo, gloriæ contemplatio, tum supremæ Trinitatis purior et perfectior illuminatio »[62]. CHRYS. immediatum triumphum sanctorum agnoscit in iis quos Christus captivos duxit ascendens in altum, et AUG. sanctis invidebat, quia nondum pervenerat ubi illi « fruuntur Verbo Dei »[63]. Accedunt **documenta archæologiæ.** Si enim in antiquissimis inscriptionibus attendas formulas respicientes *cœleste convivium*, et phrases — *vivas* vel *recepta in pace — in Deo — in Christo,* etc.[64] « concludere licebit: formulas epigraphicas præconstantinianas generatim sententiam proferre quæ esse doceat post mortem statim beandos, qui nihil divinæ justitiæ solvendum habeant »[65]. Idem concluditur ex studio picturarum[66] et anaglyptorum[67]; ut enim ait P. SYXTUS, « animas in paradiso receptas orantium significant effigies, cum inter oves, arbores, aut juxta bonum Pastorem, seu Christum, apparent. Item oves, agni, cervi vel aves in cantharis bibentes, columbæ cruci gloriosæ, aut arboribus insidentes, aut uvam rostro petentes; tandem defuncti imago (cum) inter sanctos, præsertim inter principes apostolorum, sive orans, sive legis volumen ferens in eove legens, sistitur »[68]. — **Ratio** est quod sancti, jam firmati in bono, jus habent ad beatificam visionem: si ergo non adest impedimentum, eam consequi debent: atqui erat quidem in V. T. impedimentum *naturæ,* et est in animabus Purgatorii impedimentum *personæ*[69]; sed *nullum* impedimentum est in animabus sanctis N. T. a reatibus omnibus expeditis[70]: ergo.

602. **Secunda pars.** *Beatifica visio pro meritorum disparitate*

---

[60] 2 Corinth. **5**. 8. Profecto si usque ad finem mundi sancti non assequerentur beatificam visionem, frusta invocaretur mors ad Deum videndum.

[61] CYPR. *De exort. mart.* præf.

[62] GREG. Naz. Or. 8 *in laud sor.* n. 23. Similia habent GREG. Nyss. in or. *de Pulch.;* HIER. ep. 23 *de exitu Leæ;* AUG. *Conf.* IX c. 3 *de Nembr.*

[63] CHRYS. in *Ephes.* **4**. 8 hom. 11.

[64] P. SYXT. *Not. Archæol.* II p. 1 c. 3 a. 9.

[65] P. SYXT. *L. c.* pag. 138.

[66] P. SYXT. *L. c.* p. 2 c. 7 a. 2 et 3.

[67] P. SYXT. *L. c.* p. 3 c. 2 a. 7.

[68] P. SYXT. *L. c.* pag. 181.

[69] Cf. supra n. 569.

[70] Cum *resurrectio* respiciat corpus, non disponit ad beatificam visionem.

inæqualis est. **Ex Scripturis.** Nam Christus dixit: *In domo Patris mei mansiones multæ*[71]: atqui domus Patris est Paradisus, quo ipse perrexit parare locum[72]: ergo in Paradiso sunt diversi gradus gloriæ. Hinc Apostolus docet quod sicut *stella a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum*[73]; si autem differentia erit in gloria corporis, a fortiori est in gloria animæ ex cujus redundantia glorificabitur corpus; scriptum est enim, quod *qui parce seminat, parce et metet*[74]; *unusquisque autem accipiet secundum suum laborem*[75]. — **Patres** *a*) *docent* quod « sicut incrementa virtutum, ita etiam sunt incrementa præmiorum »[76]: « quod *hic* (in hoc mundo) alius alium merito superat, *illic* alius alium retributione transcendit »[77]. *b*) *Arguunt* ex Scripturis et maxime ex multitudine mansionem; « quomodo (enim), inquit Tertul., multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum? »[78]. *c*) *Confirmant* tandem ex analogia cum pœnis inferni; siquidem, ut ait Chrys., « in regno qui sunt omnes, non eâdem omnes regni gloriâ fruuntur: in igne qui sunt omnes, non eâdem omnes supplicii crudelitate torquentur »[79]. — **Ratio** sumitur ex fine mercedis et ex radice gloriæ. *a*) Si enim attendis *finem,* Paradisus proponitur ad fortiter pugnandum pro Deo, et ad ardua suscipienda: atqui « si nulla sit meritorum diversitas, si nihil distet inter virgines et mulieres conjugatas; si æqualis meriti sint leviora virtutum opera, et martyrum constantia, vanum erit perfectionis studium »[80]: ergo. *b*) Si consideras *radicem* scimus visionem Dei fundari in lumine gloriæ: atqui gradus hujus luminis commensuratur gratiæ a qua profluit: ergo juxta gradum gratiæ erit perfectio visionis Dei. « Facultas videndi Deum, ait S. Thom., non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ... Unde intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectius Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriæ qui plus habet de caritate...

---

71 Joan. **12**. 2.
72 Joan. **14**. 2.
73 1 Corinth. **15**. 41.
74 2 Corinth. **9**. 6.
75 1 Corinth. **3**. 8; Matth. **16**. 27; Act. **17**. 31; Rom. **2**. 6 etc.
76 Ambr. in *Luc.* V c. 6; Epist. 42 *Syn. ad Siric.* n. 2.
77 Greg. M. *Moral.* IV c. 36 n. **70**; Iren. *Adv. hær.* IV c. 13 n. 3.
78 Tertul. *Scorp.* c. 6; Hilar. in *Ps.* **64**; Aug. in *Joan.* tr. 67 n. 2.
79 Chrys. in *1 Corinth.* hom. 41.
80 Hier. *C. Jovin.* II n. 34.

Unde qui plus habebit de caritate, perfectius Deum videbit et beatior erit »[81].

603. **Tertia pars.** *Beata visio Dei in æternum permanet.* Nam **Scriptura** testatur quod *ibunt hi* (peccatores) *in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*[82]; quod *semper cum Domino erimus*[83]; quod *gaudium vestrum nemo tollet a vobis*[84]; quod sanctorum præmium est *immarcescibilis gloriæ corona*[85], *hæreditas æterna*[86], *regnum æternum*[87], etc. — **Ex Patribus** AUG. ait: « Deus ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui *sine fine* videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur »[88]. CHRYS. ex æternitate immensitatem gaudii deducit. « Cogita, inquit, quantum sit animam, cum illic abierit, non amplius expectare finem illorum bonorum, nec mutationem, sed incrementum et vitam quæ finem non habet..., plenam omni gaudio et bonis innumeris! »[89]. Et FULG.: « Inhærentibus Deo nihil inest de varietate temporis, quia collato sibi æternæ incorruptionis atque incommutabilitatis munere, nihil in se sentiunt mutationis »[90]. — **Ratio** est quia beatitudo « ex omnibus bonis sine ulla mali admixtione cumulatur; quæ, cum hominis desiderium expleat, in æterna vita necessario consistit; neque enim potest beatus non magnopere velle, ut illis bonis, quæ adeptus est, sibi perpetuo frui liceat. Quare nisi ea possessio stabilis et certa sit, maximo cruciatu timoris angatur necesse est »[91]. Ceterum si beatitudo aliquando desineret, vel esset ex destructione *subjecti* aut principii, vel ex *electione,* vel ex *pœna:* atqui non ex *primo,* quia anima est immortalis et lumen gloriæ, in gratia radicatum, incorruptibile; non ex *altero,* quia beatifica visio, secus ac nirvana budhistarum, est status summæ activitatis, vera nempe vita æterna, quæ satietatem sine tædio affert; non ex *tertio,* quia pœna sequitur culpam, et in cœlo sancti sunt impeccabiles ab intrinseco[92]: ergo.

604. **Quarta pars.** *Beatifica visio est supernaturalis.* Nam *a*) si eam *in se* consideres, **Scripturæ** testantur propriam Dei et Christi; *b*) si attendis *in causa,* docent fructum filiationis Dei; *c*) si spectes *in*

---

[81] S. THOM. 1 p. q. 12 a. 6.
[82] Matth. **25**. 46.
[83] 1 Thess. **4**. 16.
[84] Joan. **16**. 12.
[85] 1 Petr. **5**. 4; 1 Corinth. **9**. 25.
[86] Hebr. **9**. 15.
[87] 2 Petr. **1**. 11.
[88] AUG. *De Civ. Dei* XXII c. 30 n. 1.
[89] CHRYS. in *Hebr.* hom. 6 n. 4.
[90] FULG. *De fide ad Petr.* n. 29.
[91] CATECH. ROM. p. 1 c. 13 n. 3.
[92] Vol. 3 n. 147.

effectu, afferre dicunt deificationem: atqui *a*) beatitudo Dei naturaliter competere nequit creaturæ; *b*) divina filiatio est per gratiam, ideoque per donum gratuitum [93]; *c*) deificatio seu consortium divinitatis est per *maxima et pretiosa promissa,* quæ Christus nobis attulit [94]: ergo. PROB. MAJOR. Nam legimus: — *a*) *Euge serve bone... intra in gaudium Domini tui* [95]: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in trono meo* [96]: *Dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo* [97]. — *b*) *Si filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* [98]: *A Domino accipietis retributionem hæreditatis* [99]. — *c*) *Revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur* [100]: *Cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est* [101]. — **Ex Patribus** GREG. Nyss. beatitudinem considerans, clamat: « Excedit homo suam ipsam naturam, immortalis ex mortale, ex fragili et caduco integer et incorruptus, ex diario et temporaneo sempiternus, in summa *Deus ex homine evadens* » [102]. AMBR. ait: « Vitam æternam præstare non potest nisi auctor æternitatis » [103]. Et AUG.: « Summum bonum præstari hominibus non potest nisi per Christum et hunc crucifixum, cujus morte mors vincitur, cujus vulneribus natura nostra sanatur » [104]. — **Ex ratione.** « Cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suæ naturæ. Si igitur modus *essendi* alicujus rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis... Solius autem Dei proprius modus essendi est, ut sit *suum esse subsistens*... Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino » [105].

605. **SOLVUNTUR DIFFICULTATES. Objic. 1.** Multi Patres, maxime contra Eunomianos, absolutam invisibilitatem Dei proclamarunt [106]:

---

[93] Vol. 3 n. 311, 430.
[94] 2 Petr. **1**. 4.
[95] Matth. **25**. 21.
[96] Apoc. **3**. 21.
[97] Luc. **22**. 29-30.
[98] Rom. **8**. 17.
[99] Colos. **3**. 24.
[100] 2 Corinth. **3**. 18.
[101] 1 Joan. **3**. 2.
[102] GREG. Nyss. *De Beatitud.* c. 7.
[103] AMBR. *De Offic.* II c. 1 n. 3.
[104] AUG. *C. Jul.* IV c. 3 n. 19.
[105] S. THOM. 1 p. q. 12 a. 4.
[106] VASQUEZ (apud FRANZ. *De Deo*

ergo. **Resp.** Patres objecti vel negant possibilitatem *comprehensionis,* vel dicunt Deum non posse videri *oculis corporeis,* vel agunt de *naturali* impotentia, quam nos quoque tuiti sumus [107], vel loquuntur de cognitione *hujus vitæ,* siquidem Eunomiani blaterabant in hac ipsa vita se Deum videre [108].

606. **Objic. 2.** Cum Deus sit simplex, vel non videtur vel totus videtur: atqui solus Spiritus S. scrutatur omnia etiam profunda Dei [109]: ergo. **Resp.** Ex simplicitate Dei sequitur quidem quod videatur *totus,* ac proinde unus et trinus, in esse absoluto et uti creator mundi, sed non sequitur quod *totaliter* comprehendatur [110].

607. **Objic. 3.** In parabola operariorum omnes idem denarium receperunt [111]: ergo æqualis est sanctorum merces in cœlo. **Resp.** Sicut unus est ignis inferni, et tamen diversimode ab eo patiuntur reprobi; ita una est beatifica visio, quæ tamen juxta meritorum varietatem diversimode a sanctis percipitur. Ceterum, ut alias notavimus, in parabolis potius quam verba, finis debet attendi; Christus vero non vult probare æqualitatem præmii, sed « in regno Dei non laborem externum tempusque diuturnum, sed internum fervorem ex gratia prodeuntem operibus suam conferre dignitatem » [112].

608. **Objic. 4.** Si in cœlo alii aliis essent beatiores, qui in infimo gradu constituuntur, superioribus inviderent, et sic evaderent infelices: atqui omnes sancti sunt absolute felices: ergo. **Resp.** Nego *suppositum,* nam in cœlo invidia non habet locum. *Primo* quidem ex plenitudine gratiæ, siquidem omnis inordinatus affectus removetur ab illa patria in quam *non intrabit aliquod coinquinatum* [113]*: secundo* ex perfectione caritatis, qua fit « ut quod habent singuli, commune sit omnibus; sic enim quisque etiam ipse habet quod amat in altero, quod ipse non habet » [114]: *tertio* ex plenitudine gaudii, quia sicut « in lauto prandio, quamvis non omnes convivæ eandem sumant cibi potusque quantitatem, dum tamen quilibet pro suo desiderio comedit et bibit, aliis non invidet, qui plus cibi potusque sumpserunt; nec qui minoris est staturæ, grandiorum vestes desiderat, dummodo eas habeat, quæ sibi sint accomodatæ » [115]; ita sanctus inferioris gradus superiori non invidet, quia majus gaudium

---

Uno th. 19). citat BASIL., GREG. Nyss., CYRIL. Hier., GREG. Naz., EPIPH., Alex., CHRYS., AMBR., CYRIL., HIER.

[107] Vol. 2 n. 28.

[108] C. MAZZELLA n. 833.

[109] 1 Corinth. **2** 10.

[110] Cf. S. THOM. 1 p. q. 12 a. 7 ad 2; a. 8.

[111] Matth. **20**. 8.

[112] KNAB. in *Matth.* II p. 176.

[113] Apoc. **21**. 27.

[114] AUG. in *Joan.* tr. 67 n. 2.

[115] C. MAZZELLA n. 1193.

non oritur a meliori satisfactione desiderii, sed a majori desiderio quod quantitati gratiæ proportionatur [116].

609. **Objic. 5.** Sancti in cœlo libertatem servant: ergo possunt peccare et sic excludi a Paradiso. **Resp.** Potestas peccandi non pertinet ad perfectionem libertatis, sed est ejus defectus, removendus in assecutione ultimæ perfectionis [117]. Quod si sancti ab intrinseco non forent impeccabiles, certe tales efficerentur ex abundantia gratiæ [118]; cum enim in termino pervenerint, spectat ad divinam providentiam eos in immutabilitate sui status servare. Merito ergo AUG.: « Hic præceptum est, ut non peccemus: ibi præmium non posse peccare. Hic præceptum est, ut desideriis carnis non obediamus: ibi præmium, ut desideria carnis non habeamus » [119].

610. **Objic. 5.** Ut ait S. THOM., naturaliter homo desiderat videre suam causam [120]: atqui quod naturaliter desideratur supernaturale non est: ergo. **Resp.** Argumentum S. THOM. non est apodicticum; nisi cum ipso S. Thom. [121] existentia et promissio hujus beatificæ visionis ex *revelatione* præsupponatur; unde ipsemet notat quod infantes decedentes sine baptismo de amissione visionis Dei non dolebunt [122].

ART. 4 — DE LOCO ET ESSENTIA PARADISI.

(CATHOLICORUM DISPUTATIO).

611. **Status quæstionis.** Paradisum esse *statum* æternæ felicitatis omnes catholici concedunt, sed esse etiam *locum* in quo sancti coadunantur, quidam e nostris [1], post RATIONALISTAS [2] et MODERNISTAS [3], negarunt. Contra hos cum communiori theologorum sententia [4] tenemus

---

116 S. THOM. 1 p. q. 12 a. 6.

117 Supra n. 541; vol. 2 n. 206; vol. 3 n. 195.

118 Cf. quæ diximus de impeccabilitate B. V. M. Vol. 3 n. 237.

119 AUG. *C. duas ep. Pelag.* III c. 7.

120 S. THOM. 1 p. q. 12 a. 1.

121 « Finis ad quem divina largitas hominem ordinavit... est supra facultatem naturæ creatæ elevatus...; unde per naturalia tantum homo non habet sufficienter inclinationem ad illum finem ». S. THOM. *III Dist.* 23 q. 1 a. 4 q. 3. Cf. C. MAZZELLA n. 877.

122 S. THOM. *II Dist.* 33 q. 2 a. 2.

1 BONOMELLI adn. in *Monsabré* conf. 100.

2 FLAMMARION apud *Janssens VI* p. 368.

3 LOISY *L'Évang. et l'Égl.* p. 164–5.

4 G. DE VALENTIA I Disp. 5 q. 2 p. 2 quær. 5. dicit quod, quamvis non sit de fide, « negari (tamen) sine temeritate non potest, cum *communi sententia theologorum* asseratur ».

Paradisum esse simul statum et locum. — Quoad *essentiam* æternæ felicitatis, ut taceamus de iis qui constituebant in formali communicatione divinitatis, independente a quovis actu creaturæ [5], illi ipsi, qui reponunt in operatione animæ, dissentiunt de ejus natura; aliis enim beatitudinem formaliter absolvi videtur *cognitione* [6], aliis vero *amore* [7] et *gaudio* [8]. Primam sententiam cum S. THOMA eligimus, addentes tamen visionem Dei plurima bona spiritualia et sensibilia consequi.

THES. 91. *Licet Paradisus sit primarie status æternæ felicitatis, secundario est locus quidam determinatus.*

612. **Ex Scripturis.** Nam JOANNES in spiritu vidit *civitatem sanctam* cujus *structura muri ex lapide jaspide; ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata* [9]: APOSTOLUS vero *raptus est usque ad tertium cœlum* [10] et CHRISTUS, qui jam a conceptione quoad animam erat beatus, quadragesimo tantum a resurrectionis die *ascendit in cœlum* [11], ad quod in fine mundi de terra vocabit electos [12]. — **Ex Patribus** GREG. Naz. Deum exorat: « Tu e cœlo nos, quæso, inspice..., nosque postquam ex hac vita migraverimus, *illic tabernaculis tuis excipe,* ut *simul* viventes... desideriis nostris finem statuamus » [13]. Similiter AUG., commentans verba: *Quoniam confirmavit vectes portarum tuarum,* scribit: « Fortiter clausæ sunt portæ tuæ; non exit amicus, non intrat inimicus » [14]. — **Ratio** consonat; nam si *spiritus* loco non circumscribuntur et ubique possunt indifferenter suas operationes elicere [15], corpora a loco independentia esse nequeunt: atqui in Paradiso non sunt tantum spiritus sed etiam *corpora,* scil. Christi, B. V. et sanctorum qui die resurrectionis Christi exierunt de sepulcris [16], in fine autem mundi suis corporibus omnes homines electi

---

[5] Apud *C. Mazzella* n. 1165–6.

[6] S. THOM. 1-2 q. 3 a. 2-4; THOMISTÆ omnes; VASQUEZ I Disp. 11 q. 3 et 7; C. MAZZELLA n. 1179; HURTER III n. 829; PESCH 449-50.

[7] SCOTISTÆ in genere; BONAV. in *IV Dist.* 49 p. 1 q. 5; G. DE-VALENTIA Disp. 1 q. 3 p. 4; SUAREZ *De ult. fine* Disp. 7 sect. 1 n. 29, 31, 36, 42; TEPE IV n. 839-42.

[8] MOLINA et LESSIUS apud *C. Mazzella* n. 1171.

[9] Apoc. **21** per totum. **NB.** Joannem describere paradisum *imaginibus,* conditionibus nostris accomodatis, non negamus; sed tamen proponere uti *determinatum* aliquem locum evidens quoque putamus.

[10] 2 Corinth. **12**. 2.

[11] Luc. **24**. 51; Act. **1**. 9-10; Ephes. **4**. 10.

[12] Matth. **25**. 24. — Paulus Hebr. **8**. 1 sqq. comparat tabernaculo mosaico et *fixum* dicit divina virtute.

[13] GREG. Naz. *Or.* 43 n. 82.

[14] AUG. Enar. in *Ps.* **147** n. 12.

[15] Cf. supra n. 202.

[16] Cf. vol. 3 n. 257.

in illum ascendent: ergo. Ceterum quis non videt *quam* sit *bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!* [17] Sanctorum ergo societas exigit ut locus quidam habeatur in quo, maxime post resurrectionem, coadunentur beati.

THES. 92. 1 *Beatitudinis essentia formaliter reponenda est in visione Dei,* — 2 *integratur autem multitudine innumerabilium bonorum.*

613. **Prima pars.** *Beatitudinis essentia formaliter consistit in visione Dei.* Nam imprimis « necesse est dicere quod beatitudo hominis sit *operatio.* Est enim beatitudo ultima hominis perfectio. Unumquodque autem intantum perfectum est, inquantum est in actu; nam potentia sine actu imperfecta est. Oportet ergo beatitudinem in ultimo actu hominis constituere. Manifestum est autem quod operatio est ultimus actus operantis... Necesse est ergo beatitudinem hominis operationem esse » [18]. Quapropter Scriptura beatitudinem vocat *vitam æternam* [19], et *vita* motum et operationem dicit [20]. Jam age: hominis operatio duplex est, sensus scil. et rationis: atqui *non est* beatitudo essentialiter inspecta *operatio sensus,* « nam beatitudo hominis consistit essentialiter in conjunctione ipsius ad bonum increatum, quod est ultimus finis... cui homo conjungi non potest per sensus operationem » [21]: ergo consistit in operatione spiritualium potentiarum, intellectus scil. et voluntatis. Atqui « consecutio finis *non consistit in ipso actu voluntatis;* (nam) voluntas fertur in finem et absentem, cum ipsum desiderat, et præsentem, cum in ipso requiescens delectatur. Manifestatum est autem quod ipsum *desiderium* finis non est consecutio, sed est motus in finem. *Delectatio* autem advenit voluntati, ex hoc quod finis est præsens; non autem e converso ex hoc aliquid fit præsens, quia voluntas delectatur in ipso. Oportet igitur aliquid aliud esse quam actum voluntatis, per quod fit finis ipse præsens voluntati... Sic igitur essentia beatitudinis in actu intellectus consistit » [22].

614. **Secunda pars.** *Æterna felicitas innumerabilibus bonis integratur.* Ut ordinem quemdam bonis futuræ gloriæ imponamus, notamus alia esse

---

[17] Ps. **131**. 1.

[18] S. THOM. 1-2 q. 3 a. 2.

[19] Matth. **7**. 14; **18**. 8; **19**. 16; **25**. 46; Joan. **3**. 15; **13**. 3; Rom. **6**. 23 etc.

[20] S. THOM. 1 p. q. 18 a. 1.

[21] S. THOM. 1-2 q. 3 a. 3.

[22] S. THOM. *l. c.* a. 4. **NB.** De hac cognitione quæritur an fiat *specie impressa* et habeat terminum seu *verbum mentis.* Non fieri *specie* sed immediata actuatione intellectus per divinam substantiam, certum est, siquidem quælibet species, utpote creata, induceret cognitionem analogicam et non propriam (S. THOM. *Suppl.* q. 92 a. 1). De *verbo mentis* non æque patet: MAZZELLA n. 824-5 inclinat in sententiam affirmantem, BILLOT *(De Deo Trino* p. 326) negantem amplectitur.

negativa, alia *positiva,* hæc autem respicere *individuum* quod perficitur quoad *animam* et quoad *corpus,* et etiam *societatem* in qua sancti coadunantur: ad primum ordinatur *immunitas a quovis malo,* ad alterum plenitudo *scientiæ* et rectitudo *voluntatis,* ad tertium *glorificatio corporis,* et *sensuum suavis operatio,* ad quartum *societas sanctorum* et gloria *aureolarum.* — DE LIBERATIONE A MALIS notissima sunt verba Scripturæ: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus erit ultra, quia prima abierunt* [23]. — SCIENTIA triplex agnoscitur in sanctis: *acquisita,* siquidem scientia quæ in hoc mundo studio acquiritur, amitti non debet in altero sed perfici; *per se infusa,* quia hæc respondet conditioni animæ separatæ; *beatifica* proprie dicta, quia, cum Deus sit omnium rerum imago, qui ipsum intuetur per ipsum et in ipso plura cognoscit [24]. Si de objecto hujus scientiæ quæris, respondeo *non esse infinitum,* quia nulla creata vis potest infinita cognoscere: esse *inæquale,* quia respondet meritis et lumini gloriæ: esse *sine ignorantia* [25], *dubio* et *errore,* quia hæc obstant perfectioni status beatorum: esse *valde extensum* et *perfectum,* quia desiderium sciendi naturale est in cœlo, non minus quam in terris. In particulari dicit potest quod sancti scrutabuntur *omnia mysteria fidei,* cum enim « venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est » [26]: agnoscent *omnes naturæ leges,* quia sanctorum scientiam terrenæ esse inferiorem dedecet: intelligent *omnia quæ propriæ salutis œconomiam* attinent necnon *hominum preces,* quia, cum naturaliter quisque scire cupit quæ ad se attinent, et in cœlis honestum desiderium semper satiatur, « nulli intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia quæ ipsum spectant » [27]. — Rectitudo seu IMPECCABILITAS voluntatis non solum erit extrinseca ex abundantia gratiarum [28], sed intrinseca ex ipsa natura beatificæ visionis; tum quia videnti Deum peccatum apparere nequit sub ratione boni seu appetibilis; tum etiam quia diligens Deum intenso caritatis actu, ea velle nequit quæ ab eo sejungerent [29]. — De dotibus CORPORIS GLORIOSI diximus agentes de resurrectione [30]. — Quod attinet ad OPERATIONEM SENSUUM, nota quod licet testimonia Scripturæ de splendoribus sanctorum, de canticis, de citharis et de odoramentis [31] principalius

---

[23] Apoc. **21**. 4; vol. 3 n. 171.

[24] Cf. quæ diximus de scientia Christi. Vol. 3 n. 138 sqq.; S. THOM. 1 p. q. 12 a. 8-9.

[25] *Ignorantia* proprie dicta est defectus scientiæ debitæ.

[26] 1 Corinth. **13**. 10.

[27] S. THOM. 3 p. q. 10 a. 2.

[28] SCOTUS et alii apud *Pesch* n. 460.

[29] S. THOM. 1 p. q. 82 a. 2; 1-2 q. 4 a. 4; *De Verit.* q. 24 a. 8 et 9; *Cg.* III c. 62; IV c. 92. Cf. AUG. *Conf.* XII c. 15; FULG. *De fide* n. 6; GREG. M. *Moral.* V c. 27.

[30] Supra n. 551.

[31] Sap. **3**. 7; Matth. **13**. 42; Apoc. **5**. 8-9; **14**. 2; 19, etc.

explicentur metaphorice de gloria animæ, secundario tamen intelliguntur de satisfactione sensuum. Profecto in cœlis sensus habere debent operationes proprias; secus enim « corporalis vita sanctorum post resurrectionem assimilaretur magis somno quam vigiliæ » [32], nec corpus præmium proprium reciperet: atqui beatitudo exigit quod omnis operatio afferat gaudium: dicendum ergo « quæcumque nobis jucunda in hac vita contingere vel etiam optari quæat, sive ea ad mentis cognitionem sive ad corporis perfectum habitum pertineant, earum rerum omnium copiis beatam cœlestium vitam circumfluere, quamvis hoc altiori quodam modo » fiat [33]. — SANCTORUM SOCIETAS non ultima erit Paradisi corona; si enim in terris, qui amicum invenit, thesaurum invenit [34], profecto et in cœlis sanctos lætitia afficiet præsentia electorum qui, « etsi gratiâ dispares, meritis inæquales et in diversissimis mansionum gradibus collocati, inter sese tamen intime communicant et in unam compactam atque concordissimam assurgunt societatem. Hæc est beata communio sanctorum, quæ in Evangelio [35] annuntiatur, cum dicitur quod Jesus moriturus erat ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum » [36]. — AUREOLA, quasi parva corona, dicitur a S. THOM. « *quoddam gaudium* de operibus a se factis, quæ habent rationem *victoriæ excellentis;* quod est aliud gaudium ab eo, quo de conjunctione ad Deum quis gaudet, quod gaudium *Aurea* dicitur » [37]. Nomen sumitur ex Scriptura quæ beatitudinem signat nomine *coronæ* [38], et triplex agnoscitur, virginitatis scil., martyrii et doctoratus [39]: *virginitate* obtinetur specialis victoria de carne et impugnatione interna, *martyrio* de mundo et impugnatione externa, *doctoratu* de diabolo, qui per doctrinam et prædicationem etiam a cordibus aliorum expellitur [40]. Porro si consideretur *difficultas pugnæ,* præstat martyrium; si *diuturnitas* et *periculum,* virginitas; si *astutia* et *robur inimici,* doctoratus [41].

---

[32] S. THOM. *Suppl.* q. 82 a. 3.

[33] CATECH. ROM. 1 p. c. 13 n. 12.

[34] Eccli. **6**. 14.

[35] Matth. **24**. 31; Joan. **11**. 52; **17**. 21.

[36] BILLOT *th. 9* p. 122.

[37] S. THOM. *Suppl.* q. 96 a. 1.

[38] 1 Corinth. **9**. 25; 2 Tim. **4**. 8; Jac. **1**. 12; 1 Petr. **5**. 4; Apoc. **2**. 10 etc.

[39] De VIRGINIBUS legimus: *Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia...; virgines enim sunt.* Apoc. **14**. 3-4. — De MARTYRIBUS: *Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt?... Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna.* Apoc. **7**. 13-4. — De DOCTORIBUS: *Qui ad justitiam erudiunt multos,* (fulgebunt) *quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Dan. **12**. 3.

[40] S. THOM. *Suppl.* q. 96 a. 11.

[41] S. THOM. *l. c.* a. 12.

PARERGON

615. **De communione sanctorum.** Ecclesiam in cœlestibus gaudiis triumphantem, in purgatorio pœnas luetem, in terris contra portas inferi dimicatem esse *unam,* manifeste elucet ex documentis fidei. **Scriptura** enim exhibet Christum caput [1] illius mystici corporis, quod est semen Abrahæ [2], omnia renovantem, vitamque tribuentem iis qui sive in cœlis, sive in terris degunt [3], quique sunt ejus fratres [4], et invicem conservi, concives ac cohæredes [5]. — **Patres** cum Aug. docent quod « neque priorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi »[6]. — Hujus unitatis consectaria constituunt *sanctorum communionem,* de qua plura nunc forent dicenda, si jam in decursu tractationis non essent præoccupata. Revocantes igitur quæ diximus, hæc adnotamus: *a*) *Ratio capitis,* qua Christus triplicem Ecclesiam compaginat in unum corpus, non est mere extrinseca et iners, sed intima et actuosa; Christus enim est sanctis perfecta beatitudo [7], animabus purgatorii refrigerium [8], et viventibus in carne sanctificatio et auxilium [9]. *b*) *Ex fidelium unione* [10] sequitur bonorum communio, qua in terris omnes christiani, et maxime justi, participant de singulis Missis quæ celebrantur [11] et de merito satisfactorio et impetratorio operum justo-

---

[1] 1 Corinth. **11**. 3; Ephes. **4**. 15; Colos. **1**. 18.

[2] Gal. **3**. 16 coll. Cornely in *h. l.*

[3] Ephes. **1**. 22; Colos. **1**. 16–20.

[4] Rom. **8**. 29.

[5] Rom. **8**. 29; Ephes. **2**. 19; Hebr. **12**. 22 sqq.

[6] Aug. *De Civ. Dei* XX c. 9 n. 2; Cypr. in *Ps.* **85** n. 24; Ambr. *Epist.* 22; Bernard. in *Cant.* serm. 78 n. 1. Cf. Hurter III n. 868 sqq.

[7] *Civitas illa non eget sole...; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus,* Apoc. **21**. 23, *in quem desiderant angeli prospicere.* 1 Petr. **1**. 12.

[8] Supra n. 294 et 409.

[9] Cf. vol. 3 n. 154, 433.

[10] Ut hanc communionem bene intelligas, vide quæ diximus de unitate Ecclesiæ et de ejus membris vol. 1 n. 216 sqq.; 306 sqq.

[11] Supra 287.

rum [12]. *c*) *Ex communione cum animabus purgatorii* fit ut viventes satisfacere queant pro defunctis [13], qui vicissim necessitatibus nostris multipliciter occurrunt [14]. *d*) *Ex communione cum ecclesia triumphante* provenit sanctorum cultus et honor exhibitus eorum reliquiis et imaginibus [15], sicut etiam sanctorum patrocinium et intercessio [16]. Hæc qui bene perspexerit, fatebitur sane Deum in supernaturali ordine instaurasse quæ in naturali sequuntur vitam familiarem et civilem societatem.

CONCLUSIO ULTIMA.

616. *Nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset... O inæstimabilis dilectio charitatis: ut servum redimeres, Filium tradidisti!... O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* [1] His certe Ecclesiæ vocibus decet totius theologiæ cursui finem imponere. Protoparentum peccato natura filii iræ [2], væ nobis, si Deus omnia in Christo restaurare non statuisset! [3] melius erat si nati non fuissemus! [4] Supernaturalibus donis expoliati, vulnerati in naturalibus, cæcutientes in hoc caliginoso loco, et a diabolo oppressi, post lacrymarum exilium, rudentibus inferni detracti, præ angustia spiritus gementes, exclamandum nobis fuisset: *Erravimus a via veritatis...: lassati sumus in via iniquitatis..., et ambulavimus vias difficiles...: in malignitate nostra consumpti sumus!* [5]. Sed qui primum hominem de terra terrenum fecit, alterum de cœlo cœlestem largitus est nobis [6]. Cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est [7], et una oblatione consummans sanctificatos [8], omnia nobis donavit [9]. Baptismo veteri homini peccatori

---

[12] S. Thom. *IV Dist.* 20 q. 1 a. 2 s. 3. Meritum æternæ gloriæ aliis communicari nequit; *reddet* enim Deus *unicuique secundum opera* ejus. Matth. **16**. 27.

[13] Supra n. 409, 590.

[14] Supra n. 531, 585.

[15] Cf. Bellarm. *De Eccl. Triump.* I c. 11. 15; II c. 3, 4, 12 sqq.

[16] Vol. 3 n. 165.

[1] Liturg. *Exultet.*

[2] Ephes. **2**. 3.

[3] Ephes. **1**. 10.

[4] Matth. **26**. 24.

[5] Sap. **5**. 6–13.

[6] 1 Corinth. **15**. 47.

[7] Rom. **5**. 8-9.

[8] Hebr. **10**. 14.

[9] Rom. **8**. 32.

mortui sumus, et novo, qui creatus est in justitia et sanctitate veritatis, sumus renati [10], ac quasi oleaster in bonam olivam inserti, socii radicis et pinguedinis olivæ facti [11], fructificamus in Christo Jesu [12], qui factus est nobis sapientia a Deo et justitia, et sanctificatio, et redemptio [13]. Nec sicut delictum, ita et donum; nam gratia Dei in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit [14]. Salus nostra in futura quidem vita complebitur, quando novissima inimica morte destructa [15], in plenitudine ætatis Christi regnabunt sancti in gloria [16]; sed jam nunc fructus copiosæ redemptionis abundant ex multis delictis in justificationem [17]. Si enim Salvator, ad fidei meritum et virtutum exercitium, dolores hujus vitæ et concupiscentiæ fomitem penitus non abstulit; diffusione tamen caritatis Dei consolatur nos in omni tribulatione nostra [18], necessitatibus omnibus privatis et publicis omnique vitæ statui, conditioni ac discrimini occurrit sacramentis, et pro nobis pugnans, victoriam de veternoso serpente nobis tribuit, faciens cum tentatione proventum [19]. Ne simus ergo filii diffidentiæ, in quos venit ira Dei [20]; sed justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per D. N. J. C.... et gloriemur in spe gloriæ filiorum Dei [21], gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine [22].

617. *Pater* sancte, tu nostras suscipe gratias, qui Filium tuum in mundum misisti, non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum [23]: tu suscipe *Fili,* qui, factus obediens usque ad mortem, non auro vel argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati et incontaminati, redemisti nos de vana conversatione nostra [24]: tu suscipe *Spiritus S.,* qui vere spiritus veritatis et dilectionis, in Ecclesiam descendis, omnes illuminans fide, erigens spe, charitate perficiens! Igitur, *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen* [25].

---

[10] Rom. **6**. 3–4.
[11] Rom. **11**. 17.
[12] Joan. **15**. 5.
[13] 1 Corinth. **1**. 30.
[14] Rom. **5**. 15.
[15] 1 Corinth. **15**. 26.
[16] Ephes. **4**. 13.
[17] Rom. **5**. 16-8.
[18] 2 Corinth. **1**. 4.
[19] 1 Corinth. **10**. 13.
[20] Ephes. **5**. 6.
[21] Rom. **5**. 1-2.
[22] Colos. **1**. 12.
[23] Joan. **3**. 17.
[24] 1 Petr. **1**. 18-9.
[25] 1 Tim. **1**. 17.

A. M. D. G.

APPENDIX

DOGMATICA QUÆDAM DOCUMENTA ARCHÆOLOGIÆ CHRISTIANÆ

DE SACRAMENTIS.



Fig. **1** — Symbola baptismi.
(Pictura cœm. S. Callisti, sæc. II).

Fig. **2** — Omnium antiquissima baptismi cathecumeni repræsentatio.
(Pictura cœm. S. Callisti, sæc. II).



Fig. **3** — Symbola eucharistica ad panum multiplicationem alludentia. *NB.* Panes, Christi monogrammate ☧ *(I. X.)* consignati, nomen Salvatoris Ἰησοῦς Χριστός exhibent.
(Tabula marmorea sepulcralis, circa sæc. III).

NB. Symbolicas figuras n. 3 et 4 non esse meras commemorationes miraculi multiplicationis panum P. Sixtus ostendit in *Ephemer. Liturg.*, Nov. 1908.

Fig. **4** — Symbola eucharistica, etc. (Tabula marmorea sepulcralis, circa sæc. III).

Fig. **5** — Missæ sacrificii repræsentatio
(Pictura cœm. Callisti, sæc. II)

Fig. **6** — Species eucharisticæ, panis scilicet in canistro et vinum in vase vitreo.
(Pictura cœm. S. Callisti, sæc. II ineunte).

PHRYGII ABERCII INSCRIPTIO (sæc. II).

Textus græcus.	Versio latina
ΠΙΣΤΙΣ πάντη δὲ προῆγε	Fides vero ubique mihi dux fuit
ΚΑΙ ΠΑΡΗΘΗΚΕ τροφὴν	Præbuitque ubique cibum piscem e
ΠΑΝΤΗ ΙΧΘΥΝ ἀπὸ πηγῆς	fonte
ΠΑΝΜΕΓΕΘΗ ΚΑΘαρὸν, ὃν	Ingentem purum quem prehendit virgo
ΕΔΡΑΞΑΤΟ ΠΑΡΘένος ἁγνή,	casta
ΚΑΙ ΤΟΥΤΟΝ ΕΠΕδωκε φί-	Deditque amicis perpetuo edendum
ΛΟΙΣ ΕΣΘειν διὰ παντός	Vinum optimum habens ministrans
οἶνον χρηστὸν ἔχουσα,	(vinum aquæ) mixtum cum pane.
κέρασμα διδοῦσα μετ' ἄρτου.	

AUGUSTODUNENSIS PECTORII INSCRIPTIO (sæc. II vel III).

Textus græcus.

Ἰχθύος οὐρανίου θεῖον γένος, ὄπτορι σεμνῷ
Χρῆσε, λαβὼν πηγὴν ἄμβροτον ἐν βροτέοις
Θεσπεσίων ὑδάτων τὴν σὴν, φίλε, θάλπεο ψυχήν
Ὕδασιν ἀεινάοις πλουτοδότου σοφίης.
Σωτῆρος ἁγίων μελιηδέα λάμβανε βρῶσιν,
Ἔσθιε πινάων ἰχθὺν ἔχων παλάμαις

Versio latina.

« Piscis cœlestis divinum genus, corde puro utere, hausta inter mortales immortali fonte aquarum divinitus manantium. Tuam, amice, foveto animam aquis perennibus sapientiæ largientis divitias. Salvatoris sanctorum dulcem sume cibum; manduca esuriens piscem tenens manibus ».

INSCRIPTIONES CUM PICTURIS PROPOSITIS CONFERUNTUR.

(Ex DEROSSI, *Inscrip.* t. II, *Proœmium*, p. XXIII-IV).

« Primi quatuor versus epigrammatis Augustodunensis loquuntur de fonte divinitatis manante aquæ perennis, unde tum sanctitatem, tum sapientiam large haurit genus electum ΙΧΘΥΟΣ cœlestis. Pari ratione initium et caput cycli mystici picturarum (fig. 1 et 2) cœmeterii Callisti fons est defluens e petra; cujus aquis, teste Tertulliano *(De bapt. 9)*, baptizati initiantur sacris christianis. Sane in his picturis piscator evangelicus piscem hamo capit in aquis e rupe fluentibus; iisdemque in aquis puer baptismate abluitur.... Versibus 12-16 epigrammatis Aberciani explicatur mysterium arcanum ΙΧΘΥΟΣ tamquam cibi (ΤΡΟΦΗΣ) eorum quos ΠΙΣΤΙΣ nutrit; et enucleatur sententia tertii distichi carminis Augustodunensis, quo poëta invitat *genus electum* ΙΧΘΥΟΣ *cœlestis ad capiendum cibum suavem Salvatoris sanctorum, ipsumque* ΙΧΘΥΝ *appetenter edendum.* Hunc nonnisi Eucharistiam esse, quum primum lapis lucem vidit, omnes intellexerunt; idque Abercius pluribus explicat docens cibum, quem ΠΙΣΤΙΣ suis alumnis præbet, non esse reapse piscem, sed ΙΧΘΥΝ mysticum (Jesum Christum), quem Virgo concepit; et convivium, quo ΙΧΘΥΣ edendus datur, apparari non piscibus sed pane et *mixto* (id est vino aqua diluto). His arcanis verbis atque sententiis par pari respondent picturæ Callistianæ, in quibus visitur panis cum pisce impositus mensæ, cui adstat femina manibus orantis habitus expansis (fig. 5). Neque minus bene respondent carmini Aberciano picturæ antiquissimæ in cryptis Lucinæ (fig. 6), quibus exhibetur canistrum vimineum refertum panibus, prælucente introrsus poculo rubentis vini » apud piscem depositum. « ....Tam præclaro consensu monumentorum Asiæ, Galliarum, Urbis Romæ manu prope dixerim tangitur, quam vere Abercius litteris lapidi incisis publice testatus sit, fratres unius fidei tessera et fœdere ubique (ΠΑΝΤΗ) devinctos ab Oriente ad Occidentem ab Urbe Roma usque Nisibim iisdem secum mysteriis communicasse ».

DE NOVISSIMIS.

Fig. 7 — Judicium particulare animæ. Defunctus ΘΕΟΔΟΥΛΟC ante Christum judicem (ΔΕCΠΟΤΗC ΗΜΩΝ), recipitur inter oves, ad cœleste convivium (ΕΙC ΑΓΑΠΗΝ). (Cœm. S. Callisti, sæc. III aut IV).

INSCRIPTIO AGAPES.

(Cœm. S. Priscillæ, sæc. II Cf. P. SYXTUS, *Not. Arch. Chr.* Vol. 2, pars. 1, Tab. 48, pag. 112).

Eucharis est mater, Pius et Pater est (mihi)
Vos præcos, o fratres, orare huc quando veni(tis)
Et precibus totis Patrem Natumque rogatis.
Sit vestræ mentis Agapes caræ meminisse
Ut Deus omnipotens Agapen in sæcula servet.

INSCRIPTIO DIACONI SEVERI.

(Cœm. S. Callisti, sæc. III. Cf. P. SYXTUS, *Les catacombes de St-Callixte*, chap. 3).

Jussu PP. (papæ) sui Marcellini diaconus iste
Severus fecit, mansionem in pace quietam,
Sibi suisque memor, quo membra dulcia somno
Per longum tempus *factori* et *judici* servet.
Severa dulcis parentibus et famulisque
. . . . . .
Quam Dominus nasci mira sapientia et arte
Jusserat in carnem quod *corpus* (in) pace quietum
Hic est sepultum donec *resurgat* ab ipso ;
Quique *animam* rapuit Spiritu Sancto suo
. . . . . .
Quamque iterum Dominus *spiritali gloria reddet.*

NB. Curavit P. Syxtus monachus Abbatiæ catacumbarum S. Callisti.

INDEX ALPHABETICUS.

(Indicantur numeri marginales - *n* notam signat).

A

Abercii inscriptio 154 et Append.

Absolutio est pars sacramenti 348–9, necessaria ad ejus valorem 352, et conferenda forma absoluta 350. In publica pœnitentia absolutio sacramentalis dabatur initio 379, liturgica in fine 384, etiam per diaconum 400.

Accidens extrinsecum et intrinsecum quid 191: realiter distinguitur a substantia 183 *n. 35:* ejus *esse* est *inesse* 189. Accidentia eucharistica v. *Species.*

Adagia: *Propter quod unumquodque tale et illud magis* 33. *Nemo dat quod non habet* 80.

Aërii errores de missa 241, de ordine 434, 460 et de purgatorio 588.

Agnostici errant de vita futura 532.

Agnus paschalis fuit typus Eucharistiæ 147.

Albigensium errores de eucharistia 211, de pœnitentia 297, de extrema unctione 411, 413, de matrimonio 473, 477, de judicio 567, de purgatorio 588.

Amor initialis qualiter necessarius in pœnitentia 312.

Anabaptistarum errores de sacramentis in genere 70, de baptismo 104, 120, de matrimonio 504, de judicio 541, de resurrectione 546.

Antropophagi in qua materia resurgent 558.

Apparitiones mortuorum 537, sanctorum 202 *n. 12* et eucharisticæ 154 *n. 82,* 202 *n. 12* quomodo explicandæ sint.

Aqua naturalis est materia baptismi 27, 111: cur in missa vino misceatur 175 *n. 4.*

Arcani lex 13 *n. 23,* 148.

Archæologiæ monumenta de baptismo 27 n. 24 103, app., de eucharistia 148, 153, 196 *n. 35,* app., de missa 225, 254 *n. 8,* 263, app., de pœnitentia 341, de ordine 434, 449, de matrimonio 487, 511 *n. 51,* de vita futura 534, de judicio particulari 548, app., de universali 568, de resurrectione 553, de purgatorio 589, 590, app., de paradiso 601.

Armenorum error de beatitudine 596.

Arminianorum errores de confirmatione 129, de resurrectione 552.

Atomistarum errores de speciebus eucharisticis 148, 181.

Attritio in quo a contritione differat 310. Est moraliter bona et supernaturalis 322; licet autem extra sacramentum non justificet 323, sufficit in sacramento 357 sqq.

Auctor sacramentorum v. *Sacramentum.*

Aureola triplex 614.

Averroistæ negant æternitatem inferni 571.

B

Baii errores de missa 241, 259, de pœnitentia 297, 317, de indulgentis 407, de beatitudine 596.

Baptismus quid 101, qualiter præfiguratus 103, quando institutus 102, quid significet 116: historia dogmatis

104. Triplex agnoscitur 118, 123, materia remota 111, 115, proxima 112 sq, forma 109, 114, minister 108, subjectum 122, effectus 105, res et sacramentum 39: æqualem gratiam confert parvulis 90: est verum sacramentum 107, absolutæ necessitatis 119, 121, distinctum a pœnitentia 340, non reviviscit ad remissionem peccatorum quæ ejus collationem sequuntur 345, et numquam est collatum in solo nomine Christi 117.

BAPTISTARUM errores 7, 104.

Baptizare igne quid 30, 115.

BARTOLO (DI) errat de inferno 571 *n. 9.*

BASSI DOM. improbatur 571 *n. 9.*

BATIFFOL improbatur 160 *n. 101*, 297 *n. 53*, 377 *n. 80*, 434 *n. 51.*

BEATITUDO definitur 594. *Objectum* principale est Deus 597, qui sine specie impressa et forte sine verbo mentis videtur 613 *n. 22*, totus sed non totaliter 606. *Fundatur* in gratia prout radicat lumen gloriæ 595: et formaliter *consistit* in visione Dei 598, 613, quæ tamen integratur amore et gaudio 599, 600 plurisque bonis secundariis, scil. immunitate a quovis malo, plenitudine scientiæ, rectitudine voluntatis, glorificatione corporis, sensuum conveniente satisfactione, Sanctorum societate, et quibusdam aureolis 614. *Proprietates* sunt: immediata collatio animabus mundis 601, inæqualitas 602, æternitas 603, et supernaturalitas 604. Solv. diffic. 605 sqq.

BEGUINÆ et BEGUARDI errarunt de beatitudine 596.

BELLORD naturam sacrificii pervertit 244, 248.

BERENGARII errores de eucharistia 148, 149, 166.

BOGOMILES sacramenta respuunt 7, 9.

BONITAS ministri v. *Minister.*

BONNETY errat de resurrectione 552 *n. 34.*

BOUGAUD parum recte loquitur de pœnis inferni 571 *n. 10*, 574 *n. 58*, 580 *n. 95.*

BRUIS erravit de sacrificio missæ 241.

C

CÆREMONIA quid n. 4.

CALIX an multiplex in ultima cœna 161.

CALVINI et Calvinistarum errores de sacramentis in genere 7, 9, 70, de confirmatione 133 *n. 23*, de eucharistia 148, 149, 192, 228, 273-4, de pœnitentia 297, 364, de extrema unctione 411, de matrimonio 485, de judicio 546.

CANUS (M.) erravit de matrimonio 496.

CARITAS justificat cum voto sacramenti 324-5. Caritatis fervor v. *Fervor.*

CAUSA quid et quotuplex 23: principalis et instrumentalis 24: physica et moralis 35: perficiens et disponens 36: causalitatis moralis duplex modus 38. Causæ notionem exhibent part. *ex, in, per*, et synthesis subordinationis 27. Cf. v. *Sacramentum.*

CATHARINUS erravit de intentione ministri 7, 70, de matrimonio 471 *n. 35*, et de igne inferni 571 *n. 20.*

CATHARORUM errores de sacramentis in genere 7, 9, de baptismo 104, 120, de confirmatione 131, de eucharistia 148, 149, de judicio 567 et de purgatorio 588.

CHARACTER quid 51: est reductive potentia 52, et imprimitur in anima 54 baptismo, confirmatione et ordine 55. Quid *character bestiæ* 51 *n. 4.*

CHILIASMUS improbatur 546, 565.

CHRISTUS sacerdos secundum ordinem Melchisedech 262: vere præsens sub speciebus 150 sqq., totus sub alterutra specie 194-5, et sub singulis ejus partibus 196. Qui sacramentalis præsentiæ modus 205 sqq. An præposterum sensum suorum verborum toleraverit Christus 157.

CIRCUMCISIO fuit sacramentum V. L. 11 *n. 11*, typus baptismi 103 et symbolum confessionis 367.
CŒLIBATUS est licitus 481, præstat matrimonio 479, 482, et merito præcipitur clericis 480.
COGNITIO in hac tantum vita impeditur acerbitate dolorum 584. Quæ fuerit cognitio naturæ integræ 10 *n.* 7.
COLUMNA ignis super tabernaculum fuit symbolum eucharistiæ 147 *n. 5.*
COMMUNIO usque ad sæc. 12 data est infantibus 238: sufficit sub una specie 230, et fructuose sumitur etiam sine magno fervore 233 sqq.: licet autem non sit absolutæ necessitatis 229, requiritur tamen pro adultis ad perseverandum 231, unde ab omnibus post usum rationis 232, frequenter 236 est sumenda.
COMMUNIO SANCTORUM explicatur 615.
CONCEPTUS speculativus et practicus 4 *n. 12.*
CONFESSIO sacramentalis definitur 362: sufficit auricularis quæ etiam in primitiva Ecclesia usuvenit 370 sqq. Quæ confessionis integritas 363 pro remissione peccatorum sit necessaria 365 sqq.
CONFIRMATIO quid 127: quando instituta 128: dogmatis historia 129: materia 136-8, forma 139 sq., effectus 130, res et sacramentum 39, minister 140-1: est verum sacramentum N. L. a baptismo distinctum 132.
CONGREGATIONISTÆ negant æternitatem inferni 571.
CONTACTUS virtutis et quantitatis 201 *n. 6.*
CONTRITIO perfecta quid superaddat attritioni 310: justificat ante sacramenti susceptionem 324, sed cum ejus voto 325.
CONVIVIUM symbolum eucharistiæ 147.
COPTI errant de judicio 546.
CORPUS quomodo in loco 202.
CULPA est reatus peccati 299 sq.: meretur pœnam 299, quæ cum culpa non semper integre relaxatur 315, 381.
CULTUS internus, externus et publicus v. *Eucharistia.*
CYPRIANUS fidem in sacramentorum ministro requisivit 7.

D

DAMNATI ignorant quæ in mundo contingunt 531: non lætabuntur in visione Christi 566 *n. 12* v. *Infernus.*
DENARIUM cur *unum* omnibus 607.
DENIS (L.) improbatur 446 *n. 14.*
DEUSDEDIT impugnavit sacramenta collata a simoniacis 7 *n. 30.*
DIACONATUS est sacramentum 450, distinctum a presbyteratu et episcopatu 443, 445. Probabiliter collatum est ante electionem Stephani 450 *n. 32*: confert potestatem baptizandi 108, prædicandi 454, administrandi eucharistiam 216, sed non absolvendi 400.
DIES ET NOX quid in Scriptura 540 *n. 14.*
DIACONISSÆ quæ fuerint 472.
DISCIPLINA ARCANI 13 *n. 23*, 148.
DISPOSITIO quid et quotuplex 83, 84.
DIVORTIUM an licitum in V. T. 502: quandonam valeat in N. T. 508 sqq. Solv. diff. 512 sqq.
DOCETARUM errores de eucharistia 149.
DOCTORATUS an præstet vinginitati et martyrio 614.
DOLOR de peccatis in quo consistat 307: est attritionis et contritionis 310: ejus qualitates 308: summus intensive et appretiative 309: qualis sit materia sacramenti 354 sq.
DONATISTÆ fidem et sanctitatem requisierunt ad valorem sacramenti 7, 70, characterem non agnoverunt 53 et confirmationi injuriam inusserunt 129.
DUCHESNE improbatur 434 *n. 51*, 471 *n. 49*, 473 *n. 7, n. 40.*
DUBIUM de valore sacramenti spernendum 78.

DURANDUS nonnihil erravit de sacramentis 7, 20, 52 *n. 2*, de eucharistia 148 *n. 48*, 166, de pœnitentia 297, de matrimonio 473.

E

ECCLESIA ESCHATOLOGICA improbatur 565 *n. 119*.

EMERY errat de pœnarum inferni acerbitate 580 *n. 95*.

EPISCOPATUS est sacramentum 450, a diaconatu et presbyteratu distinctum 451. Solv. diff. 455-7.

EPISCOPÆ quæ fuerint 472.

Esse an synonymum verbi *significare* 160.

EUCHARISTIA definitur 145. **Natura.** Historia dogmatis 148: plura habet nomina 146, et de diversis dicitur 163: plurimis miraculis perficitur quæ ad unitatem revocantur 210: ceteris sacramentis præstat 14, typis et symbolis præfiguratur 147, et Christi mortem commemorat 162: est sacramentum vivorum 233, et unum tantum licet duæ sint species 179: ejus materia remota 175 et proxima 177, forma 176, effectus 219 sqq., minister dispensationis 215 et confectionis 216. **Christi præsentia.** Duplex præsentiæ titulus, h. e. vi verborum et vi concomitantiæ 190, 193 sqq., quæ multiplex est 191. Christus est vere, realiter et substantialiter sub speciebus 150 sqq., etiam ante sumptionem 212, et quidem integer cum suis accidentibus 195, sub utraque specie 194 et sub singula earum parte 196. De modo hujus præsentiæ valde dissentiunt theologi 170, 171, 204; dici vero potest quod Christus est sub speciebus adinstar substantiæ 205, modo mirabili et singulari qui sacramentalis dicitur 206 sqq. Sub speciebus Christus est adorandus 214 et alloqui potest 209 *n. 39*: æquivalenter autem tantum apparet 154 *n. 82*, 202 *n. 12*. **Finis** eucharistiæ est Communio 213 et adoratio 214. Porro Communio diversimode operatur suos effectus 217: per se non remittit peccata 219, sed incorporat Christo 220, fideles in unum conglutinat 221, animam reficit 222, præservat a mortalibus 223, remittit venialia 224, confert gloriosam resurrectionem 225 et spiritualem dulcedinem 226. **Usus.** Pro non celebrantibus sufficit communio sub una specie 230, licet autem communio non sit de absoluta necessitate salutis 229, est tamen omnibus, qui ad discretionis annos pervenerint 232, necessaria ad perseverandum in justitia 231; unde frequens Communio promovenda est 236, multo magis quod si pro ea exoptandus est caritatis fervor 235, sufficit tamen status gratiæ cum recta intentione 233. v. *Sacrificium, Species, Transsubstantiatio*.

EXTREMA UNCTIO definitur 412: materia 422-3, forma 424, res et sacramentum 425, subjectum 427, minister 428, fructus 429. Est verum sacramentum 414 sqq. quod raptis extra sensus fructuose confertur 416 *n. 34*.

F

FERVOR caritatis est actualis et habitualis: ille consistit in actu virtutis supernaturalis caritate informato, hic in bona dispositione qua virtus potest expedite in actum prodire 304 sq. v. *Peccatum*.

FIDES quomodo justificet 31: an necessario requiratur in ministro v. *Minister*.

FICTIO quid in sacramento 89 *n. 39*.

FIGURÆ baptismi 103, eucharistiæ 147, pœnitentiæ 355, 367.

FLAGELLANTIUM errores de baptismo 104 et de eucharistia 148.

FLAMINIS baptismus v. *Caritas*.

FLAMMARION errores de paradiso 611 *n. 2.*
FOGAZZARO improbatur 473 *n. 40,* 481 *n. 56,* 539 *n. 5.*
FOLCMARUS erravit de eucharistia 148, 192, 211.
FORMA in sacramentis quid sit 18 sqq.

G

GALLICANORUM errores de matrimonio 473, 520.
GOTHESCALCUS solis prædestinatis utilia dixit sacramenta 7.
GNOSTICORUM errores de matrimonio 473, 477 et de judicio 567.
GRÆCORUM schismaticorum errores de sacramentis in genere 53, de baptismo 104, de matrimonio 473, 477, de beatitudine 596.
GRATIA communis et sacramentalis 46, prima et secunda 47. Sacramentalis accidentaliter differt a communi 48-9; unde sacramenta vivorum per accidens primam possunt conferre 50. Gratiæ infusio non est sine aliquo caritatis fervore 305 *n. 61.* Gratiæ agendæ Deo pro redemptione 616.

H

HÆRETICI habent implicitam voluntatem faciendi quod facit Ecclesia 79.
HERMINIANORUM errores de baptismo 104, 115 *n. 29.*
HISTORIA DOGMATUM de sacramentis in genere 7, de baptismo 104, de confirmatione 129, de eucharistia 148, de sacrificio missæ 241, de pœnitentia 297, de extrema unctione 411, de ordine 434, de matrimonio 473, de vita futura 530, 532, 539, de judicio particulari 546, de universali 567, de resurrectione 552, de inferno 571, de purgatorio 588, de paradiso 596.
Hoc (pronomen) quid significet in forma eucharistiæ 151 *n. 21.*
HUSSITARUM errores de confirmatione 129, de eucharistia 148, 228, de pœnitentia 297, de indulgentiis 407, de extrema unctione 411, de ordine 434, de purgatorio 588.
HYMENÆUS erravit de resurrectione 552.

I

IGNIS inferni verus et physicus 575, 581: quomodo animas cruciet 582 *n. 104.*
IGNORANTIA dicit defectum debitæ scientiæ, unde non est in cœlo 614.
ILLYRICI error de eucharistia 148, 166, de ordine 343.
IMMUTABILITAS vitæ futuræ quæ 538 sqq.
IMPEDIMENTA impedientia et dirimentia matrimonium quæ sint 516: an ligent ethnicos et hæreticos 517: an impedimentum disparitatis cultus sit legitimum 527? Status valet determinare quædam secundaria matrimonium attinentia 524, sed non potest impedimenta statuere 523; potest autem Ecclesia 521, independenter a civili auctoritate 522. Ecclesia valet dispensare ab impedimentis 518, ipsumque matrimonium sanare in radice 519.
IMPOSITIO manuum etiam in V. T. fuit signum symbolicum 437 *n. 10.* In N. T. est sacramentalis in confirmatione 132, 138 et ordine 437, non in pœnitentia 379.
INÆQUALITAS sacramentorum 14.
INDULGENTIA fundatur in meritis Christi et sanctorum 408, et licet per prius respiciat pœnas canonicas, importat veram relaxationem pœnarum temporalium 403: *dividitur* in indulgentiam partialem et plenariam, pro vivis et pro defunctis 404: *conditiones* plurimas requirit ex parte dantis et ex parte recipientis 405: ab Eclesia potest *concedi* 408, etiam pro meritis præteritis 405 *n. 15*: est *utilis*, sed ab onere pœnitentiæ non liberat 406. Solv. diff. 410.

INFERNUS multipliciter dicitur, at proprie est damnatorum status et locus 570: meretur quovis peccato mortali 572: non repugnat voluntati salvificæ 578, nec bonitati 572, 579, et justitiæ Dei 583; sæpe vero est prædicandus 584. *Pœnæ* damnatorum sunt positivæ 573 et acerbissimæ 574: inter eas vero ignis verus et physicus est agnoscendus 575, 581-2. *Proprietates* pœnarum inferni sunt inæqualitas 574, æternitas 576 et immutabilitas, quæ excludit earum mitigationem 577. Solv. diff. 578-84.
INSTRUMENTUM movetur a causa principali 24; si tamen est vivens, etiam se ipsum movet 73 *n. 48.*
INTENTIO interna et externa: actualis, virtualis et habitualis: implicita et explicita 69. Quid intentio *faciendi quod facit Ecclesia* 68: hæc est necessaria ad valorem sacramenti 73, 74, 78 sqq.
INVIDIA locum non invenit in cœlo 608.

J

JANSENISTARUM errores de eucharistia 148, 228, de pœnitentia 297, 317, 356, 380, de matrimonio 473, 477, 520.
JOANNES XXII quid docuit de beatifica visione 596 *n. 13.*
JOSAPHAT (vallis) quo sensu locus judicii 566.
JOVINIANI error de cœlibatu 473, 477.
JUDICIUM *sacerdotale* est pars sacramenti 352: forma absoluta debet efferri 350 et sola absolutione completur 349. — Judicium *Christi* duplex 568 *n. 32*: circumstantiæ judicii particularis 545 et universalis 566: statim post mortem 547 et iterum in fine mundi 568 judicabimur a Christo 548.
JUSTITIA quomodo ex fide 31.

K

KEMNITII errores de eucharistia 148, 166, de missa 241, de extrema unctione 411, de ordine 434.

L

LAUNOY errores de matrimonio 473.
LAZARI resurrectio symbolum pœnitentiæ 335.
LEADBEATER improbatur 446 *n. 14.*
LEON DENIS erravit de inferno 571 *n. 10.*
LEPRÆ mundatio typus pœnitentiæ 335.
LEX definitur 247 *n. 31.*
LIBERALIUM errores de matrimonio 473, 477, 485.
LIBERTAS manet in altera vita, sed non contradicit obstinationi damnatorum 541, 576, nec beatorum impeccabilitati 602.
LIGNUM vitæ fuit symbolum eucharistiæ 147 *n. 7.*
LIMBUS Patrum et infantium 569, 593.
LOCUS definitur 200: est accidens extrinsecum 198: quotuplici modo aliquid esse potest in loco 201: quomodo ibidem inveniatur corpus 202, et substantia corporea 203. Christus est sub speciebus modo sibi proprio 205 sqq. — *Locus medius* cœlum inter et infernum qualiter damnatus 593.
LOISY errores de baptismo 117 *n. 34,* de eucharistia 148 *n. 71,* 159 *n. 99,* de pœnitentia 297 *n. 53,* 377 *n. 79,* de extrema unctione 411 *n. 16,* de ordine 434 *n. 51,* de paradiso 611 *n. 3.*
LOTIO pedum non est sacramentum 16, 514 *n. 10.*
LUTHERI et Lutheranorum errores de sacramentis in genere 7, 9, 70, de eucharistia 148, 166, 228, de missa 241, de pœnitentia 317, 364, de extrema unctione 411, de ordine 434, de matrimonio 473, de judicio 546.

M

MAGNITUDO nominis Dei in gentibus quid sit 261, 266 sqq.
MALACHIAS prophetavit de missa 260.
MANDUCARE carnes quid metaphorice significet 156, 163.

MANICHÆORUM error de sacramentis in genere 7, de baptismo 104, 106, de eucharistia 149, de missa 241 de ordine 434, 436, de matrimonio 473.
MANUS impositio v. *Impositio.*
MARCIONITARUM error de matrimonio 477.
MARIAVITARUM errores de eucharistia 148, 228.
MARIS RUBRI transitus symbolum baptismi 103.
MARTYRIUM justificat sine sacramento 123: quomodo præstet virginitati et doctoratu 614.
MATERIA quid sit in sacramentis 18: materia et forma semper distinguendæ 21–2.
MATERIALISTARUM errores de vita futura 532.
MATRIMONIUM secundum nomen et secundum rem 474. **Contractus** est juris naturæ 478, ad multiplicem finem ordinatur 475, non repugnat voto virginitatis 476, cui cedit excellentiâ 479: semper fuit res sacra 483, etiam apud hebræos et paganos 483 *n. 3.* Matrimonium christianorum est **Sacramentum** 486 sqq. Solv. diffic. 491 sqq. Duplex in eo significatio distinguenda 492: sacramentum re non differt a contractu 489; unde apud christianos contractus pure civilis nullus est 490: legitimum, ratum et consummatum 503: sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum 39, 484: materia et forma 497, minister 498, et subjectum 499. — *Proprietates* matrimonii aliæ sunt primi, aliæ secundi ordinis 500. Polygamia successiva licet 305, simultanea fuit permissa in V. T. 506, sed repugnat matrimonio christiano 507. Divortium imperfectum plurimis de causis licet 508, perfectum in V. T. aliquando fuit permissum 502, in N. T. autem, si agatur de legitimo 509 vel rato 110 nonnumquam conceditur, sed in rato et consummato omnino repugnat 511. Solv. diff. 512 sqq. — *Legislatio* matrimonialis est possibilis 515. Quæ sint impedimenta impedientia et dirimentia 516: possunt constitui ab Ecclesia 521 sq., independenter a Statu 522, 526, qui ea sancire nequit 523, licet quædam secundaria circa matrimonium possit determinare 524. An impedimenta teneant ethnicos et hæreticos 517, et qua ratione legitimetur impedimentum disparitatis cultus 527. Ecclesia potest ab impedimentis *dispensare* 518 et matrimonia sanare in radice 519.
MELCHISEDECH sua oblatione præfiguravit eucharistiam 147, 175 et missam 262, 269–70.
METAPHORA quando possibilis 27, 150.
METAPHYSICA veritas an fide possit firmari 183.
METEMPSYCHOSIS improbatur 540.
MICHAËL de Molinos erravit de indulgentiis 407.
MICHAËLINI negant æternitatem inferni 571.
MILLENARII v. *Chiliasmus.*
MINCHAH est sacrificium incruentum 243 *n. 7.*
MINISTER sacramentorum v. *Sacramentum.*
MIRACULA eucharistiæ ad unitatem revocantur 210.
MISERICORDES negabant æternitatem inferni 571.
MISSA quid secundum nomen et secundum rem 253: ejus figuræ 254: quæ victima 255 et quis sacerdos 256. Licet Apostolus, loquens de sacerdotio Christi, siluerit de missa 269, ipsa tamen est verum sacrificium 260 sqq., in consecratione essentialiter consistens 277: pluribus distinguitur a sacrificio crucis 258, quod non evacuat 275, sed commemorat 257. Quomodo in missa habeatur oblatio 279, victimæ adductio 280, mystica macta-

tio 278, et suffimentum a Malachia prædictum 268. — *Finis* hujus sacrificii est latreuticus, eucharisticus, impetratorius 286, 292: et offertur pro membris Ecclesiæ 293, tam vivis quam defunctis 294, sicut etiam in honorem sanctorum 295. — *Fructus* est multiplex ex parte causæ 287 et ex parte effectus 288; licet autem in se sit infinitus 289, limitate percipitur juxta dispositiones accipientis et modum applicationis 290.

MIVART errat de pœnis inferni 571 *n. 18.*

MODERNISTARUM errores de sacramentis in genere 7, 9, 20, 26, de baptismo 104, 106, 120, de confirmatione 129, 131, de eucharistia 148, 149, de missa 241, 259, de pœnitentia 297, 317, 337, 351, de extrema unctione 411, 413, de ordine 434, 436, de matrimonio 473, 477, 485, de vita futura 532, 539, de judicio 546, de inferno 571, de paradiso 596 *n. 8.*

MONTANISTARUM errores de pœnitentia 297, 317, de indulgentiis 407, de matrimonio 473, 477.

MORS mystica quid 247 *n. 27.* — Mortis triduo Christus non totus constitisset sub alterutra specie 191 *n. 5.* Morte anima penitus a corpore sejungitur 533.

MORTALE peccatum a morte corporali denominatur 299 v. *Peccatum.*

MORTUI an cum vivis communicent 535, et vere appareant 537.

MURRI errores de confirmatione 129 *n. 23,* de vita futura 532 *n. 31,* 537 *n. 69,* de judicio particulari 546 *n. 14,* de universali 568 *n. 18,* de inferno 571 *n. 10.*

N

NATURA. Quæ sunt juris naturalis ulterius possunt lege positiva determinari 247 *n. 30.*

NAZARENI errant de baptismo 104, 120.

NECESSITAS medii et præcepti 119.

NECTARIUS abrogavit tantum confessionem publicam 374.

NESTORII et Nestorianorum errores de sacramentis in genere 53, de eucharistia 192, de judicio 546, de beatitudine 596.

NOGARA improbatur 142–3.

NOVATIANORUM errores de confirmatione 129, 131, de pœnitentia 297, 317, de indulgentiis 407, de matrimonio 473.

NOVATORES v. *Reformatores.*

NOVISSIMORUM consideratio perutilis 528.

O

OBEX et dispositio 83, ad valorem et ad fructum sacramenti 50, 84.

ŒCOLAMPADII errores de eucharistia 148–9.

OPUS operatum et operantis quid 25.

OCCISIO victimæ qualiter ad sacrificium pertineat 246, 251.

ORDO quid 432. **Existentia.** Historia dogmatis 434: sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum 39, 435: ex his quid principalius vocetur ordo 432 *n. 2*: potestas consecrandi et absolvendi inseparabiles 447: est verum sacramentum 437: solv. diff. 440 sqq.: materia 461, forma 462, minister 463, subjectum 464, effectus 465: solv. diff. 446 sqq. **Distinctio.** Ordinum pluralitas unitati sacramenti non officit 443: ordines septem enumerantur 444 et in majores et minores distinguuntur 445: minores probabiliter non sunt sacramenta 449: diaconatus, presbyteratus et episcopatus, etsi non semper nomine 433, re tamen sunt distincti 446, 451 sqq., ab Ecclesiæ exordio 455 sqq.

ORIGENIS errores de vita futura 539, de resurrectione 552, de beatitudine 596.

OSIANDRI error de eucharistia 148, 166.

OSMA P. erravit de pœnitentia 364, 380.

OXUMENSIS P. erravit de pœnitentia 297, 317.

P

PALAMITARUM error de beatitudine 596.
PANIS Eliæ et panes propositionis typi fuerunt eucharistiæ 147 *n. 5.*
PANTHEISTARUM errores de vita futura 532 et de resurrectione 552.
PARADISI status et locus 594, 611 v. *Beatitudo.*
PARABOLÆ habent quædam ad ornamentum 580, 607.
PARTICULÆ *in, ex, per* notionem causæ perferunt 27, 132, 437.
PAULICIANORUM errores de baptismo 104.
PECCATORES minus perfecte quam justi ad Ecclesiam pertinent 27 *n. 17*: quomodo resurgent 550, 559.
PECCATUM quid et quotuplex 298. **Natura.** *Mortale* dicit aversionem a Deo, cui offensam inurit, inducens reatum culpæ et pœnæ 299: infinitatem quamdam malitiæ habet 583 et meretur pœnam æternam 572 sqq.: habituale consistit in privatione gratiæ, et habet rationem maculæ 300. *Veniale* dicitur a venia, quam meretur, non avertit a fine sed deordinat circa medium, secundum quid offendit Deum, et meretur pœnam finitam: quia vero non privat gratia, absolutam rationem maculæ non habet 302, et habitualiter consistit in caritatis fervoris imminutione 303. **Remissio.** Mortale formaliter remittitur infusione gratiæ 301: veniale proxime solvitur actu virtutis caritate informatæ 304; remissa autem culpa, potest remanere reatus pœnæ temporalis 381: quomodo efficienter per sacramenta remittatur mortale et veniale 305. **Objectum.** Peccata mortalia sunt materia necessaria confessionis 365 sqq., venialia et mortalia jam remissa materia sufficiens 390: nullum autem est peccatum absolute irremissibile 324, 328, 389, neque illud quod contra Spiritum S. committitur 393 v. *Pœna, Pœnitentia.*
PELAGIANORUM error de baptismo 104, 120 et de pœnitentia 297.
PETRA quo sensu dicitur Christus 160: aqua de petra fluens est symbolum baptismi 105, app.
PETROBRUSSIANI errant de baptismo 120 et de purgatorio 588.
PHILETI error de resurrectione 552.
PISCIS est symbolum Christi 147 et baptismi 103.
PLATONICORUM error de vita futura 539.
PŒNA metaphorice dicitur de peccato 589 *n. 35,* proprie debetur culpæ 299: totaliter remittitur in baptismo 105 sed non in aliis sacramentis 224, 381 sqq. Damnatorum pœnæ sunt acerbissimæ v. *Infernus.*
PŒNITENTIA quid secundum nomen 306. Historia dogmatis 297. Pœnitentia est **Virtus** specialis cujus actus sunt dolor, propositum et satisfactio 306. Quid dolor 307, ejus qualitates 308, summus intensive et appretative 309: attritio et contritio 310: timor filialis, servilis et serviliter servilis 311: amor initialis 312: quid propositum non peccandi de cetero 313, ejusque dotes 314: satisfactionis natura 315, efficacia et materia 316. *Pœnitentia* est verus animi dolor 318, 326 cum proposito non peccandi de cetero 319: est absolute necessaria ad salutem 320, 327, et efficax pro deletione cujusvis peccati 321, 328. *Contritio* perfecta justificat ante sacramenti receptionem 324, 334, non tamen sine ejus voto 325; *attritio* vero, quæ est moraliter bona et supernaturalis 322, 329 sqq., extra sacramentum non justificat 323, sed in sacramento sufficit pro remissione peccatorum 357 sqq.: solv. diff. 326 sqq. — Quid **Sacramentum** pœnitentiæ et quæ ejus figuræ 335: sacramentum tantum,

res et sacramentum, res tantum 39, 336: est verum sacramentum N. L. 338-9, 341 sqq., distinctum a baptismo 340 et valde utile 368: solv. diff. 343 sqq. Constat *materia* et *forma* 348, et perficitur absolutione 349, quæ exercetur judicio 352, forma absoluta prolato 350. Qui dolor sit materia sacramenti 354 sqq. Confessionis notio 362 et integritas 363: est necessaria pro remissione peccatorum 365 sqq. et etiam in primitiva Ecclesia fuit auricularis 370 (solv. diff. 371 sqq.). Satisfactio sacramentalis quæ sit 378: publica qualis fuerit in primitiva Ecclesia 379: imponenda est in sacramento 382, et post absolutionem licite perficitur 383. *Materia remota* confessionis sunt peccata mortalia et venialia post baptismum commissa 387, 389 sq.: solv. diff. 392. *Effectus* est gratia ut remissiva peccati 391, quæ tamen aliter delet mortalia et aufert venialia 305, eamque alia bona comitantur 392. *Minister* est sacerdos 397, qui, ut valide absolvat, jurisdictione debet pollere 398; ut licite, in statu gratiæ debet inveniri 399. Solv. diff. 400–2.

POLYGAMIA qualiter matrimonio repugnet 506-7.

POSITIVISTARUM errores de vita futura 532.

PRESBYTER nomen ætatis et dignitatis 343.

PRESBYTERATUS distinguitur a diaconatu et ab episcopatu 343, 451: est verum sacramentum 450.

PRESBYTERIANI errant de ordine 434, 460.

PRESBYTERISSÆ quæ fuerint 472.

PRISCILLIANISTÆ errant de matrimonio 473, 477.

PROPHETÆ de futuris quasi de præsenti loquuntur 265.

PROPOSITIONE practico-demonstrativa subjectum propositionis mutatur juxta sensum prædicati 167.

PROPOSITUM continetur in dolore 313: quæ sint proprietates ejus 314.

PROPRIETATES primi et secundi ordinis 500.

PROTESTANTES v. *Reformatores.*

PURGATORIUM etiam ethnici agnoverunt 589 *n. 48*: vere existit 589, et ultra judicii diem non permanebit 585. Animæ purgatorii sunt mundæ ab omni culpa, impeccabiles et certæ de propria salute 581, naturaliter ignorant quæ in hoc mundo contingunt 531, et puniuntur gravissimis pœnis 587 damni et sensus, de quorum duratione nil statui potest 586; porro gravitas pœnarum non impedit quominus vere requiescant 591 et aliquo modo gaudeant 587 *n. 30*. Possunt pro nobis intercedere 585, et juvantur nostris suffragiis 590 ac sacrificio missæ 297. Solv. diff. 591–3.

PYSTORIENSIS synodi errores de eucharistia 148, 166 *n. 17*, et de indulgentiis 407.

PYTAGORICI errant de vita futura 539.

Q

QUANTITAS est subjectum aliorum ac cidentium corporis 188.

QUAKERI errant de sacramentis in genere 7 et de baptismo 104, 106.

QUESNELLI error de pœnitentia 317.

R

RATIONALISTARUM errores de sacramentis in genere 20, de ordine 434, de resurrectione 552, de judicio 546, 567 et de inferno 571.

RECEPTACULA vitæ futuræ quæ 569.

REFORMATORUM errores de sacramentis in genere 7, 9, 26, 53, 70, 85, de baptismo 104, 120, de confirmatione 129, 131, de eucharistia 148, 149, 211, 228, de sacrificio missæ 241, de pœnitentiæ virtute 297, 317 et sacra-

mento 297, 317, 337, 351, 356, 380, de indugentiis 407, de extrema unctione 411, 413, de ordine 434, 436, 460, de matrimonio 473, 477, 485, 520, de vita futura 539, de inferno 571, de purgatorio 588, de beatitudine 596.
REGALISTARUM errores de matrimonio 473, 477, 485, 520.
REGENERATIO et renovatio quid dicant in Scripturis 27 *n. 20.*
RENZ erravit de natura sacrificii 244, 252.
REPETITIO est signum locutionis propriæ 151, 581.
RES et VERBA in sacramentis quid sint 18: quomodo significent 19: an semper habeantur 21. *Res et sacramentum* est character vel ornatus animæ, *res tantum* est gratia 37.
RESERVATIO casuum quid 395.
RESURRECTIO quid 549, vere futura est 553, supernaturalis 555, 560 sqq. et universalis 556, 564. Corpus resurget numerice idem 554, integer cum omnibus organis, perfectum, immortale, meritis congruum 550. Solv. diff. 557-564. Quæ dotes corporis gloriosi 551.
REVIVISCENTIA meritorum 392 et sacramentorum 89.
RHOLING improbatur 565 *n. 119.*
ROSMINII errores de sacramentis in genere 53, de eucharistia 148, 228, de beatitudine 596.
ROSSI P. errat de inferno 571 *n. 9.*

S

SACERDOTIUM internum et externum 431: duplex sacerdotis potestas 447.
SACRAMENTALE quid 92 et quotuplex 93: cujus virtutis 94: qualis fructus 97-8: quomodo administrandum 95. Ecclesia ea potest instituere 96.
SACRAMENTUM **Notio.** Quid sacramentum 3: ejus definitio 4, 5; significatio speculativa et practica 6: sacramentorum necessitas 10: fuerunt in V. T. 11, sed non fuissent in statu innocentiæ 8. Sacramenta N. L. sunt bona Ecclesiæ 82, præstant sacramentis V. T. 12, 16–7: in Christi morte præfigurata 15; sunt septem 13, inæqualia 14, eadem pro Ecclesia Latina et Græca 65, veræ causæ 27 instrumentales 28, non physicæ 40, neque meritoriæ 41, sed disponentes gratiæ 42 sqq. **Natura.** Sacramenta constant rebus et verbis 21, quasi materia et forma 22: tria in eis sunt distinguenda, scil. sacramentum tantum, res et sacramentum, res tantum 37; quod autem sacramentum externum prius et per se attingit est res et sacramentum seu character vel animæ ornatus 39, 44. **Effectus** sacramentorum est gratia 27, distincta a communi 48–9, quæ ratione tantum distinguitur in primam et secundam 50: porro tria sacramenta characterem imprimunt 54 sq. Ad sacramenti fructum percipiendum requiruntur *dispositiones* 83, 87, quibus opponitur obex 83 sq. Sacramenta esse possunt valida et informia 84, quo in casu, remoto obice, revivis-cunt 89. **Causa.** Quis sacramentorum auctor principalis et secundarius 57: quæ potestas excellentiæ 58. Deus est auctor sacramentorum 62: potestas excellentiæ est penes Christum 58, qui, licet potuisset aliis communicare 59, sibi servavit per se omnia sacramenta immediate instituendo 64. Huic immediatæ institutioni non obstat ulterior determinatio materiæ et formæ per Apostolos; quia tamen Christus omnia in individuo determinavit 60, Ecclesiæ potestas coarctatur ad eorum præambula vel circumstantias 65. **Minister** sacramentorum quis 66: ministri distinctiones 67. Sacramentorum minister principalis est Christus 71: in secundario ad sacramenti valorem nec sanctitas 75, nec fides 76 requiritur, sed intentio 73 interna faciendi quod facit Ecclesia 74, et in multis sacra-

mentis ordo 72. Sanctitas autem ministri valde utilis est 75 *n. 57,* imo necessaria ad licitam sacramenti administrationem 77, excepto casu necessitatis 77 *n. 75.*

SACRIFICIUM definitur 242, 247: in quo formaliter consistat 252 *n. 41,* et in quo differat a sacramento 271: aliud congruit naturæ puræ, aliud elevatæ, aliud lapsæ et reparatæ: est cruentum et incruentum; latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium 243: pertinet ad jus naturæ 245 et a primis temporibus in occisione victimæ constitutum est 246. Sacrificia V. T. erant typus eucharistiæ 254 v. *Missa.*

SADDUCÆORUM error de resurrectione 552.

SANCTI de inæquali gloria non dolent 608, et nobis multipliciter communicant 615.

SANCTITAS extrinseca et intrinseca 4.

SANGUINIS baptismus v. *Martyrium.*

SATISFACTIO quid 315: exercetur eleemosyna, jejunio et oratione, quæ aliter operantur in sacramento et extra ipsum 316. Unus pro alio potest satisfacere 403 *n. 5.* Quæ fuerit pœnitentia publica Ecclesiæ primitivæ 379: sacramentalis 378 imponenda est a sacerdote 382, et compleri potest post absolutionem 383.

SCHELL improbatur 542 *n. 30,* 571 *n. 17,* 577 *n. 87.*

SCOTUS E. erravit de eucharistia 148-149.

SELEUCIANI error de baptismo 104.

SEMERIA improbatur 297 *n. 54,* 434 *n. 51.*

SEMIJANSENISTÆ errant de eucharistia 148.

SENIORES non solum ætate, sed dignitate computantur 440.

SENSUS proprius tenendus cum fidei dogma exhibet 27 *n. 25.*

SIGNIFICATIO speculativa et practica 6, 167: materialis et formalis 167 *n. 23.*

SIGNUM symbolicum 4, speculativum et practicum 6.

SOCIALISTARUM error de matrimonio 504.

SOCINIANORUM errores de sacramentis in genere 7, 26, de baptismo 104, 120, de resurrectione 552, de inferno 571.

SPECIES quid 178: in eucharistia dicuntur apparentiæ, figura, symbolum 182: manent in propria realitate 181 (solvuntur diffic. 182 sqq.), ac proinde servant propriam activitatem et possunt corrumpi 184: manent autem sine subjecto 187, quantitati innixæ 188. — Quomodo Christus sub eis inveniatur 193 sqq.: quid ex eis generetur 185, et cur eorum dualitas unitati sacramenti non officiat 179.

SPIRITUALISTÆ docent commercium cum mortuis 532.

SUBSTANTIA corporea quomodo sit in loco 203.

SYRI errant de beatitudinis natura 596.

T

TATIANI error de judicio 546.

TELEPATIA quomodo explicanda 537.

TERMINISTÆ pœnitentiæ tempus ante mortem constituunt 317.

TERMINUS *a quo* et *ad quem, — formalis* et *materialis* 165 *n. 5* et *6.*

THEOSOPHORUM error de judicio 546.

THESAURUS meritorum Christi et sanctorum 408: undenam nomen sumpsit 403 *n. 7.*

TIMOR filialis, servilis, serviliter servilis 311.

TONGIORGI athomista 148 *n. 60.*

TRANSSUBSTANTIATIO quid 164: est conversio singularis et admirabilis 165: ipsa Christus non fit præsens in eucharistia 167, 168 reproductione 172 vel adductione 173, sed proprie dicta conversione panis et vini in ipsum 174.

U

UNCTIO de qua loquitur Marc. 6. 13 non est sacramentum 412 *n. 4*: est autem materia sacramenti in confirmatione 137 et extrema unctione 514 sqq.

UNITARII et UNIVERSALISTÆ errant de inferno 571.

UBIQUISTÆ errant de eucharistia 148, in qua ratio præsentiæ Christi non est ubiquitas sui corporis 169.

V

VENIALE peccatum v. *Peccatum*.

VERBA sunt signa conceptuum 73 *n. 49*. In sacramentis habent rationem formæ 18, 22 — Nonnumquam verba deponentia passive adhibentur 25 *n. 9*.

VERITAS quandonam excludat metaphoram 150 *n. 11*.

VIGILANTII errores de cœlibatu 473, 477, de judicio 546 et de beatitudine 596,

VIRGINITAS præstat matrimonio 478: an martyrio et doctoratu 614: ejus votum cum vero matrimonio stare potest 476.

VIS verborum et vis concomitantiæ quid 190.

VITA individualis, socialis, domestica 474 *n. 8*. Vita futura Patribus V. T. innotuit 530 et vere datur 534: anima in ipsam intrat sine corpore 533, ibidem caret libertate circa finem ultimum 541, cum vivis naturale commercium non habet 531, 535 (solv. diff. 536 sqq.) non servat potestatem merendi 536, immutabiliter manet 540–3, cui tamen immutabilitati non obstant secundariæ quædam variationes 538. Quot vitæ futuræ receptacula 569.

VOLUNTAS actualis, habitualis, virtualis, interpretativa 69. — *Voluntas salvifica* quomodo impleatur in infantibus, in amentibus et in iis qui sine revelationis notitia decedunt 543.

VOTUM baptismi 119, eucharistiæ 229, pœnitentiæ 325, 334. — Votum virginitatis non excludit matrimonium 476.

VOX est signum artificiale 4 *n. 10*.

W

WALDENSIUM errores de sacramentis in genere 7, 9, 70, de confirmatione 129, de indulgentiis 407, de extrema unctione 411, 413, de ordine 434.

WICLEFFI et Wicleffitarum errores de confirmatione 129, de eucharistia 148, 186, de pœnitentia 297, 364, de indulgentiis 407, de extrema unctione 411, 413, de ordine 434, 460, de purgatorio 588.

Z

ZWINGLII errores de sacramentis in genere 7, 9, de eucharistia 148, 149, de pœnitentia 294 *n. 34*.

Operis judicia

Hoc compendium, Brevi R. P. Pii X commendatum, laudibus extulerunt quamplures Emi Purpurati et Excmi Episcopi, præclari scriptores et seminariorum magistri ac rectores, necnon præcipuæ ephemerides catholicæ.

In ARTE TYPOGRAPHICA placuit forma et varietas litterarum quæ sivit præcipuas quæstiones a secundariis graphice distinguere ac argumentorum fundamentalia verba a ceteris secernere et veluti ob oculos ponere. DE METHODO laudarunt *rerum copiam,* altam *eruditionem, brevitatem* sermonis, *perspicuitatem* styli, *lucidum ordinem,* singularum quæstionum *accuratam determinationem, historiæ* usum, in exponendis Scripturæ argumentis *syllogisticam formam, Ss. Patrum frequentem recursum,* et veram intimamque *difficultatum solutionem.* — In DOCTRINA omnes commendarunt *puritatem* et *romanitatem,* quamplures *fidelitatem in S. Thomæ et S. Augustini* sententiis exponendis, convenientiam cum necessitatibus temporum, qua *novis vetera sunt aucta,* et *modernistarum hæresis* suis locis directe est impetita eique reddita, demptâ personâ, facies, ac tandem *sacram unctionem* qua scholastica methodus ad fovendum amorem erga J. Christum et B. V. est ordinata.

Hinc factum est ut compendiarium hoc opus sat multi ceteris prætulerint, et aptissimum censuerint non solum quod in clericorum scholis textus habe-

retur, sed et in sacerdotum manus venire, tquasi subsidium pro solutione quæstionum et sacra prædicatione, necnon veluti antidotum contra errorum colluviem undique inundantium. Quare, Deo favente, accidit ut nova editio, altera nondum expleta, prodierit.

Ex innumeris, præclara quædam testimonia benevolo lectori proponimus.

Breve Pii Pp. X	pag.	3
Approbationes Em. Cardinalium	»	»
Exc. Episcoporum	»	5
Docentium et Rectorum seminariorum	»	6
Judicia ephemeridum italicarum	»	9
» » gallicanarum	»	10
» » hispanicarum	»	13
» germanicarum	»	15
» anglicarum	»	16

Dilecto filio Cæsari Manzoni Canonico theologo Ecclesiæ Laudensis.

PIUS PP. X.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Libenter a te tua quatuor accepimus volumina, quibus « *Compendium Theologiæ Dogmaticæ* » continetur; siquidem in eis non solum amavimus munus pietatis erga Nos tuae, sed etiam opus valde probabile ingenii atque doctrinæ. Scimus enim te inter eos, qui de sacris disciplinis in Seminariorum commodum tractarunt, non ultimum, peritorum sententia, obtinere locum: tibique dari laudi, quod ita servieris brevitati, ut non jejunum aut obscuritate involutum adhibueris tractationis genus, sed plenum delecta copia rerum, ac perspicuum.

Quin vero, id quod caput est, integritatem doctrinarum catholicarum, duce in primis Thoma, religiosissime servaveris, explorato tuo in Vicarium Jesu Christi obsequio et fide, non est dubium. Quare tibi gratulamur, dilecte fili, teque, ut sacræ juventuti utilem navare operam scribendo pergas, hortamur. Auspicem autem divini auxilii, Apostolicam tibi benedictionem paterno cum studio impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXVI Julii MCMIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

Approbationes Em. Cardinalium.

CARD. A. FERRARI *Arch. Mediolanensis.* « Pergratum mihi feceras quod præstantis tuæ epitomes de universa theologia dogmatica volumen alterum iterum editum, iterum nuper miseris, licet nullis meis meritis, nomini meo inscriptum et dicatum. De quo quidem opere compendiario, sive universo, sive etiam eo peculiari volumine, quod est *De Deo Uno et Trino, de Deo creante et elevante*, sententiam meam jam tibi scripseram, eamque pii cujusque et sapientis viri judicio firmari postmodum gaudebam. Neque parum vertendum, ut arbitror, est tibi laudi, exquisiti illius operis tot typis impressa exemplaria ita undique cœpta expeti fuisse, et in seminariorum usum adduci, ut, præstolantibus cunctis, biennio minus exemplaria nova nunc fuerint exscribenda. Maxime item tuæ pietati et doctrinæ illud tribuendum duco quod in dies amplius compendiarium tuum opus temporum necessitatibus et aptæ theologiæ hodiernæ institutioni utile esse videatur, adeo ut vix melius cogitari possit ad occulta etiam modernismi, pericula propulsanda. In philosophicis totus es Aquinatis Angelici Doctoris: in theologicis nullus pene tuus locus est, quo figmentum illud evolutionis dogmatum ab humana voluntate et conscientia erumpentium, atque ab uno in alium sensum transeuntium tu non redarguas aut revincas. Historicam vero rem cum re dogmatica bene calluisti, et bene doces amico fœdere consociari ut alterutrius veritas sit quoque alterutrius et salus et conservatio. — Tibi igitur iterum gratulor etc. *15 Oct.* 1910.

CARD. LUDOV. BILLOT S. J. « Mi rallegro con Lei del bellissimo suo libro. Leggendolo con sommo piacere, mi sono ricordato degli anni già lontani, nei quali all'Università Gregoriana faceva presagire di sè tutto quello che vediamo adesso. La consolazione mia fu grande, perchè soda è la dotttina; perchè ha saputo unire felicissimamente la trattazione classica con la discussione di tutte le questioni moderne intorno all'Apologetica, alla Scrittura ed alla Tradizione; perchè dal principio alla fine apparisce il teologo dotto, preciso e veramente cattolico. Dico veramente cattolico, cosa che non è di piccolo merito per i tempi che corrono; quando la fede è ogni giorno impugnata da quelli stessi che per obbligo e professione dovrebbero difenderla; quando la povera gioventù va sempre più ingannata dalla temerità e dalle inaudite leggerezze de' nuovi dottori: diciamo chiaro, quando il modo di far fortuna e di andar in auge, non è più di stare con la sede di Pietro, e di seguir la via solamente vera, di coloro ai quali Gesù Cristo ha detto: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* In somma, ci vuol coraggio per resistere al torrente, e non acconsentire a tanti che dicono: *Loquimini nobis placentia.* E questo coraggio Lei l'ha avuto, carissimo mio Don Cesare; di che fa prova il suo luminoso trattato di Teologia Fondamentale. Spero che l'anno venturo mi manderà un altro volume, uno di quelli che sono annunciati nella sua prefazione. Intanto domando al Signore che la conservi *ad multos annos* per il maggior bene dei suoi scolari, e le dia le forze necessarie per condurre a termine l'opera così bene incominciata ». (*Roma, 28 Luglio* 1906).

CARD. D. J. MERCIER *Arch. Mechliniensis.* « Je crains bien que vous ne vous trompiez d'adresse en me demandant à moi qui ai passé ma vie dans l'enseignement de la philosophie et qui suis aujourd'hui absorbé par les soucis et les travaux du ministère pastoral, une appréciation sur votre traité théologique de *Deo uno, trino, creante, elevante.* D'autre part, la confiance que vous voulez bien me témoigner me fait un devoir de vous dire au moins le bien que je pense de votre ouvrage après en avoir pris, assez rapidement, je l'avoue, connaissance. — Votre exposé me parait éminemment clair, la disposition des matières très méthodique, l'érudition sobre, la doctrine sève, solide, bien motivée. Votre *Compendium theologiæ dogmaticæ,* sera bien accueilli, je n'en doute pas, dans les Séminaires et vos confrères dans le sacerdoce aimeront à y retrouver, sous une forme lucide et attrayante, la substance des enseignements qu'ils ont emportés de leurs années d'études. Agréez... ». *7 Juillet* 1911.

CARD. B. LORENZELLI. « ...Veggo con piacere come V. S. con forte ingegno e ardore pari seguita ad illustrare le dottrine teologiche valendosi ampiamente della letteratura più recente e refutando con efficacia gli errori..... Leggerò, come prima possibile, il rimanente delle Virtù Teologiche in particolare, e ne raccomanderò lettura e studio anche al mio giovane prof. di Dogmatica..... ». *18 Nov.* 1908.

CARD. BARTOLOMEO BACILIERI *Episc. Veronensis.* « Dopo di aver conferito con Mons. Rettore e col prof. di Teol. Dogmatica di questo mio seminario, sono venuto nella determinazione di adottare anch'io il suo *Compendium* quale testo di Teologia Dogmatica... Lieto d'averle potuto dimostrare l'alta stima che nutro per Lei e per l'Opera sua, assai di cuore la riverisco e benedico ». *16 Giugno* 1910.

CARD. PIETRO MAFFI *Arch. Pisanus.* « Accolga l'espressione della mia riconoscenza ed insieme le mie congratulazioni per l'opera bella, chiara, completa e *romana,* della romanità della quale oggi pur troppo anche in alcuni del clero si sente bisogno ». *10 Febbr.* 1907. « ...Fa tanto bene in mezzo all'ibridismo di dottrine che si vanno spargendo e sviano molte intelligenze,

incontrare un libro fresco, nuovo, in giornata, ma che riconduce a riposare ancora con pace e sicurezza nelle dottrine che ci insegnavano nella scuola trent'anni fa! » *23 Agosto* 1907. « ...In particolar modo lasci che mi congratuli e che Le esprima la mia riconoscenza per l'affetto col quale sono scritti alcuni capitoli, quelli specialmente sulla Madre nostra Maria e sul Padre nostro San Giuseppe... Lei profumando la dottrina colle dolci emozioni della pietà, con tutti gli argomenti ha preclusa la via dell'errore. Il Signore la benedica... » *1 Dicembre* 1908. « Ed ora che l'opera è finita, con maggior voce dico *bene* e mi congratulo. L'ho corsa rapidamente e mi sono compiaciuto dell'abbondanza, della sicurezza, della bontà, della dottrina e mi sono rallegrato pensando al bene che farà nel tener salde le menti ora specialmente, mentre tante vacillano. E mi sono piaciuti anche gli ammonimenti a predicatori — mentre si dicono tanti spropositi — dell'inferno... » *12 Agost.* 1909.

CARD. A. RICHELMY Arch. *Taurinensis.* « .....Sono lieto di far plauso alle intenzioni di V. S. e anco al fine conseguito di dare ai giovani dei nostri giorni un alimento sodo, degno di quel nome cui dovrebbero gli studiosi tutti della sacra scienza pronunziare sempre con ammirazione e con affetto: *San Tommaso d'Acquino* ». *7 Marzo* 1908.

Approbationes Excel. Episcoporum.

G. B. ROTA Episc. *Laudens.* « Volumen quod Nobis dicasti, libenti animo accepimus, ut quod omnimode commendabile, cum scientia litterarum, tum venerabilis traditionis observantia atque romanitate sententiarum. Quum, vel inter recentiores, tot errores serpant, quibus viribus collatis obsistere oportet, ad hoc valde opus tuum profuturum haud ambigimus. Gratulamur igitur et Tibi qui cum Ecclesia sentis, et alumnis qui in spem nostræ Laudensis Ecclesiæ adolescunt, atque, te duce eruditissimo, ad puros catholicæ doctrinæ fontes hauriunt ». *(Prid. non. Jul. 1906).*

GIOVANNI BEDA O. S. B. Arch. *Perusinus.* « ...Mi rallegro caldamente con Lei che abbia continuato un'opera che per la sua profondità e per la sua ottima disposizione, incontrò l'approvazione di tutti; come potei constatarlo io stesso, parlando con Vescovi e professori di Teologia. Lodo altamente il suo divisamento di fare una seconda edizione del primo volume, onde dare luogo alla confutazione del Modernismo. Non crederei opportuno rimaneggiar il testo, togliandone alcune questioni non del tutto necessarie in un testo di scuola. Senza dire che dopo tutto è una gran bella cosa mettere i giovani a conoscenza delle quistioni che si agitano: trovo molto opportuno, anzi necessario, che i giovani abbiano per le mani un testo che nel suo insieme sia completo. Non dobbiamo dimenticarci che per molti preti l'unico testo di Teologia che tengono nella loro, pur troppo, piccola biblioteca, è il testo di scuola. Da qui la necessità di dar loro un testo che ad una certa brevità accopii larghezza e profondità di trattazione. Pur troppo il gran male dei nostri giorni è contentarsi di sfiorare le quistioni, portando in tutto un morboso dilettantismo. — Mi rallegro dunque con Lei, caro Professore. Si assicuri, Ella ha fatto un'opera buona, e della quale il Signore La rimeriterà... ». *(27 Novembre 1909).*

G. B. NASALLI Episc. *Eugub.* « ...Anche qui, in questo volume della sua bell'opera, ho trovato una ricchezza di materia e un così savio e spregiudicato discernimento nel riportare ed esaminare le opinioni disputate, che mi ha fatto ottima impressione. Vi ho pure ammirato somma precisione nello stabilire le questioni e nel riferire gli argomenti. Il suo testo è ottima guida ad un abile maestro per fare una scuola interessante e completa. Bravo Sig. Canonico, me ne rallegro con Lei di cuore; Ella ha veramente saputo far intendere che il vecchio albero del nostro insegnamento tradizionale è vecchio sì ma sempre capace di dar nuovi e bei germogli, così che dimostra una vecchiezza che non ha timore di cadere in decrepitezza mai. — E a questa fonte uopo è che si abbeverino i giovani non correndo dietro alle frascherie di scuole ove non si sa ragionare, ma si balbettano pochi argomenti raccogliticci... ». *(24 Luglio 1909).*

JUAN AGUSTIN. Obispo *de Santa-Fè.* « Constandome, por el testimonio autorizado de eminentes teólogos é insignes revistas, de la bondad intrinseca de su obra *Compendium Theologiæ Dogmaticæ,* quiero sólo manifestarle que, por su bondad extrinseca, es decir, por ser un verdadero *texto* de escuela, merece un elogio especialissimo; y que la exposicion amplia y escolástica de todas las cuestiones modernas y muy en particular de la Teologia Fundamental, que con mucha justicia ocupa hoy el puesto más importante entre los tractados teológicos, hace que su Compendium sea el texto del dia. — Muy convencido, pues, del mérito de su obra he determinado adoptarla en mi Seminario, esperando de ella los más halagüennos resultados para la illustración de mis jovénes teólogos ». *(5 de Nov. 1908).*

MONS. IGINIO BANDI Episc. *Derthon.* « ...Prima di adottarlo a testo di scuola nel mio Seminario volli fosse preso ad esame da parecchi Professori, che da tempo vi insegnano scienze sacre; e tutti l'hanno trovato assai commendevole per la chiarezza dell'esposizione, la disposizione della materia, la purezza della dottrina e la copia dell'erudizione. Mi tengo perciò sicuro, che abbia a tornare di grande vantaggio agli studiosi di Teologia, e valga a preservarli dal pericolo di cadere in certi errori, pur troppo frequenti ai nostri giorni. Benedicendo pertanto... ». *(25 Ottobre 1907).*

E. FONTANA Episc. *Cremen.* « Dopo i giudizi così esplicitamente favorevoli, pronunciati da persone competentissime, al primo volume della tua teologia dogmatica, il giudizio mio (a dirla come la sento) sarebbe inutile. Ma non posso a meno di manifestartelo, quale è. La precisione, l'ordine, la chiarezza, la profondità e l'opportunità pei tempi nostri mi fanno il tuo volume molto caro. Il professore di teologia dogmatica di questo mio Seminario, assai competente in materia, ne ha ottimo concetto e gli scolari, ai quali lo fa conoscere, lo apprezzano e lo gustano . *(2 Maggio 1907).*

MONS. FRANCESCO CICERI Episc. *Papien.* « Questa volta ho avuto agio di leggere il bel volume. Tutto mi piace: la pienezza della materia, dove non sono dimenticate le modernità, e sempre con relativa concisione, ed è accennata in nota una copiosa erudizione: l'ordine e la lucidità della esposizione: la sanità della dottrina e quello spirito di amorevole ossequio alla direzione che viene da Roma: tutto, ripeto, mi piace. Forse potrà sembrare che lo svolgimento di tanta dottrina esorbiti al di là dalla portata dei quattro corsi soliti a farsi nei nostri seminarii: ma quando il Professore sappia regolarsi, non è male che resti qualche cosa in cui svolgersi poi con maggior ampiezza negli anni di sacerdozio. Congratulandomi pertanto con Lei, e augurandole molta lena ed energia per continuare sulla bella via intrapresa... ». *(15 Agosto 1907).*

NICOLA Episc. *Valvens.* et *Sulmon.* « Vivamente mi congratulo con Vostra Signoria Ill.ma per l'opera nuova che da poco ha data alla luce, *Compendium theologiæ dogmaticæ* ». In argomento studiato da tanti uomini insigni ha saputo diffondere tanta luce d'ingegno, che i trattati sulla « *Religione* », sulla « *Chiesa* » e sulle « *Fonti della Rivelazione* », puranche lodevoli per la sana dottrina tradizionale, corrispondono bellamente al programma sintetizzato nel motto sapiente: « *Vetera novis augere* ». — Quant'à me, secondo il mio debole parere, l'opera sua è degna d'essere scelta per testo ne' Seminarii, unendo la brevità con la chiarezza e la sodezza della trattazione ». *(18 Maggio 1907).*

NB. Hoc opus valde laudarunt etiam CARD. LUALDI arch. *Palerm.*, A. MINISTRANGELO arch. *Florent.,* GIACOMO episc. *Bononiens.,* M. GUIDO arch. *Parm.,* J. M. CORNA PELLEGRINI episc. *Brix.,* A. PELIZZO episc. *Patav.,* A. ROSSI arch. *Utin.,* C. CASTELLI arch. *Firman.,* J. M. RADINI TED. episc. *Bergom.,* J. M. PELIZZARI episc. *Placent.,* F. RODOLFI episc. *Vicent.,* DISMA episc. *Aquens.,* A. PADOV. episc. auxil. *Cremon.,* A. ARCHI episc. *Comens.,* A. MARCHI episc. *Lucan.* G. GUSMINI episc. *Fulginat.,* etc....

Approbationes Docentium et Rectorum Seminariorum.

P. G. MATTIUSSI S. J. *Prof. Universitatis Gregorianæ* ita scribebat in *Civiltà Catt.* Genn. 1907. « Ci vuole ingegno a mettere novità in un argomento trattato del continuo da innumerabili autori. E la novità ha gran pregio e merita molta lode, se non vien da capriccio di parer singolari, ma da vera forza d' intelletto, che concepisce le comuni verità in modo originale e ne adatta

bene l'esposizione ai nuovi bisogni dei tempi. Con dir questo, abbiamo fatto l'elogio del volume dato in luce dal sac. Manzoni, professore nel patrio Seminario di Lodi e canonico della Cattedrale. — Vogliam dire che le notissime tesi riguardanti la necessità d'una religione e la verità della religione cattolica e l'altre che seguono sono esposte e provate e difese dal Manzoni con bella originalità d'ingegno e nel modo più acconcio ai tempi nostri. I quali esigono che s'incominci proprio fin dai primi principî, senza supporre nulla di quello che una volta la fede radicata nei popoli e il buon senso comune negli animi davano il diritto di assumere, senza tentarne la dimostrazione. Adesso no. Bisogna in tutto rifarsi da capo. E il Manzoni lo fa, e vi riesce efficacemente, sbandendo le illusioni, con che altri s'addormenta e sogna e vuol cullarsi nell'agnosticismo, nel dubbio, nella negazione aprioristica del soprannaturale. — Si esige ugualmente e si aspetta che le obbiezioni sieno prese dai veri avversarî, soliti combattere la nostra dottrina, e non si perdan parole con sottigliezze dimenticate. Non crediamo noi che le recenti difficoltà sieno più valide delle antiche; ma insomma convien combattere i nemici che realmente ci attaccano, non gli altri morti od addormentati. A questo attende con molta cura il ch. A. e i giovani troveranno nel suo corso quanto il moderno razionalismo suole opporre alla religione di Cristo, ed in genere a qualsiasi manifestazione di Dio. È vero che basta l'onestà naturale? È vero che il proporci misteri è cosa innaturale, indegna della ragione, indegna di Dio? È vero che l'umanità fu dapprincipio feticista, si elevò a poco a poco verso il monoteismo, sta ormai per superare anche questa fase, e s'avvicina alla sfera sublime della pura ragione e della libera scienza? È vero che in qualunque modo sia concepita e sia onorata la divinità, basta alla virtù dell'uomo e al merito della vita eterna? Le stranezze spiritiche e ipnotiche sono realmente inferiori ai nostri miracoli? E la telepatia non ispiega naturalmente qualunque apparenza di profezia? Cotali difficoltà e molte altre simili a queste, tratte dalle nuove esperienze e proposte dagli increduli, sono riferite e sciolte dal ch. A. con brevità, chiarezza, efficacia ».

CHR. PESCH *S. J. Prof. nel collegio Ditton-Hall di Valkenburg.* « ...Quod opus non minus eruditum quam sana doctrina præstans spero futurum, ut et discipulorum Reverentiæ Vestræ progressum maximum efficiat et plurimorum animis solidiorem Religionis et Ecclesiæ Catholicæ cognitionem majoremque æstimationem conciliet ». (*25 Jul.* 1906). Ex animo gratulor Reverentiæ Vestræ et pro opere feliciter perfecto et pro insigni commendatione summi Pontificis. Post talia laudum præconia, quid ego meis verbis librum efferam, quem præterea ipse successus laude mea non indigere ostendit? Ceterum quantocius lectoribus germanicis opus in memoriam revocare non cunctabor ». *19 Sept.* 1909.

D. L. JANSSENS *O. S. B...* « Quod in præcedentibus tuis voluminibus jam ultro meritum agnovi, in hoc volumine *De Deo Uno, Trino, Creante, Elevante* non parum crevisse deprehendo. Præter limpiditatem nitoremque styli, quæ classico usui valde juvant, tractatus tui eminent logica dispositione, felicique eruditionis apparatu, quo a remotioribus temporibus ad ætatem nostram potiora methodice congeruntur, quin nec moles opprimat, nec tædium ariditas provocet. — Inter Patres Magnum Augustinum, inter Scholasticos Angelicum Aquinatem ita discreto reverentique vestigio premis, ut eorum commercio tirones provehantur magis quam autoritate contineantur. — Ubique in argumentorum enodatione summe placet sensus apprime catholicus, quo, dum traditioni sanæ firmiter adhæres, Ecclesiæ magisterium sedulo illustras fallacemque modernistarum pseudoscientiam strenue convellis.... » *2 Decemb.* 1910.

H. LE FLOCH *Recteur du Sem. Pont. Français.* « Votre ouvrage, ainsi que j'ai pu m'en rendre compte, est un résumé fidèle, clair et méthodique de la doctrine catholique. Sa brièveté est une qualité appréciable pour l'enseigne-

ment, l'exposé étant substantiel. Les notes que vous avez placées au bas des pages, indiquent les sources auxquelles on peut recourir pour une plus ample démonstration du dogme. Je vous félicite particulièrement de vous être attaché à refuter, partout où vous les avez rencontrées les doctrines modernistes et les erreurs de la philosophie de Kant. — Pour mieux éclairer vos thèses, vous avez choisi un certain nombre de difficultés qui permettent aux étudiants de s'exercer à l'argumentation et de s'habituer à résoudre les objections des adversaires selon la forme scolastique. — Ce sont là des mérites incontestables qui font souhaiter à votre Manuel le succès auquel il a tout droit d'aspirer... » *17 Oct.* 1909.

P. LUIGI CAPPELLI, *Rect. Colleg. Pii Latini Amer.* « .....Quello che specialmente piace è l'accordo che si trova nel suo libro fra l'antico ed il moderno, perchè in esso vi sono trattate tutte le principali questioni che oggi si agitano, ma informato ai principî dell'antica sapienza vera ed immutabile. Di più mi è stato lodato come un'opera veramente didattica, composta da chi ha l'esperienza della scuola e ne conosce i bisogni, sicchè davvero può essere consiliato come ottimo libro di testo con sicurezza di buoni risultati..... ». (*24 Luglio* 1907).

G. B. RE *Prof. Semin. region. Apul.* « Ho già dato una buona corsa al suo bel libro e mi congratulo vivamente con V. S. dell'opera sua, che è perfettamente riuscita. Come manuale scolastico non lascia a desiderare per la precisione e chiarezza ed ordine, con cui tutte le questioni anche attuali sono bene e brevemente espresse. Ma quello che più mi ha soddisfatto è la dottrina profondamente cattolica sempre pienamente conforme ai più sani principii anche in certe questioni in cui molti spesso parlano poco esattamente. Le auguro di cuore che il suo manuale venga largamente diffuso anche per la retta formazione del clero: per parte mia vorrei che fosse anche adottato qui in questo Seminario Pugliese, dove convengono alunni da ben 20 diocesi... Più tardi spero di poterle annunziare che il suo testo è stato da noi adottato ». *(13 Mag. 1909).*

G. BALLERINI *Prof. Semin. Papien.* « Le mie piu vive congratulazioni per il primo volume del tuo *Compendium Theologiæ dogmaticæ*. Tu hai saputo dir molto in poco, con molta chiarezza e precisione, attenendoti a quella via media che sa congiungere il *vetera et nova,* pur senza deflettere un apice dalla verità cattolica. Auguro perciò al tuo libro la massima diffusione, non solo fra i chierici dei Seminari, ma anche fra i preti, che troveranno in esso un valido aiuto per le Congregazioni di teologia dogmatica ed un buon materiale per la predicazione ». *(15 Luglio 1906).*

DOTT. L. CRESPI *Prof. Semin. Mediol.* « Ho letto più volte il trattato di Propedeutica alla S. Teologia pubblicato da Lei intorno alla Rivelazione divina, alla Chiesa ed alle fonti della Rivelazione e non posso esimermi dal manifestare all'esimio Autore i sensi della mia piena soddisfazione per il suo bellissimo lavoro. — L'ordine strettamente logico nel quale trovano loro sede e sviluppo le singole parti, l'argomentazione abbondante che rivela in Lei una conoscenza non comune della S. Scrittura e della Patristica, corroborata da un dominio sicuro della sana filosofia; infine la sobrietà ed il giusto discernimento col quale propone agli studiosi le questioni moderne più dibattute per rilevarne i pregi e discuterne le debolezze e gli errori, sono doti complessive che acquistano meritamente al suo lavoro una considerazione ben grande presso i cultori delle ecclesiastiche discipline ». *(25 Giugno 1907).*

NB. Similia auctori alii professores scripserunt ut v. g. P MAULE *Vicent.*, Canc. E. PERRICONE *Palermit.*, A. BRACCINI *Pisan.*, G. TURCHETTI *Comens.*, P. CARMIGNOTO *Patav.*, C. NISI *Firman.*, G. DRIGANI *Utin.*, P. MOZZANICA *Mediol.*, F. BETTONI *Crem.*, A. PICCOLI *Mantuens.*, J. BRUNETTI *Venet.*, L. UBERIO *Viglcb.*, MOSÈ TOVINI *Brix.* T. GARELLI *Montis Vici*, A. ZENATI *Veronens.*, P. COFFANO *Novar.*, V. BERNARDI *Trevis.*, M. BELLI *Porti Romantini*, A. CELLINI Can. *Ripatrons.*, F. DANIELE DA CITTÀ DI CASTELLO prof. monast. *Fulgin.*, P. POLICARPI et P. SALVATORE dell'Immacolata *Passionis.* etc....

JUDICIA EPHEMERIDUM.

Ephemerides italicae.

Civiltà Cattolica. 18 *Dic.* 1910. « Con questo volume il distintissimo A. pone fine al suo corso teologico, del quale sappiamo che fu adottato come testo scolastico in molti seminari italiani ed esteri, e dappertutto accolto con ampio favore. Nè l'esito felice è superiore al merito. Perocchè veramente vi è sugosamente compendiata tutta la dottrina teologica, che importa di sapere, e vi è dischiusa la via ad andare innanzi nello studio profondo delle più ardue questioni. La materia vi è perfettamente ordinata; l'esposizione è breve e chiara, sì che dà veramente luce allo studioso, e lo mette insieme nella necessità di meditare l'argomento, come lascia campo al professore di aggiungere spiegazioni e dà modo di cercare altre opere con la ricca bibliografia. Finalmente il pensiero dell'A. è volto in modo speciale a prevenire il giovane teologo contro gli errori correnti e le moderne obbiezioni.

In questo ultimo volume sono compendiati i trattati dei Sacramenti e dei Novissimi. La dottrina è sicura; nei punti dubbiosi l'A. sceglie con libertà l'opinione che gli sembra più probabile. Efficacemente, com'era dovere, è sostenuta la verità della confessione privata nei primi secoli, e forte è la confutazione di quegli autori, anche recenti, i quali, per non trovar nei primi Padri l'esposizione così chiara come ora è nei nostri catechismi, senza temere di dar torto al Tridentino e senza rifuggire delle false e dannose conseguenze che se ne trarrebbero, disconobbero la verità della primitiva confessione segreta, ritenendo solo la pubblica. Eppure non mancavano essi di validi argomenti da dimostrare che questa si esigeva so'tanto per tre peccati gravissimi, esternamente consumati e già noti; mentre si accordano i Padri fino dal secondo secolo a dir necessaria la confessione al sacerdote di tutti i peccati gravi, anche occulti. Ne segue evidentemente che più antica e più necessaria e più universale era la confessione auricolare.

Il primo volume di quest'opera è stato pubblicato in una seconda edizione, con parecchie giunte adattate ai bisogni del tempo. Crediamo che alla seconda e ad ulteriori edizioni verrà tutto il corso. Lo auguriamo di cuore al distintissimo A. che lo merita, agli studenti che n'avranno profitto ». Cf. 1 *Gen.* 1907; 4 *Genn.* 1908; 16 *Gen.* 1909.

« Scuola Cattolica ». *Gennaio* 1909. « Il volume si presenta in forma elegante, in caratteri nitidi, con le divisioni ben risultanti. Anche per questo lato son da farsi congratulazioni. L'A. prosegue sempre con lo stesso metodo suo, già lodato; abbondante, diligente. L'abbondanza non nuoce ad un testo che è per la scuola e che poi, di fatto, è quasi il solo alla mano del sacerdote. Nella scuola il professore mette in rilievo ed imprime nella mente dello scolaro quello che più merita. Fuori di seminario il sacerdote trova citazioni copiose per la predicazione e indirizzo per la soluzione dei casi nelle congregazioni. Ecco l'utilità di questo libro. Nelle tre parti si trovano tratti specialmente piacevoli e d'aspetto nuovo ed industrioso; ad esempio l'ultima parte del *de Verbo incar.*, dove si parla della redenzione; la tesi nel *de Gratia,* sull'incorporazione di noi a G. C. Ormai l'A. s'è fatto ben conoscere ed apprezzare e io penso che si troverà animato a darci il IV Vol. ed altri, giacchè il suo nome tiene un posto distinto fra i moltissimi recenti scrittori di compendi di teologia (*Prof. P. Mozzanica*). Cf. *Sett.* 1906, *Ottobr.* 1907; *Sett.* 1909; *Dicembr.* 1910.

Il crocifisso redentore. *Novembre* 1909. « .... Il ch. prof. Manzoni è veramente teologo e filosofo che con esattezza matematica espone la verità come venne rivelata da Dio e s'insegna dalla Chiesa, l'illustra con sode ragioni filosofiche, portando in ogni que-

stione un sorprendente modo di concezione profonda che poi svolge con la massima chiarezza e precisione da renderne lo studio attraente.

Ogni trattato è per lui un quadro compiuto, in cui nulla deve mancare, nulla vi deve essere di superfluo, ma per quanto lo comporta un compendio dev'essere completo nel suo genere sia dalla parte positiva della dottrina sia da quella degli opposti errori. Si prenda p. e. su la Rivelazione. Dopo di averla rettamente definita e divisa, passa subito all'errore opposto, al naturalismo, in tutte le sue gradazioni, dando d'ognuna un concetto esattamente oggettivo fino al Modernismo che viene scientificamente sviscerato, come poco fino ad ora si era fatto nei libri didattici, contenti quasi sempre di ripetersi l'uno su l'altro. Con tale metodo che potremmo dire intuitivo, lo studioso può fare subito un parallelo tra la verità e l'errore. Poi pone la tesi sempre limpida, la prova, la volge, la conferma con la ragione. Nè qui si esaurisce la proposizione, perchè scioglie infine le difficoltà proposte sempre in metodo aristotelico affinchè la mente non vaghi, e con la stessa chiarezza tratta tutte le altre tesi.

Ricche e preziose sono le numerose note a pie' di pagina, ove vengono citati innumerevoli autori antichi e moderni fino a quelli di pochi giorni fa, e dei quali bene spesso riporta le parole, ciò che denota nell'ottimo professore di Lodi lealtà e sicurezza.

Il trattato della S. Scrittura rappresenta quanto di meglio si può compendiare per intensità e chiarezza.

Nell'attuale ordinamento degli studî voluto dal S. Padre, noi crediamo riesca opportunissima ai professori ed alunni l'opera del dottor Manzoni, che ha saputo riunire profondità e chiarezza, dando a tutto un ordine armonico e quasi dilettevole. Raccomandiamo vivamente l'opera a' sacerdoti e studenti di S. Teologia essendo adattatissima per testo scolastico. »Cf. etiam *Febr.* 1910.

Ephemerides gallicae.

ÉTUDES FRANCISCAINES. *Mars.* 1909. « .... Au premier aspect, l'impression est déjà favorable : netteté des caractères, relief typographique, renvoi des notes et références au bas des pages... L'ordonnance de chaque traité se distingue par la disposition logique des questions... Chaque question est exposée très méthodiquement : l'état de la question d'abord, puis successivement l'exposé des erreurs, la déclaration de la vraie doctrine, la position de la thèse avec ses diverses parties nettement séparées par des chiffres, la preuve de chacun des éléments de la thèse, enfin la solution des objections. — L'appel aux diverses sources théologiques est proportionné à la nature de chaque sujet.

La théologie rationnelle que plusieurs manuels ont la tendance à sacrifier, garde ici une place très honorable : philosophie saine, complète, précise et forte dont le contact prolongé développera chez l'élève la vigueur et la personnalité intellectuelle. Mais ne craignons rien, la partie positive ne perd pas un pouce de ses droits. L'Écriture et la tradition fournissent à la démonstration un tribut tout simplement opulent. Il n'est pas rare de voir pour une seule thèse jusqu'à 80 renvois lesquels sont parfois riches de plus de dix références. Quand les textes sont de nature à éclairer la pensée de l'écrivain inspiré, ou ecclésiastique, ils sont mis dans la langue originale : grecque ou hébraïque. L'argumentation, assez souvent nécessaire pour mettre en vigueur la doctrine latente, est en général très solide... Les opinions théologiques sont inspirées de Saint Thomas ou de ceux qu'il croit ses meilleurs interprètes. M. Manzoni se dit disciple du Docteur Angélique, se distinguant aussi intentionnellement des Thomistes purs. C'est ainsi que sur la manière de concilier le concours de Dieu avec la liberté de l'homme, l'auteur, tout en acceptant la prémotion physique, rejette la théorie de la prédétermination des actes, comme contraire à la pensée du Saint Docteur. Entre les multiples théories imaginées pour expliquer la présence simultanée, dans le Christ, de la vision béatifique et de la souffrance, il choisit celle du P. BILLOT ; on sait que d'après l'éminent professeur du Collège romain cette compatibilité tient non à un miracle, mais à la condition

de notre nature. Le problème de la foi est traité, discuté d'après les exigences actuelles : les modernistes déjà pris à partie au sujet de la divinité, de la science et de la médiation du Christ, sont vigoureusement réfutés dans les thèses sur le caractère objectif, immuable et rationnel des vérités de la foi. Comme on le voit, l'ouvrage de M. l'abbé Manzoni s'offre à nous dans les conditions qui lui assurent le succès. En élevant l'édifice théologique sur la base de la philosophie scolastique, en lui donnant le complément d'une documentation positive abondante et choisie, ce manuel se présente à la jeunesse cléricale et aux professeurs eux-mêmes comme un excellent instrument de travail en même temps qu'un guide et un inspirateur pour le prêtre dans le saint ministère ». (*Fr. Benigne* O. M. C.) Et *Mars* 1910 *pluribus commendans opus inquit:*

Inutile d'insister sur la connaissance profonde, étendue de l'Ecriture et des Pères que révèlent la choix des textes auxquels M. M. fait appel et la multiture des références prêtes à la thèse un surcroît de démonstration. Ces qualités ont été relevées dans la dernière recension et se montrent ici au même niveau. Nous sommes heureux de recomander cet ouvrage aux professeur, ils y trouveront pour aux et pour leurs élèves une science très scrutée, pénétrante, éloignée de toute témérite, mais ne craignant pas d'autre part de modifier certaines théories anciennes d'après les nouvelles acquisitions de la science, de l'histoire ou de la philosophie. Cf. etiam *Janv.* 1908.

« REVUE AUGUSTINIENNE » 15 *Janvier* 1909. « Le cours de M. Manzoni a des qualités réelles. L'exposition et la mise au point des questions y sont excellentes, le souci de l'information légitime assez développé, le rapprochement de la vérité et des erreurs modernistes (au tome III) suffisant. On pourrait même dire qu' il remplit une lacune quasi-traditionnelle dans les manuels scolastiques, par la solicitude exceptionnelle dont il entoure l'argument scripturaire et la preuve de la tradition théologique. Il renferme aussi de-ci, de-là, de belles pages de théologie positive, telles les dissertations sur l'hexaméron mosaïque, la messianité et la divinité du Christ... L'auteur multiplie ordinairement les objections. Ce n'est pas un défaut. Au contraire, la difficulté, bien proposée et bien resolue, fait mieux saisir la thèse et fortifie les assises (Sequuntur quaedam leves observationes)... M. Manzoni vise à la brièveté l'énorme matière emprisonnée en si peu de pages le prouve. Cela le contraint à toucher à peine certains sujets ordinairement traités plus au long. Mais il faut lui rendre cette justice que, dans les questions essentielles ou débattues, il ne néglige rien pour en rendre un compte exact.

15 *Janvier* 1907 scripserat : « M. Manzoni a suivi le procédé classique... Les preuves sont données avec beaucoup de viguer et de clarté. Mais le mérite principal de cet ouvrage, en cela il l'emporte sur Tanquerey, est un mise au point très nette de chaque conclusion. M. Manzoni, avant chaque question, détermine bien la donnée du problème ; il définit exactement les notions préliminaires et précise les différénts concepts. C'est une initiation à la thèse très utile et très agréable ».

Et 15 *Mai* 1910 : On a rendu compte ici, voilà trois ans (t. X, p. 123), du premier tome de la Dogmatique de M. Manzoni. On en a signalé la « vigueur », la « clarté » et les belles qualités didactiques. La deuxième édition que voici a tenu compte des justes desiderata suggérés en différentes revues. C'est dire que l'ouvrage a encore gagné en valeur. M. Manzoni a fait le sacrifice de certaines parties, comme, par exemple, de tout le chapitre sur le développement du dogme, qui a sa place naturelle, pensait ici le P. Anciaux, dans un traité de la foi. Il en a très heureusement corrigé et amplifié d'autres, remaniant des paragraphes entiers, transposant, ajoutant, expliquant : ces parties semblent avoir subi une refonte complète. Des thèses nouvelles se sont introduites pour combler des lacunes indéfinissables en 1906, mais qui n'échapperaient à personne aujourd'hui. Telle est la réfutation systématique de l'opinion moderniste de l'origine de la religion. L'érudition a trouvé aussi part plus large. D'excellentes tables des matières et des thèses rendent le volume plus maniable.

Le quatrième tome (pour les tomes II, III, voir *Revue Augustinienne,* t. XIV, p. 116-118) contient les traités des Sacrements et des Fins dernières... Les traités de l'Eucharistie, de la Pénitence et des Fins dernières méritent des éloges. M. Manzoni nous donne quel-

ques bonnes thèses sur la présence réelle et la transsubstantiation... La valeur sanctifiante de la vertu de pénitence fournit des thèses originales que souvent on néglige pour en indiquer seulement en termes furtifs les principales idées... A signaler encore la reproduction de quelques documents archéologiques touchant le baptême, l'Eucharistie, sacrement et sacrifice, et les fins dernières. En somme, manuel bien conçu, commode, actuel, varié.

NOUVELLE REVUE THEOLOGIQUE. *Tome* 42 - *Juin* 1910. — Avec le quatrième volume, (*De Sacramentis, de Novissimis*) M. le Professeur Manzoni vient de terminer son manuel de théologie dont le premier volume a déjà les honneurs d'une nouvelle édition. Les éloges sont venus nombreux au nouveau cours, et de tous côtés : ils sont parfaitement mérités. Le livre du distingué professeur de Lodi se distingue, en effet, parmi tant d'autres du même genre, par deux grandes qualités principalement.

Tout d'abord il est très remarquable au point de vue *pédagogique*. A ce point de vue il est égal, sinon supérieur, à ce que nous avions de mieux jusqu-ici, à Tanquerey par exemple. Grand' soin de bien poser les questions, de distinguer nettement les thèses dogmatiques et les explications théologiques, grande richesse de matière sans surcharge ni confusion, tout jusqu'à l'exécution typographiques très bien conçue et très bien exécutée en font un manuel d'enseignement aussi commode pour les élèves que pour les professeurs. — Le second point à signaler est le soin avec lequel l'enseignement théologique le plus traditionnel a été adapté aux nécessités présentes : les questions théologiques plus spécialement débattues durant ces dernières années ont trouvé place et large place dans ce manuel : et elles ont trouvé place non en appendice, comme accolées aux vieilles thèses laissées telles quelles, mais dans la trame même de l'exposition : M. Manzoni n'a pas reculé devant un effort trop souvent évité par les compilateurs de manuels, l'effort nécessaire pour la refonte de ces thèses qu'il est bien plus facile d'aller copier toutes faites chez le voisin. C'est ainsi que les derniers documents Pontificaux entrent dans l'exposition théologique elle-même. *J. de Guibert.*

REVUE BÉNÉDICTINE. *Janvier* 1911. L'auteur a été modeste en appelant du nom discret de *Compendium* une suite de traités aussi complets et, par endroits, si fouillés. Ainsi que l'indique le sous-titre, il y fait un large usage des auteurs scholastiques, depuis la grande époque classique jusqu'à nos jours. Il possède la littérature contemporaine à un degré qu'on ne rencontre pas fréquemment chez ses compatriotes ; et comme son ouvrage est animé du meilleur esprit catholique, on est heureux de la large part qu'il fait aux excès modernistes.

Le style est à la fois élégant et limpide : c'est bien le bon latin pédagogique. La disposition des matières est en général fort logique ; les thèses, recueillies dans un *Thesarius* intuitif et pratique, sont conçues en termes clairs, propres et concis. L'exégèse, la patrologie et l'histoire du dogme servent partout de base aux contemplations dogmatiques, de manière à former un ensemble bien pondéré d'érudition et de spéculation... D. L. JANSSENS.

REVUE ECCLÉSIASTIQUE DE LIÉGE. *Mars* 1911. Le D.r Manzoni, professeur au Séminaire de Lodi, nous donne la seconde édition, revue et augmentée, des deux premiers volumes de son excellent manuel de dogmatique. Ce sont des traités bien complets, solidement basés sur l'exégèse, la patrologie et l'histoire du dogme, appuyés d'une saine philosophie, et qui se distinguent en outre par l'ordonnance rationnelle et l'exposé méthodique des matières. Le style est clair et concis, l'expression à la fois élégante et limpide. Et quoiqu'il soit difficile d'accumuler tant de choses en si peu de pages, et d'unir tant d'observations utiles, ce n'est jamais au détriment distingué, parfaitement exprimé.

L'auteur expose généralement les idées de S. Thomas ; là où les disciples du maître se divisent, il partage souvent les opinions du P. Billot. C'est assez dire que la doctrine est bonne.

... Le manuel fait preuve d'une grande connaissance de la littérature contemporaine, d'une documentation positive plus fournie, et d'un souci plus intense des questions historiques et modernes, que la plupart des théologies italiennes et espagnoles etc... H. M.

REVUE DES SCIENCES PHILOSOPHIQUES ET THÉOLOGIQUES *(Belgiques) Octob.* p. 824-6. « Le premier des volumes parus comprend la trilogie bien connue et paraît devoir servir d'introduction aux suivants. Le second s'occupe de Dieu un et trine, de la création, de l'élévation des anges et des hommes á l'état surnaturel, enfin de la chute. Sans aller très loin au fond des choses, le professeur de Lodi résume dans ces deux livres ce qu'il a cru trouver de meilleur et de plus acceptable dans les auteurs anciens et modernes; ces derniers sont abondamment cités et parmi eux particulièrement Billot, Janssens, Pesch, Tanquerey. Les thèses, clairement énoncées, sont développées et établies tant au point de vue historique qu'au point de vue rationnel. Il traite les questions et relate les erreurs les plus récentes, dont la réfutation s'impose impérieusement à tout esprit théologique. Sous ce rapport il dépasse les autres manuels du même genre. Pour s'en con vaincre, il suffit de parcourir parallèlement avec un autre auteur moins récent — prenons au hasard, p. ex., Mgr Hor. Mazzella — les thèses sur l'origine de la religion, sur la révélation, etc. *(R. P. M. R. Martin. O. P).*

LES QUESTIONS ECCLÉSIASTIQUES, *Juin 1911.* « L'auteur doit résumer beaucoup de choses en un cadre très restreint; il l'a fait avec bonheur : clarté, précision, sûreté de doctrine, telles sont les qualités qu'on ne peut dénier à son œuvre. Son Eminence le cardinal Ferrari le félicite, dans la lettre d'approbation de l'ouvrage, « d'avoir, maintenu et gardé, dans le séminaire diocésain, la doctrine sévère de l'Ecole et en particulier de S. Thomas... Après s'être nourri de cette doctrine substantielle, le clergé se trouvera stimulé pour continuer ses études dans les ouvrages des Pères de l'Eglise ». Cette indication de l'archevêque de Milan est juste et hésume exactement à ce qu'il faut penser du manuel de théologie de M. Manzoni... »

Ephemerides hispanicae.

RAZON Y FE. *Abril* 1911. Muchos elogios se han tributado al Manual de Teologia del profesor César Manzoni, y, á nuestro modo de ver, con razón. Resplandece por su acertada elección de materias, método en desenvolverlas, solidez en los argumentos, pureza de doctrina, claridad en conceptos y explicaciones y estilo didáctico. Cumple exactamente el autor con el subtítulo de su obra, siguiendo á los principales escolásticos antiguos y modernos y ante todo á Santo Tomás, del que apenas se aparta si no es en cuestiones insignificantes, como en la inteligencia de los dias genesiacos, posibilidad de la creación *ab æterno,* etc...

Nuevo hemos encontrado en este compedio el *Tesario* que pone al principio, abrazando en tesis precisas y perfectamente enunciadas toda la materia; las frecuentes notas en que se dilucidan algunos puntos accesorios ó aclarativos, y al fin de los volúmenes la reproducción de documentos arqueológicos de las Catacumbas.

En el primer tomo, que comprende los tratados *De Religione, Ecclesia et Fontibus revelationis,* explica el Sr. Manzoni con hermosa brevedad las cuestiones que generalmente suelen tratarse en ellos : acaso peque de concisa en demasía la que se refiere al liberalismo y valor del Syllabus. Complácennos la distinción que señala entre el teólogo y exégeta en la exposición de la Escritura, la refutación y explicación del modernismo, la extensión que se da al sincretismo religioso, la inteligencia del canon de Vicente de Lerins y los testimonios, por edades, de los que reconocieron el primado de San Pedro. En la cuestión de si basta el bautismo reputado para ser miembro de la Iglesia, sigue al P. Billot, que lo niega, y en la que concierne al asentimiento interno á los decretos de las Congregaciones romanas, cambia de parecer, ateniéndose ahora á que no debe dejarse en duda ó en suspenso, aun dado caso que ocurrieran fuertes razones en contrario...

En el segundo volumen *De Deo Uno, Trino, Creante et Elevante,* aplaudimos la novedad que, ha introducido al dividir los tratados *De Angelis et homine* en dos, ateniéndose á la partición racional *De Deo Creante et Elevante,* así como también el que haya reducido el tratado *De Trinitate,* sin omitir lo necesario, descartando cuestiones complicadas y sutiles. Al explicar el *Hexaemero mosaico,* que dice con justicia no debe

llamarse ni cosmogonia, ni cosmogonia mosaica, el transformismo rígido y mitigado, lo hace con mucha elegancia y competencia. Advertiremos que en lo que toca á la ciencia de Dios y la predestinación es partidario de los neotomistas y particularmente de Billot. Acepta la ciencia media, con tal que se refiera al conocimiento de los futuribles, no al medio en que se conocen, si éste ha de ser *in se ipsis*, sin medio alguno objetivo; como acepta la predestinación á la gloria (*electio ad gloriam*) antes de los méritos previstos, pero no independiente de ellos.

Sequuntur quædam animadversiones et concluditur:

Repetimos, con todo, que estos dos tomos son de verdadero mérito, y no dudamos que pronto se agotará la edición de ellos, como sucedió con la primera. (*A. P. Goyena*).

REVISTA ECLESIASTICA. 30 *marzo* 1910. En cuatro tomos, fuertes y compactos, abarca la obra del docto catedrático del Seminario de Lodi en todo su conjunto la teología dogmática, sin exceptuar los tratados filosóficos de la Religión y la Demostración católica, que en realidad de verdad no le pertenecen ni son propiamente tratados teológicos, pero que forman el imponente y necesario propileo de su sagrado edificio en todos los Manuales modernos.

Brevedad y solidez, claridad y profundidad, rica información positiva y riguroso tecnicismo escolástico, tales son las principales cualidades que, según observa el Breve Pontificio, aparecen por doquiera admirablemente hermanadas en el nuevo *Compendium*. Todas las cuestiones importantes van tratadas á fondo, aunque siempre con la breve precisión de un libro de texto, y la solución va constantemente apoyada en sus verdaderos y más profundos fundamentos tanto racionales como teológicos. No desconoce el autor la necesidad, recordada á los teólogos modernos por el gran Léon XIII, de gloriosa y santa memoria, de *vetera novis augere*, sino que pone especial esmero, siempre que se presenta la ocasión, en explanar y discutir, cuanto conviene para los alumnos, los problemas relacionados con el dogma que más torturan al pensamiento contemporáneo, patentizando con la mayor evidencia cuán satisfactoriamente se resuelven de ordinario á la luz de los eternos principios de la razón y de las inmutables enseñanzas de la fe revelada. Desde este punto de vista es grato advertir con qué acierto señala el docto canónigo, en el tratado *De fontibus revelationis*, tanto la verdad como los errores sobre la Sagrada Escritura, la tradición divina, el progreso de la revelación y el desenvolvimiento del dogma, y con qué libertad de criterio, unida á la más severa ortodoxia, soluciona, en el tratado *De Deo creante*, las cuestiones referentes al Hexámeron, al transformismo, al origen del lenguaje, á la unidad de la especie humana, etc.

Bajo la sabia dirección de Manzoni no corren peligro los teólogos noveles de desviarse de la verdad cristiana, yendo á despeñarse en los precipicios del Modernismo, pues, á más de quedar refutados todos los más característicos asertos de los modernistas y descubiertas sus sútiles artimañas, circula por toda la obra un soplo vivificador de fe acendrada y de sana doctrina que refocila el alma y la fortalece contra la deletérea influencia del ambiente que respiramos; según la hacía notar en términos sumamente elogiosos el célebre P. Billot en hermosa carta de felicitatión dirigida al autor. *Sequuntur quædam observationes et concluditur*: No ponemos en duda su singular mérito y no vacilamos en recomendar su lectura á todos los que se interesan en el estudio de las cuestiones teológicas, sean profesores, discípulos ó sacerdotes ocupados en el ministerio. Hasta para los predicadores será útil esta lectura, pues el autor no descuida ningún aspecto del dogma y gusta de señalar las aplicaciones teóricas ó practicas que puede sugerir la sagrada doctrina que explana. (*Un Tomista*). Cfr. *Abril* 1908.

BOLETIN DE LOS ALUNOS DEL PONT. COL. PIO LATINO AMERICANO. *Sept.* 1909. — Con verdadero placer hacemos una breve reseña de esta obra; pocas veces suelen aparecer producciones que obtengan aplauso más unánime que la presente, como lo manifiesta la serie de congratulaciones, que encabeza el primer tomo y el Breve que en los últimos días de Julio tuvo á bien enviar el Santo Padre al distinguido autor.

En estilo sencillo y didáctico exopene el Dr. Manzoni toda la doctrina católica distinguiéndola de las contiendas de escuelas á fin de no empañar la tersura de las verdades reveladas; lo cual no quiere decir que omita el parecer de las tradicionales opiniones, no, pues las explica en capítulos adicionales para los que deseen profundizar esas cuestiones.

La doctrina es segura y netamente católica, antípoda de los errores actuales, como bebida en las puras fuentes de la Universidad Gregoriana; para nuestros queridos exalumnos profesores, formados en ese foco del saber cristiano, les sería muy útil este libro para explicarlo en un curso de cuatro años; con alegría hemos sabido que algunos lo han conseguido para conocerlo y que otros lo han adoptado como texto.

Entre las felicitaciones dirigidas al Dr. Manzoni hemos hallado una del Sr. Obispo de Santa Fe, Mons. Boneo, quién ha impuesto este compendio en su floreciente Seminario.

Ephemerides germanicae.

« STIMMEN AUS MARIA LAACH » 1908 LXXV, 2. « Kanonikus Manzoni will in vier mässigen Bänden von je rund 400 Seiten in Oktav die Vorlesungen, die er seit 15 Jahren am Seminar in Lodi gehalten hat, den Kandidaten der Theologie zur Erleicterung und Förderung ihrer Studien darbieten. Bis jetzt sind die beiden obigen Bände erschienen, die, wie der Bischof von Crema sagt, wegen ihrer « Genauigkeit, Ordnung, Klarheit, Gründlichkeit und Zeitgemässheit » günstige Aufnahme fanden. Obschon der Verfasser hauptsächlich darauf bedacht war, aus den besten alten und neuen Werken ein Kompendium zusammenzustellen, das dem für die Seelsorge bestimmten Klerus alles Nötige kurz und bündig vorlege, beton doch ein Rezensent in der *Civiltà Cattolica*, dass sich in der Ausführung eine « schöne Originalität » offenbare. Gang und Methode sind die gleichen wie in den meisten scholastischen Kompendien, sowohl in den Haupteinteilungen als in den einzelnen Thesen (*Status quaestionis. Argumenta. Difficultates. Scholia*. Neben der Spekulation kommt ouch die positiveTheologie zu ihrem Recht, und in der Polemik werden die neuen und neuesten Schwierigkeiten berücksichtigt. So wird z. B. ein kurzes Wort gesagt über Inquisition, Evolutionstheorie auf dem Gebiete der Religion, Harnacksche Logos-Erklarüng, Buddhismus usw. Besonders eingehend werden die Vertreter der neuexegetischen Richtung berücksichtigt. Durch verschiedene Druckarten, Randnummern und andere Hilfsmittel wird grosse Ubersichtlichkeit erzielt. Leider fehlt bisher ein alphabetischer Index... In Band I, n. 405 ff sind die Väterzeugnisse für den Primat sehr übersichtlich zusammengestellt, ebenso n. 552 die Prinzipien für die Lösung dogmatischer Schwierigkeiten, die sich aus manchen Stellen der Heiligen Schrift ergeben. — Wer all die neuzeitlichen Fragen kennen lernen will, die in der Dogmatik berücksichtigt werden müssen oder können, der greife zu diesem Werke ».

Et 1911 LXXVIII. 2 p. 207-9 : « Die beiden ersten Bände dieses Werkes sind früher besprochen worden. Unterdessen hat das Buch die Probe auf seine Brauchbarkeit bestanden; denn vor der Vollendung des Ganzen musste der erste Band neu aufgelegt werden. Der heilige Vater hat unter detm 26. Juli dieses Jahres eine Breve an den Varfasser gerichtet, in dem es unter anderem heisst : Dein Werk ist Uns genehm als eine sehr anerkennenswerte Frucht des Scharfsinns und der Gelehrsamkeit; etc.

Es ist unnötig, diesem Lob etwas hinzuzufügen. Früher wurden einige Ausstellungen gemacht, die zum Teil gegenstandslos geworden sind. Dahin gehört die Bemerkung über den unschönen und durch viele Fehler entstellten Druck. Das Werk ist an eine andere Druckerei übergegangen und hat typographisch bedeutend gewonnen.

Uber den Inhalt eines Compendium theologiae dogmaticae ist selbstverständlich nichts zu sagen. Der Verfasser hat unter den neueren Theologen besonders Billot, Janssens, Tanquerey und andere bekannte Autoren als Gewährsmänner in der Dogmatik gewählt, in exegetischen Fragen zitiert er häufig Knabenbauer und Cornely. Die Irrlehren der Modernisten und die heute umlaufenden Einwendungen gegen das Dogma

werden sorgfältig berücksichtigt, so dass auf verhältnissmässig knappen Raum viel, Material zusammengedrängt ist.

Für Seminarien, in denen die Theologie lateinisch vorgetragen wird, ist das Kompendium Manzonis empfehlenswert wegen der Kürze, Klarheit, Fülle des Gebotenen Berücksichtigung der modernen Auffassungen, besonders aber wegen des echt kirchlichen Geistes, *der das Werk durchweht.*

PASTOR BONUS 1 *Nov.* 1911. Der Professor der Theologie und hl. Schrift am Priesterseminar zu Lodi (Mailand) hat seine dogmatischen Vorlesungen, die er seit 15 Jahren gehalten, vor vier Jahmen im Druck erscheinen lassen und nach 1 1/2 Jahren schon die 2. Auflage vorbereiten müssen. Wie der Titel des Werkes besagt, soll es sich nur um ein Compendium handelm, um ein Handbuch für die Theologiestudierenden und für jene, die ihre Theologie wiederholen wollen. Diesem Zweck est der Verfasser vollauf gerecht geworden; er hat in kurzer Form die ganze Lehre behandelt und ein ausgezeichnetes Handbuch geschaffen, wie dies aus den zwei uns vorliegenden Bänden erhellt. Die zwei anderen Bände handeln de Verbo Incarnato, de B. V. M., de Gratia und de Sacramentis et de Novissimis. Die bekannten scholastischen Werke wurden reichlich verwertet, aus allen das beste genommen und zu einem neuen Lehrbuch umgearbeitet. Ganz besonders fällt der enge Anschluss an die Werke des hl. Thomas auf, dessen Summa hier erklärt wird. Plan und Anlage des ganzen Kompendium's sind die gleichen wie in den meisten lateinischen Dogmatiken: Kurze Formulierung der Thesen, Erklärung, Beweise, hauptsächlich positive aus der hl. Schrift und Tradition, zu denen viel Material angegeben. Ein Vorteil ist noch dadurch geboten, dass die entgegenstehenden Irrtümer stets gut charakterisiert werden, mit besonderer Rücksichtnahme auf die Modernisten und alle ihre mehr oder weniger verstekten Schlupfwinkel; dadurch ist diese Dogmatik wirklich aktuell und modern und sie zeigt den streng kirchlichen Verfasser, der es sich zur Aufgabe gestellt hat, diese neuesten Irrlehrer zu bekämpfen. Diese beiden Bände zeichnen sich aus durch strenge Genauigkeit der Doktrin, Ordnung und Klarheit in Zusammenstellung des Lehrstoffes, Gründlichkeit und Zeitgemässheit der Beweise und Erklärungen; Die Uebersichtlichkeit des ganzen wird gefördert durch verschiedene Schriftcharaktere und Randnummern. Mit Recht wurden dem Verfasser seitens der italienischen Bischöfe und vieler Professoren Anerkennungsschreiben zugeschickt, wie auch besonders italienische zeitchriften dieses Compendium sehr günstig beurteilt haben, es bildet einen sehr brauchbaren und wertvollen Beitrag zur dogmatischen Literatur.

Ephemerides anglicae.

ROME Saturday *3rd June* 1911. N. 22. — We confess to an instinctive dislike for Compendia, and especially for compendia of Dogmatic Theology; but we gladly acknowledge that we are bound to make an exception in favour of the work before us. Indeed, it is a pity that it has been called a compendium. The work consists of four octavo volumes, each containing between 400 and 500 pages. The treatment of the subjects is reasonably complete, and leaves nothing to be desired on that score. Also, the manner of the treatment is excellent. It is orthodox, traditional, and at the same time up-to-date. Scripture, the Fathers, the Scholastics, are the essential and constituent elements of Dogmatic Theology, and the author employs them with soundness, skill and erudition. He knows, too, how to apply them to the needs and exigencies of our own day. In fact, we may say that one of the most pleasing and useful features of the work is the treatment of modern errors, and especially of those which are comprised in the term Modernism. We were, indeed, surprised to see the completeness and the exhaustiveness with which the author has dealt with this matter, having regard to the amount of space at his disposal; but he has correctly estimated the importance of providing the clergy with as complete a refutation of Modernism as possible. Hence, throughout the four volumes, in whatever part of theology the Modernists have attacked the orthodox teach

ing, we find a satisfactory refutation of their error; but where they receive special attention is in the first volume, which is wholly devoted to fundamental theology.

Nor has the author omitted to draw upon the wisdom of the present. He writes in his short preface : « Non novam excludere doctrinam in animo fuit, sed *Romanam* sapientiam, quam ad pedes B. Petri a summis magistris Mazzella, Schiffini, Billot, De Augustinis hausi, in compendium redigere, ut qui in spem Ecclesiae adolescunt, fidei sophismatibus defenderent. » We are fain to confess that we regard as one of the greatest merits of this work the fidelity with which the author has followed his great preceptor, Father Billot.

We can confidently affirm that this work is admirably adapted for the ordinary seminary course of Dogmatic Theology, and no better text-book is to be found. In addition to the good qualities already mentioned, we may note that the author has very wisely made use of various mechanical aids to the student,—differences of type, divisions of the text, and copious indices (each volume has its own index). A further merit, by no means to be despised, is that the work is really cheap. C.

THE MONTH *July* 1911. « Of these the first is the more actual as it embraces a great number of burning questions : amongst Catholics, the treatise *De Deo* introduces discussions which are mainly academic. On the subject of the relations between Church and State, the learned Canon, who is Professor of Dogmatic Theology at Lodi, is uncompromisingly orthodox, and several French theologians who have been visited as yet by no official note of censure are to be found pilloried here. In questions of Scripture, moreover, the Professor belongs to the extreme conservative school, and defends positions which in some cases are no longer regarded as tenable by scholars of undoubted loyalty. But in view of the insidious propagation of Modernism this attitude of caution is both intelligible and commendable ».

[illegible]

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1751.M327 C001 V004
COMPENDIUM THEOLOGIAE DOGMATICAE TURIN,
3 0311 00042 8214
WITHDRAWN

43965

BX
1751
.M327
AUTHOR
v.4
TITLE
43965
Marzoni, Cesare
COMPENDIUM THEOLOGIAE DOGMATICAE E PRAECIPIUS SCHOLASTICIS ANTIQUIS...
DATE DUE